





2515
AMOR DEO
John Carter Brown
Library
Brown University

DE IMMACULATA DEIPARÆ CONCEPTIONE SIVE DE ILLIUS IMMUNITATE A PECCATO ORIGINALI.


AUTHORE
DOCTORE D. DIDACO ANDRÆA Rocha Hispalensi Quondam Limanæ Academiæ Vespertinæ Legum Cathedræ Moderatore, deinde in Regali Cancellaria Quitensi Fisci Patrono, & Senatore, demum electo Fiscali Regalis Cancellariæ Argentinæ; nunc vero Regalis Cancellariæ Limensis Criminum Quæstore, & Iudice.

AD
ILLUSTRISSIMUM DOM. DOCT.
DOMINUM PETRUM DE VILLAGOMEZ
Archiepiscopum Limanum.

LIMÆ, *EX OFFICINA IOANNIS DE QUEVEDO*
Anno 1670.


t.
Rocha
RPJCB

IVDICIVM
R. P. Ignatij de las Roelas Societatis IESV, *sacræ Theologiæ quondam Professoris, modo Maximi D. Pauli Collegij Rectoris.*



DE mandato Excellentiss. Domini Proregis Comitis de Lemos hosce pulcherrimos iuxta ac strenuos de Immaculata Deiparę Cõceptione conceptus in lucem felici omine, quia veriore obstetricante lucina, emissos à D. D. Didaco Andræa de la Rocha, in hac Vrbe Regum Regio Consiliario, & criminarum causarum integerrimo Iudice mirum quanta animi voluptate perlegi: etenim de his cum sapientissimo Palestinæ Rege dixerim non incongruè: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Cant. 4. Emissiones ergo, annotante Cornelio nostro, id est propagines & surculi, quos ex se hortus animæ pia disciplina excultus emittit, sunt actus virtutũ tam theologicarum, quam cardinalium: quid enim in hoc sacro volumine pijssime exarato non theologicum spirat? Quod ex SS. Patrum ditissimo thesauro, non erutum? ex refertissimo sapientissimorum DD. penu non depromptum? quæ ad vnum omnia siue florida ad amœnitatem, siue matura ad gustum, suauissimum halant odorem, qualem nouelli Paradisi surculi, ac recentes plantarum flores exhalant: amœnissimæ enim in hoc opere sententiarum areolæ, & gratissima conceptuum poma, quem non exhilarent, recreent, pietatisque ac doctrinæ pabulo reficiãt? Cumque de intemerata Dei Genitrice doctissimæ hæ lucubrationes agant; emissiones enim (interprete Cassiodoro) sermones sancti sunt, quos ex ore pius Doctor emittit, *Cornelius hic.* non Rosas tantum loquitur, vt apud antiquos in laude erat, non lilia, etsi destillantia myrram primam, plenum pa-

radiſum Regius noſter conſiliarius ex ore emittit: quandoquidem Mariam SS. laudat, prædicat, exaltat, quæ paſſim à SS. Patribus Paradiſus indigitatur, Paradiſus nouus, cœleſtis, *in quo* (vt optimè D. Baſilius Seleuciæ Præſul) *lignum vitæ ſatum produxit fructus omnibus ſalutares, & ex quo euangeliorum fons in quatuor ora ſectus, miſerationum flumina credentibus diduxit*. Quid ni ego mira animi voluptate perfuſus has oppido pias, ac doctas de Deiparæ ab originali noxa immunitate diſſertationes perlegerim, cū per Paradiſi cœleſtis amœna topiaria mens mihi inter legendum vagari videretur.

Orat. 39

Nec mihi dumtaxat lectio hæc tam amœnè condita voluptatem peperit, admirationem quoque nec vulgarē attulit, quando & vtriuſque iuris in Regia Academia clariſſimum Profeſſorem, & pro roſtris in Quitenſi, Plateuſi, ac Limana Cancelarijs Iudicem, ac Prætorem indefeſſum, vigilem, nunquam otiātem his pijs ac doctis pariter commentarijs non per otium, ſed data opera inuigilaſſe, ac vltimam manum impoſuiſſe video; quod & mirum cui quam videri debet, ſiquidem, vt differte Caſſiodorus: *duobus curis haud poteſt ingenium occupari*. Quid ſi curæ diſtrahant animum? vel quæque ſibi vendicet totum? Inſuper vt melius nouit eruditiſſimus Auctor, *Imperator vetat pluribus militijs dare nomen, aut duobus Magiſtratibus aſſidere; neque enim* (aiebat Quintilianus) *bona fide ſe intendere animus totum poteſt, & quocumque reſpexerit deſinit intueri, quod propoſitum eſt*. Nec plurium teſtium indiget cauſa, cum experientia compertum ſit, oculatiſſimos quoſque, & in agendo dexterrimos in ſingulis ſibi munijs demandatis, vel in ea quam pro viribus quiſque artem profitetur ad ignauiæ, vel inſcitiæ lapidem ſœpeſæpius offendere. Hinc vel maximè admirationi locus, quod nempe ſolertiſſimus, ac indefeſſus in forenſibus Curiæ negotijs iudex ac Conſiliarius, Regius cui nec in culmine honorum po-

L. 5, qui militares. C. lib. 12 l. vlt. C. aſſeſſ. Quintil. lib. 10. ca. 3.

ſito

ſto Momus ipſe næuum notauit, aut liuor edax dentem infixit, ſacræ Paginæ, Conciliorum, ac SS. Patrum lectioni adeò deditus ſit, vt inſcrutabilis apocalypſeos ſigilla iam dudum reſerauerit, ac Deiparæ immaculatam Conceptionem nouiter, ac efficaciter aſſeruerit. Quod vtrum que ſummo in rebus agendis ordine, ac irrequieta qua vacat libris meditatione aſſecutus facile eſt, hinc vel in otio negotioſus ſemper, & inter ipſa animi oblectamenta horis (vt vocant) ſuccifiuis labori non improbo, ſed probatiſſimo meditandi aut ſcribendi impenſe, ac opportune addictus. Memor illius moraliſsimi Senecæ afferti: *Alit lectio ingenium, & ſtudio fatigatum non ſine ſtudio tamen reficit.*

Ergo mirari iam deſino Iuris Antiſtitem, ac Aſtreæ Myſtam Theoſophiæ ſacræ inter ſcientias Reginæ ac veluti ſupremo Numini rite, ac ſolemniter ſemel, ac iterum litare quod in prophanæ ſapientiæ delubris de ſuo Parente narrabat Temiſtius: *Sæpe cum à ſacris Ariſtoteli faciendis inchoaſſet in Platonis ſacrificia deſinebat.* Satius, ac diuinius Auctor ſapientiſsimus ab Iuriſprudentiæ ſtudijs quę à primis annis profeſſus eſt in Deum deſinit Scientiarum Dominum, illum identidem cum Seuerino Boetio inclamans: *Orat. 2.*

Tu requies tranquilla pijs, te cernere finis,
Principium, vector, Dux, ſemita, terminus idem.

Finio ergo & de ſupremo Rerum Capitalium Prętore ac ſapientiſsimo ſacrorum commentariorum ſcriptore lubens ac libens illud apocalyp. enunciabo, *Et datus eſt illi calamus ſimilis virgæ.* De quo ad rem Rupertus. *Calamus ſimilis virgæ facultatem ſcribendi ſignificat cum Magiſterij auctoritate.* Vt enim nobiliſsimus commentator virgam Prætoriam manu geſtat, vt iuſtitiæ vindicē agat, ſic ſcriptorium calamum digitis prehendit, vt pietatis ſe gerat Aſſertorem, datus eſt enim illi calamus, ſimilis virgæ, vt *Apoc. c. 11.* *Rupertus ibi.*

ſimul

ſimul regat ac doceat, moueat, & iudicet. Quocirca nec integritati morum, cui ex munere conſulit, nec fidei ſanctæ indemnitati, quam vbique profitetur, minimum quid abſonum in hoc opere reperire eſt; imo cuncta, ac ſingula ita compoſita, ac digeſta, vt erga Deiparæ immaculatam Conceptionem pium orthodoxorum affectum promoueant, & in Dei gloriam maxime cedant. Ita cenſeo ſaluo meliori &c. in hoc D. Pauli Collegio, die 12. Decembris 1670.

Ignatio de las Reelas.

LICENCIA DEL GOVIERNO.

ATento a la aprobacion del P. Ignacio de las Reelas, Rector del Colegio de San Pablo deſta Ciudad, a quien lo remiti por decreto de veinte y nueue de Nouiembre deſte año, ſe concede licencia al ſeñor Doctor D. Diego Andres Rocha, Alcalde del Crimen deſta Real Audiencia de Lima, para que por tiempo de ſeis años pueda imprimir en eſtos Reynos vn libro tratado de la Puriſſima Concepcion de nueſtra Señora, y ſe prohibe a otra qualquier perſona de qualquier calidad que ſea que pueda imprimir el dicho tratado, pena de quinientos peſos de oro, y otras a mi arbitrio reſeruadas. Lima 13. de Diziembre de 1670.

Sebaſtian de Colmenares.

mi.

IUDICIUM R. P. M. F. NICOLAI DE Vlloa in Conuentu Sancti Augustini Prioris, & Cathedræ Theologiæ in Regia Academia Professoris.

DEcreto D. D. D. Christophori Bernaldo de Quiros Metropolitanæ Ecclesiæ Canonici, Vicarijq́ Generalis, & S. Officij Inquisitionis iudicis Ordinarij, & Consultoris, pari diligentia & admiratione perlegi aureum hunc librum inscriptum de purissima Deiparæ Conceptione, Authore D. Doct. D. Didaco Andrea Rocha quondam Regiæ Academiæ nostræ Cæsarei iuris Vesperario, eiusdemque semper ornamento & decore, cuius diu mirabilis ingenij dotes, insignesque virtutes, ardentissimum, præcipuè in Deiparæ purissimam Conceptionem, affectum mente reuoluo, pariterque contemplor, item sacrarum scripturarum locupletissimam suppellectilem, densissimam Sanctorum Patrum agmen, pulcherrimam Iureconsultorum siluam, omnia ex limpidissimis Græcorum & latinorum fontibus, magno iudicio hausta, tanquam dulcissimam lyram Authoris, velut cithara di calamo pulsatam (Maria sine originea labe concepta) resonantia; verius & sacratius de ipso, quam de suo Melibæo Mantuanus, cano.

Formosam resonare doces Amarillida siluas.

Cum ergo opus hoc sit lectionis multæ, vtilitatis

magna

magnæ, & sacræ doctrinæ, votisque fidelium maximè consentaneum, quid aliud adhibere potui, quam verba Senecæ apud Tacitum, quod studia hæc inpriuata vmbra (vt sic dixerim) educata, è quibus claritudo venit, publicam lucem accipiant. Sic sentio in hoc magno S. Patris nostri Augustini Conuentu die 1. Decembris anno 1670.

Fr. Nicolaus de Vlloa.

Licencia del Ordinario.

EL Prouisor de los Reyes, &c. Por la presente doy licencia para que se pueda imprimir el libro y tratado hecho en defensa de la Purissima y limpia Concepcion de N. Señora la Virgen santissima, por el señor Doct. D. Diego Andres de la Rocha Alcalde de Corte de la Real sala del Crimen, atento a que de la aprobacion desta otra parte consta no tener impedimento para ello. Dada en la Ciudad de los Reyes, en nueue de Diziembre de mil y seiscientos y setenta años.

Doctor Don Christoual Bernaldo de Quiros.

Por mandado del señor Prouisor, y Vic. gen.

Tomas de Paredes. Not. pub.

SAPIENTISS. ET REVERENDISS. Patris M. Fr. Ferdinandi de Araujo, Ordinis S. P. Auguſtini, ſacræ Theologiæ in Regali Academia Limenſi Moderatoris iudicium, & laudatio.

AUREUM tractatum, quem de Puriſſima Deiparæ Conceptione, haud niſi ſuperno irradiatus lumine, quippe profeſſione exterá Theologia noſtra, dexterrime concinnaſti: aureum inquam hunc tractatum, vbi Magnæ Matris præſeruationẽ ab originea labe, & â debito perſuades, auidiſſimè legendum accepi, oculiſque luſtraui lineas illas diuinitus litteratas, quæ intellectus mei aciem mira illuſtrarunt luce; ad quam conſpexi clarum, breue, facillimumque quidquid eruditiſſimi Theologi magnis voluminibus excuderunt. Recreauit ſtyli perſpicuitas: allexit placida eruditio: deuinxit vigoroſa ſoliditas; ac demum uelut miraculo obſtupui, animaduertens, Te ſapientiſſimum licet iuriſperitum, Theologicam tamẽ facultatem non profeſſum, adeò fœliciter in alienã meſſem falcem miſiſſe, vt in materia præ multis ſubtiliſſima, è ſelectioribus ſpicis manipulum contexueris, quem Beatiſſimæ Virgini, digniſſimæque Dei Matri, ſuauiſſimo amoris, ac deuotionis rore conſperſum, offerre tuto queas. Butrio, Panormitano, An-

dreæ Siculo, Ludouico Paramo, Nauarro, eximijsque alijs iurisprudentiæ viris, qui pro Sanctissima MARIA in causa de primæua illius puritate contra maculæ, seu origineæ ignobilitatis actores strenuè declamarunt, tuum calculum addidisti; sed sublimius, sed gloriosius, quippe (quod non illi) exceptionem etiã à debito originalis næui, communisque iacturæ, robustissimis legibus euicisti, vt Mariam ex integro & pleno plane sanctam, & almam demonstrares. Sic iudico, opus esse apprimè necessarium, & valde dignũ, vt in lucem prodeat, & ab omnibus accipiatur. Limæ 23. Decembris anno 1670.

Eximie Doctor, & Integerrime Iudex.

Amplitudinis tuæ perpetuus in Christo seruus.

Fr. Ferdinandus de Araujo.

ILLUSTRISS. DOM. DOCT.
D. PETRO DE VILLAGOMEZ
ARCHIEPISCOPO LIMANO, A CONSILIJS Regis Catholici Domini noſtri Caroli II. Hiſpaniarum, & Indiarum Monarchæ.

DOCT. D. DIDACVS ANDRÆAS ROcha hæc de Puritate Conceptionis Beatæ MARIÆ Dominæ noſtræ theoremata Offert.



ACCEPI Illuſtriſſime Domine litteras tuas, quibus paterna charitate, & ſingulari deuotione erga Deiparam, me inuitas ad publicandum nouum opuſculum, quod ſcripſi circa immunitatem Beatæ Mariæ à peccato originali. Verũ quis non trepidabit in re tam præclara? Ego præcipuè, qui noui ingenij mei imbecillitatem circa rem tam eximiam, tot ſæculis ſignatam, in qua adhuc Doctores perplexum habuere certamen. Pugnat cum mea obedientia tibi debita, prædicta conſideratio; pugnat etiam mecum inordinati operis ſtatus: nam quamuis aliqua circa materiam iſtam habeam congeſta, ea nondum ſunt bene ordinata, atque compoſita, nec iuſto eloquentiæ libramine cõmendata, ſed quaſi in indice adhuc retinentur. At quia neceſſarium eſt, imperio tuo aſſenſum non denegare, obſequentiſſimus voluntati tuæ indulgeo. Vereor tamen, ne tacitus quiſque dicat: mundiſſimam margaritam clauſit ſub panniculo inueterato; cur eam non locauit in vaſe au-

reo? Eloquentia non ne necessaria in re tam eximia? Fateor, quod fauus mellis sunt verba composita, & quod eloquentia, & rethorica exaltant opera, & sunt veluti poma aurea in lectis argenteis. Sed ab his me remouent maxime & frequentes officij curæ, item temporis breuitas, sicut & operis dignitas, hæc non permittunt affectare sermonem; præcipuè quia si verba componuntur, aut eleuantur, sensus veritatis amittitur. Claritate opus est in re tam difficili, necessaria, & à sæculis desiderata. Optatißimum mihi erat, opus ipsum dedicare Deiparæ; non desisto, ipsi Dominæ nostræ opus, & cor offero; Tibi Illustrißime Princeps secundariò, qui eximio doctrinæ cultu præcellis omnibus. Tãto enim virtutum cumulo illustraris: tot illustrißimi, & nobilißimi sanguinis prædicamenta in te relucent: tot insignes dotes dignas Principe exhibes, vt non sine re in subiectißimam tui venerationem optimus quisque procliuis, & promptus esse debeat. Enarrarem in præsenti, qua animi altitudine, qua singulari prudentia, qua consilij grauitate, qua rursum clementi benignitate, & in bonos omnes beneficentia, qua item clementia in pauperes, qua etiam insigni eruditione conspicuus habearis; sed non potest eam amplitudinem recipere epistolaris breuitas; sic dum taceo, maiora exprimo, æternamque beatitudinem tibi desidero, & expostulo. Offerrẽ labores meos Sanctißimo Clementi Nono Domino nostro; sed qui sum ego, qui me poßim sistere Sanctißimo Clemẽti, Petri successori, Christi Vicario? Ideo elegi alium Pontificem, te inquam, qui sanctitate, & doctrina refulges in Ecclesia Dei, vt per manus vigilantißimi Pastoris opus hoc deueniat ad aures Domini nostri Clementis. Vale.

CAPVT PRIMUM.

DE PECCATO ORIGINALI.

1 PRIMO quæritur, quid sit peccatum originale? & inuenio varias apud Doctores diffinitiones; nam Sanct. Dionysius de Eccles. hyerarch. cap. 2. inquit, *peccatum originale eſse habitum diſsimilitudinis ad Deum, in homine ingenitum.* Magiſter ſentent. diſt. 3. ait, quod *pronitas ad peccandum, dicitur peccatum originale.* Innocentius in cap. maiores de Baptiſmo, aſſerit, quod *illa macula ſeu ſordes ſit peccatum originale, cui eſt adnexa pronitas ad peccandum.* Abbas in d. cap. Maiores. §. verum, dicit, *peccatum originale eſse illud, quod ab initio conceptionis in inſtanti animationis contrahitur.* Item in dict. cap. Maiores, §. verum, dicitur, *peccatum originale eſſe illud, quod ſine conſenſu ex propagatione contrahitur.* Similiter in cap. ſi Iudas teneret, de pœnit. diſt. 4. docemur, quod *peccatum originale, eſt illud, quod ex ipſa trahitur origine.* Canoniſtę communiter aſſeuerant; *peccatum originale eſſe infirmitatem quamdam in carne, quæ tranſit in animam, quando carni incorporatur.* Alij affirmant, *peccatum originale eſſe debitum quoddam hæreditarium transfuſum in filios ex obligatione & tranſgreſſione primi parentis.* Tandem apud doctos & magnæ authoritatis iuriſtas, *peccatum originale eſt priuatio iuſtitiæ originalis.* Abbas in cap. conqueſtus de ferijs, dicit, quod *peccatum originale eſt quidam reatus, ſeu obligatio ad pœnam æternam, quæ prouenit ex peccato priorum parentum.*

2 Item ex præceptis noſtri iuris canonici, peccatum originale accidit naturæ ex coniunctione corruptæ carnis, & etiam appellatur infirmitas carnis, & languor naturæ, ſeu corruptæ carnis concupiſcentia, quæ verius animæ infirmi

tas

tas dici deberet, cap. illud relatum. §. itaque 15. q. 1. ibi: *Siue ex voluntate, siue ex infirmitate peccata procedant*. Item in quolibet indiuiduo generis humani, exceptis Christo, & sanctissima eius Matre, dantur tria. Primo pronitas ad peccandum: secundo macula, quam contrahit anima in infusione ad corpus per immixtionem carnis corruptæ: tertio reatus, seu debitum pœnæ æternæ, vt notant Glossæ, & Doctores vbi supra.

3 Effectus peccati originalis ponuntur in cap. firmissime de consecrat. dist. 4. vbi videas verba finalia, ibi: *Originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & natiuitate traxerunt*. Trahitur enim originale peccatum ex Adã, quia tunc considerabatur omnis homo cum illo, vt dicitur in cap. iam itaque 1. q. 4. sicut etiam rami dicuntur esse identice cum radice, & ex illo capite peccante peccatores nascimur, in eo peccauimus omnes, & peccatum illius primæ præuaricationis ad posteros hæreditario iure transmisit: ipse Adamus peccans, omnem suam stirpem in se ipso tanquam in radice sic vitiauit, vt omnes traherent ab ipso peccatum originale, vt docet Apostolus ad Rom. 5. *Sicut per vnum hominem in hũc mundũ peccatum intrauit, & per peccatũ mors, ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*. Vbi notes verbum illud *pertransijt*, ex quo colliges, paruulos non ideo dici reos, quia peccatum fecerunt, sed quia ab Adamo traxerunt: & illud peccatum primi parentis non in solo fonte mansit, sed inde pertransijt in omnes per carnem vitiatam genitos, ideo adiecit, *in quo omnes peccauerunt*, quia quando Adam peccauit, omnes nos in illo eramus, & tota humani generis massa in illo infecta erat peccati veneno, exceptis Christo, & Christipara, qui sunt antidota contra venenum.

4 Appellatur etiam peccatum originale in nostro iure canonico *fomes*, sed largo modo, sic debemus temperare hãc denominationem in principio caus. 15. q. 1. & ibi glossa.

verbo

verbo *quod autem*, nam fomes vere peccatum non est, quamuis post baptismum maneat fomes & concupiscentia, scilicet, ad agonem, vt legitime quisque certans coronetur, & hanc concupiscentiam Apostolus peccatum appellauit, non quod verè illa concupiscentia peccatum sit, sed tantũ quia ad peccatum inclinat, vt docemur in cap. si concupiscentia 15. q. 1. vbi gloss. verbo *habitat*, & ibi etiam glossella marginalis. De quo etiam docemur in sancto Concilio Trident. sessi 5. in decreto de peccato originali. Eodem loquendi genere in iure canonico, peccatum originale varijs nominibus demonstratur, ita glossa in cap. si Iudas. de pœnit. dist. 4. verbo, *originalia*, ibi: *Propter varias appellationes quas habet; dicitur enim lex membrorum, stimulus carnis, Angelus Sathanæ, languor naturæ, fomes*. Rationem reddit textus in cap. iteratur quotidie, de consecrat. dist. 2. ibi: *Quia licet omnia peccata donata sint in baptismo, infirmitas autem peccati adhuc in carne manet*, ad pugnam & agonem, vt dicit D. Augustinus in cap. per baptismum de consecrat dist. 4. quod etiam traditur in cap. non ex quo quis, eadem dist. 4. & cap. si peccatum Dauid, de pœnit. dist. 1. videas etiam de peccato originali textum in d. cap. firmissime 15. q. 1. cap. quid est, & cap. peccatum. de pęnit. dist. 4.

5 Queritur deinde, an ita generalis sit propositio quod omnes peccauerunt in Adam, exceptis Christo, & Maria, quod non detur alia persona humana, quæ excipiatur à regula? Dicendum, peccatum originale præter Jesum, & Mariam, in omnes alios Adami filios descendere vsque in cõsummationem sæculi. Hęc est firma conclusio sacrarum Scripturarum, Cõciliorum, & Sanctorum Patrum. Ita diffinitum est in cap. firmisime. de consecrat. dist. 4. ibi: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci*, & cap. placuit secundo in ordine de consecrat. dist. 4. ibi: *Quemadmodum Ecclesia Catholica vbique diffusa semper intellexit*

tellexit, & post pauca, *vt in parvulis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt*. & in cap. vt ostenderet, de consecrat. dist. 4. ibi: *Parvuli autem renascendo moriuntur illi peccato, quod nascendo contraxerunt*, idem dicitur in cap. quęris §. sed ex Adam. de consecrat. dist. 4. & in cap. quid est de pęnit. dist. 4. ibi: *peccatum originale à patribus trahimus*, & in cap. hanc societatem. §. omnes de pœnit. dist. 4. ibi: *Prius ex Adam peccatores nascuntur, & diabolicæ seruituti obnoxij*, & cap. hi duo vers. quia peccato de consecrar. dist. 1. & in cap. quorumdã. dist. 34. ibi: *Per inobedientiam in culpã protoplasti relabitur* nullus dicitur relapsus, nisi qui habuit in primo patre lapsũ. Est enim ptopter peccatũ Adami morti adstrictum totum genus humanum, & plaga serpentis omnes homines fuimus vulnerati, & omnis parvulus ab Adam carnaliter propagatus, contagium mortis in conceptione contraxit. Hoc firmum est; vnde damnatus fuit Pelagius, qui audenter asseuerauit, nullum esse peccatum originale, nec parvulos illud habere, subdens, quod non baptizantur parvuli quia in illis detur peccatum originale, sed tantum baptizari, vt recipiantur in gratiam filiorum Dei, quem errorem aliquomodo secuti sunt Armenij, & eidem errori fauent Albanenses, qui omnes negant peccatum originale contra manifestissimas Ecclesiæ regulas. Sed & Erasmus Roterodamus suspicionem non mediocrem præbuit, se male sentire de peccato originali, nam in annotationibus super novum testamentum, explicans illud Pauli: *in quo omnes peccauerunt*, affirmat, ideo Apostolum docuisse, omnes in Adam peccauisse, quia quando homines peccant, imitantur Adamum, vnde infert, peccatum Adami non propagatione, sed imitatione transfundi. Fallitur Roterodamus, quia in primo nostro parente peccauimus omnes, & per naturę succesionẽ, culpæ quoque ab vno in omnes trãsfusa succesio est. Adam in singulis nobis est, in illo conditio humana deliquit. Nuda fuit in primo illo homine

huma-

humana conditio, omnibus vestimentis exuta, carens amictu naturæ bonæ, & immotalitatis, ac innocentiæ spoliata velamine.

6 Deinde, si, vt delirat Erasmus, tantum peccant per imitationem, non per propagationem hi, qui descendunt ab Adam, quomodo peccatum inuenitur in infantibus statim ab vtero? nam tunc non imitantur Adamum in peccato actuali, & sic non daretur in eis peccatum originale, contra id quod dicit Scriptura 3. Reg. cap. 8. *Non est homo, qui non peccat*, & verè paruuli sunt homines. Item Apostolus inquit, quod in Adam omnes peccauerunt, etenim, cum paruuli non habeant peccatum actuale, & omnis homo sub vitio sit, ex cap. si enim de pœnit. dist. 2. necesse est, quod detur peccatum originale in paruulis, quod etiã illo argumento comprobatur; nam paruuli sustinent dolores, patiuntur famẽ, & sitim, vexantur sæpissime à dæmonibus; omnia quidem signa sunt peccati originalis, ex quo hæc omnia dimanarunt, ad quod etiam expendo Psalm. 50 ibi: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis cõcepit me mater mea*, ac si diceret Propheta, ideo misereri mei debes, quia non ex malitia, sed ex infirmitate peccaui, nam si in eo non daretur peccatum in conceptione, quenã erat illa iniquitas, vel peccatum, quod in vtero matris recognoscebat? Huic proximus est alius locus Sãcti Iob, cap. 10 *Memento quæso, quod sicut lutum feceris me*, optima equidem comparatio hominis ad lutum, quasi diceret: homo factus est sicut lutum; sic cum anima corpori eius infunditur, resultat compositum, veluti cum aqua miscetur terræ, ex qua mixtione conflatur lutum, quod est homo. Fortiter conueniebat Deum sanctus Iob dicens: non me condidisti velut aquã solam, quæ pura est sine substantiæ extraneæ admixtione, & licet animam mihi dedisti, quæ pura est substãtia & spiritus, dedisti etiam terram corporis, & huic terræ animam adiunxisti, ex cuius cõiunctione anima contraxit im-

mundítiam, tanquam fons, qui per immundum alveum trāsit, & sic anima ad terrena appetenda deprimitur; quod etiam expressit Idem Iob cap. 6. *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est*, quasi dicat: vt lutum fecisti me, non vt lapidem, nec vt æs, aut ferrū: sic in omnibus regnat peccatum originale, vt etiam dicitur in Trident. sess. 6.

7. Item quæritur, quo tempore peccatum originale homini hæret, vel quando cum natura humana coalescit, & in quo radicatur: an in anima, an in corpore, an in ipsa vnione corporis, & animæ? Est enim articulus perplexus, in quo D. August. lib. 1. de moribus cap. 22. apud Becanum in summ. Theolog. 2. p. tract. 2. cap. 9. q. 8. n. 1. affirmat, nullā rem esse difficiliorem, quam investigare modum, quo peccatum originale traducatur; & in epist. 29. ad Hieron. subiungit: *Sufficere nobis, vt sciamus modum, quo quis liberari possit à peccato originali, etiam si nesciamus modum, quo inciderit in illud.* Item lib. 5. contra Iulianum Augustinus statuit duos modos, quibus peccatum originale contrahatur, primus, quod *anima, & corpus simul vitiata trahantur ab Adamo*, secundus; *vt anima in corpore, tanquam in vase vitiato corrumpatur.* Habet etiam alium locum difficillimum tom. 3. de Genesi ad litteram lib. 10. cap. 11. explicans illa verba *in quo omnes peccauerunt*, ibi: *Ex his verbis Apostoli, qui defendunt animarum propaginem, sententiam suam sic astruere videntur: Si secundum solam carnem, inquiunt, potest intelligi peccatum vel peccator, non cogimur in his verbis, ex parentibus animam credere: Si autem, quamuis per illecebram carnis non tamen peccat nisi anima, quomodo accipiendum est, quod dictum est: in quo omnes peccauerunt, si non ex Adam etiam anima sicut caro propagata est? Aut quomodo per illius inobedientiam peccatores constituti sunt, si tantum secundum carnem, non etiam secundum animam in illo fuerunt? Cauendū, ne vel Deus videatur author peccati, si dat animam carni, in qua eam peccare necesse sit; vel possit esse anima, cui liberandæ à peccato non sit christia*

na gratia necessaria, quia non peccauit in Adam, si omnes in eo peccasse secundum carnem tantũ, quæ de illo creata est, non etiã secundum animam, quod vsque adeò contrarium est ecclesiasticæ fidei, vt parentes ad percipiendam gratiam baptismi cũ paruulis suis currant, in quibus si hoc vinculum peccati soluitur, quod tãtum modo carnis, non etiã quod animæ est, merito quæritur, quid eis obesset, si in illa ætate de corpore sine baptismo exirent? Si enim per hoc sacramentum corpori eorũ & non animæ consulitur, deberent, & mortui baptizari; at cum videamus, hoc Ecclesiã retinere, vt cum viuentibus curratur, & viuentibus succurratur, & cum mortui fuerint, nihil possit fieri, quod prosit: ñ videmus quid aliud possit intelligi, nisi vnumquemque paruulũ non esse nisi Adam, & corpore, & anima, & ideo illi Christi gratiam necessariã. Ætas quippe illa, in se ipsa nihil egit vel boni vel mali, proinde ibi anima innocentissima est, si ex Adã propagata ñ est. Quisquis istam sententiã de anima tenens, potuerit demonstrare, laudandus est. Scio animã nõ creari ex traduce, cap. quod vero 32 q 2. vbi gloss. verb. *animatum*, sed omnes fuimus in Adami corpore, quia radix physica, & origo nostra fuit secundũ carnẽ, vt dicitur in c. lex diuinę 27. q. 2. ibi: *Protoplastus ille radix, & origo nostra:* fuimus etiam in Adã moraliter in anima, quia Deus alligauit in eo homine animas nostras, idest, voluntates, eo modo quo dicit Augustinus, *vnumquemque paruulũ esse in Adã corpore, & anima,* de quo dicemus infra.

8 Insignis Doct. Pater Becanus vbi supra ponit peccatum originale in anima, non in corpore, subdẽs, quod licet anima creata sit à Deo sine macula, hoc ipso, quod per generationem vnitur corpori, in illam transfunditur peccatum originale, per moralem efficientiam prioris peccati ab Adamo commissi, in quo alludit ad id quod dixit D. Augustinus in lib. de peccato orig. quod *peccatum originale contrahitur per contagionem animæ ad corpus,* & Diu. Anselmus de Concept. Virg. cap. 7. ibi: *In Adam omnes peccauerunt, quãdo ille peccauit, non quia tunc peccauimus, sed quia de illo futuri*

eramus, & tunc facta est illa necessitas, vt cum essemus, peccaremus. In iure canonico habemus glossam, verbo mortalem in cap. placuit. de consecrat. dist. 4. ibi: *Solet quæri, quare peccatum originale imputetur animæ, cum illud contrahatur tantum ex carnis corruptione? Solue, dicunt quidam, quia anima delectatur ipsi carni, & ideo ei imputatur. Alia ratio & melior, vt ibi digna quædam retributio notetur; quia anima primi hominis prius peccauit, & ita corrupit ipsam carnem, vnde & modo corruptio carnis corrumpit animas.*

9 Angelicus Doctor 1. 2. q. 83. art. 1. disputat, an peccatũ originale sit magis in carne, quam in anima? & docet, peccatum originale, vt in prima causa esse in Adam; vt in causa instrumentali esse in semine corporali non in carne; vt in subiecto ratione pœnæ esse in anima. Addit, quod animæ infusio prout dicit ordinẽ ad Deum, non est causa peccati, sicut nec Deus; sed quod in ordine ad carnem, cui infunditur anima, illa infusio est causa peccati. Item q. 81. art. 1. docet, quod peccatum Adami transit in posteros, nõ ex traduce, id est, ex semine infecto, ex quo oriatur anima, nec quia defectus seminis traducatur in prolem, sed tantum quia datur inordinatio voluntaria, voluntate Adami mouentis per generationem omnes posteros, qui sunt veluti membra eius, sicuti voluntas mouet omnia membra.

10 Ex superiori principio pendet illa controuersia, an peccatum originale sit in voluntate infantis, vel in essentia animæ? de qua videndus Pater Granados tract. de Cõcept. cap. 2. & textus in cap. maiores. §. 1. de baptismo. In sententia probabili causa instrumentalis ad traducendũ peccatum in posteros, est semen paternũ, quatenus medio illo filius generatur, ita vt in semine paterno sit quoddam vitium, seu infectio proueniens ex peccato primi parentis, ex illo Iob: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* & D. August. lib. 2. de nupt. cap. 8. dicit, inesse semini vitiũ, quod deriuatur ad posteros. Nec obstat, quod cor

pus-

pus ante animationem non est capax peccati; item anima ante quam corpori [illegible] infundatur, peccatum non habet; quia respondet P. Granados vbi sup. [illegible] *Carnem esse infectam, & maculatam per peccatum, & ideo quando anima [illegible] maculari, & contrahere originale: sensus enim est, carnem esse vitiatam, quia descendit ab Adamo peccatore per naturalē generationem, & est priuata omni illa perfectione, quam habebat ex iustitia originali, & simul obnoxia culpæ, cum primum habuerit animam. Ex quo optime infertur, animam, cum primum infunditur carni, debere contrahere originale, quia simul cum carne cōstituit filium Adami præuaricatoris, & reum eiusdem culpæ.*

11 Ego iuxta terminos nostri iuris canonici rem ita constituo, vt peccatum originale contrahatur in vnione corporis & animæ. Vnio illa in causa est, vt contrahatur originale. Habemus huius rei familiare, & aptissimum exemplũ in grano tritici, quod satum est, ex quo & ex terra nascitur spica tritici. Si quæramus, vnde veniat palea, an ex terra, vel ex grano? Respondebo, neque granum, neque terrã ex se habuisse paleam, illamque ex vnione, & incorporatione grani & terræ promanasse: nam in seminibus non peccat terra, quæ confouet, neque semen peccat, quod in sulcis iacitur, neque etiam humor, vel calor, quibus temperata frumenta in germen pullulant, & tamen nascitur vitium illud paleæ in spica. Certè hoc facit vnio seminis & terræ, quam similitudinem affert glossa in cap. si baptizata. de consecrat. dist. 4. verbo, *qui ab eo*, ibi: *Ex mundo patre immundus nascitur, ex frumento puro nascitur impurum, scilicet cum palea*, & hac ratione inquit textus, quod filius baptizati debet baptizari, quamuis in Patre sublatum sit peccatum originale per baptismum, & hanc similitudinem affert Diuus Augustinus de verb. Apost. serm. 14. ibi: *Pone baptizatum, tanquam granum purgatum: non attendis, quia de grano purgato nascitur frumentum cum palea, sine qua seminatum fuerat.* Sed ego putabam, quod ideo filius baptizati

debet baptizari, quia originale, non tam à Patre, quã à primo parente deriuatur; in eo homine posuit Deus voluntates nostras, circa quod est omnino videndus Pater Rodericus de Arriaga tom. 1. in 1. 2. disput. 31. sect. 5. & presertim subsect. 2. Processit Deus cum Adam, sicut solent legislatores, qui aliquando decernunt, ciues perdere libertatem, si Rector eorum contra maiestatem delinquat: tunc enim creduntur alligatæ ciuium voluntates in proditione illius Rectoris.

12 Obstat tamen textus in cap. maiores. §. verum de baptismo, vbi dicitur, quod peccatum originale sine voluntate & consensu contrahitur, ergo non est ponenda volũtas nostra in Adamo. Respondetur, quod in rei veritate posteri Adami non consenserunt in illa prima præuaricatione; id est, voluntas posterorum non fuit in voluntate Adami in sensu positiuo, & physico, sed solum in sensu interpretatiuo, & morali, de quo infra dicemus; & cum omnis eius filius vnum esset cum illo, tanquam in radice intelligitur posita omnium voluntas in Adam, maxime ex corruptæ carnis communicatione, argumento textus in cap. filius. de consecrat. dist. 4. ibi: *Vt in carne peccati culpa solueretur & pœna*: præcipue, cum Deus qui posuit voluntates nostras in illo primo patre, maiorem potestatem habeat in nostra voluntate, quam nos ipsi.

13 Non discedamus ab illa similitudine grani & terræ, nam ex illa similitudine frumenti puri, quod ex vnione terræ nascitur impurum cum palea, infertur recta similitudo ad peccatum originale, licet enim caro ipsa, vel semen ante infusionem animæ non sit capax peccati, quamuis veniat infecta, & multo minus anima ante vnionem nõ contrahat peccatum, velut creata à Deo, neque anima extet ex alia anima, neque descendat ab Adamo per traducem, ex cap. quod vero 32. q. 2. verbo, *animatum* nihilominus ex vnione animæ & corporis accedit vitiũ illud origi-

nale;

uale; in illa vnione totum compositum homo, & carne et anima subsistens, contrahit hoc peccatum, argumento textus in cap. si baptizata de consecrat, dist. 4. vbi glossa. verbo, *non de nouitate*, ibi: *Quia anima non extat ex anima, sicut caro ex carne per traducem*, Iuncto textu in cap. Moyses 32. q. 2. & his quæ diximus. n. 11.

14 Deinde iuxta regulas nostri iuris canonici, peccatum originale est infirmitas carnis simul & animæ, vt in cap. illud relatum 15. q. 1. ibi: *Itaque, siue volũtate, siue ex infirmitate peccata procedant. palam est illa imputari, est enim languor naturæ, qui carnis concupiscentia appellatur; quæ verius animæ infirmitas dici potest; sed ideo carnis infirmitas dicitur, quia accidit animæ ex coniuncta carnis corruptione.* Vnde videtur ex vnione, & coniunctione carnis corruptę ad animam, vel ex infirmitate naturæ nobis peccatum imputari.

15 Illud argumentum obstat contra peccatum originale, quod filius non portabit iniquitatem patris, Ezechiel cap. 18. vers. 20. vbi etiam dicitur: *Anima, quæ peccaueuerit, ipsa morietur*, quæ authoritas elucidatur in cap. Iudæi. & in cap. iam itaque 1. quæst. 4. & in nostro iure ciuili habemus textum in l. crimen 26. ff. de pœnis, ibi: *Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest, nam vnusquisque ex suo admisso, sorti subijcitur, nec alieni criminis successor constituitur*, & ita videbatur non esse communicãdum peccatum Adami, neque iure hæreditario ad posteros deriuari. Hanc difficultatem agnouit Diuus Augustinus in cap. quæris. de consecrat. dist. 4, & respondet, quod quoties filius separatus est à patre, id est, separatim viuens, tunc ei non nocet peccatum patris, ibi: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, sed vero ex Adam traxit, quod sacramenti illius baptismi gratia solueretur, quia nondum erat anima separatim viuens, id est, altera anima, de qua diceretur, & anima patris mea est, & anima filij. Iam itaque cum homo in se ipso est, & ab eo, qui genuit, alter effectus, peccato alterius sine sua conscientia*

non tenetur obnoxius. Eadem repetit Doctor sacer. in cap. iam itaque 1. q. 4. ibi: *Iam itaque cum homo in se ipso, ab eo qui genuit eum, alter est effectus, peccato alterius sine sua consensione nõ tenetur obnoxius. Traxit ergo reatum, quia vnus erat cũ illo, & in illo, à quo traxit, quãdo quod contraxit, admissum est. Non autem trahit alter ab altero, quando sua vnoquoque propria vita viuente, iam est.* Pulchra sunt eiusdem Augustini verba lib. 3. de peccator. merit. cap. 7. ibi: *In Adam omnes peccauerunt, quando in eius natura illis insita, in qua eos gignere poterat, adhuc omnes vnus ille fuerunt; sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias.* De hoc etiam docemur in cap. 1. 24. q. 3. ibi: *Quæcũque peccata parentes commisserunt, filius, ex quo personaliter ab eis separatus fuerit, ei non imputantur ad pœnam, vnde peccato Adæ ideo omnes posteri teneri dicuntur, quia nondum aliquis ex illo materialiter fuerat proseminatus.* Vide etiam textum in cap. si habes 24. q. 3. et textum in cap. si primi. de pęnit. dist. 1. cap. diuina de pęnit. dist. 4. ibi: *Illis parentum iniquitas redditur, qui propterea puniuntur, quia in radice traxerunt amaritudinem peccati.*

16 Admonendi sumus, per baptismum expiari, et tolli peccatum originale, vt in cap. firmissimè, et in cap. per baptismum. de consecrat. dist. 4. vnde D. Augustinus lib. de fide ad Petr. Diacon. inquit: *Paruulis vero, qui nec propria voluntate credere, neque pœnitentiam agere possunt pro peccato, quod originaliter trahunt, sacramentum fidei, quod est Sanctum baptisma, sufficere ad salutem.* Olim in lege scripta proficiebat circumcisio ad remissionem peccati originalis, vt probat textus in cap. ex quo de consecrat. dist. 4. ibi: *Ex quo instituta est circũcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum fidei iustitiæ Dei, ad sanctificationem purgationis valebat paruulis originalis, veterisque peccati; sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo constitutus est*, idem in cap. diuina clementia. de pęnit. dist. 4. vbi agitur de circũcisione tempore legis, ibi: *Sacramento circumcisionis ab originali*

ginali

ginali peccato se mundatum cognosceret. Habemus eadem in cap.maiores. §.cautè. de Baptismo.ibi: *Originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium*. Et Diuus Gregor.in moralib.lib.4.in Iob cap.2.relatus in cap.quod autem.de consecrat.dist.4. hæc adiecit, *Quod autem apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides; vel pro maioribus virtus sacrificij; vel pro his, qui de Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis.*

17 Nota, quod licet per baptismum soluatur culpa originalis, vt nuper diximus, & statuit textus in cap.maiores.§.cautè de baptismo, si tamen adulti accedant ad baptismum fictè, vel impœnitentes, non operatur tunc baptismus suam virtutem, quia licet efficax sit baptismus ad tollenda omnia peccata, iuxta illud: *Baptizetur vnusquisque in remissionē peccatorum*, emergeret repugnantia, quod remitteretur originale peccatum in his, qui fictè accedunt, & non remitterētur actualia, vt dicit text. in d.cap.maiores. §. sed adhuc quæritur, ibi: *Pœna originalis peccati est carētia visionis Dei: actualis vero pœna peccati, est gehennæ perpetuæ cruciatus: vnde si dimitteretur alicui primum altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum, & cruciaretur in gehenna perpetuo propter reatum criminis actualis. Sed hæc tanquam incompassibilia se se minime patiuntur, imo sibi mutuo aduersantur*; & de hoc puncto videndus est omnino textus in cap.quomodo.§.his qui ficto.de consecrat.dist. 4. in illis verbis: *Hi qui ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittuntur, quia spiritus disciplinæ effugiet fictum, aut in ipso temporis puncto per vim sacramenti dimissa, iterum per fictionem replicantur.* Cui textui adiungas alium mirabilem in cap.tunc valere.de consecrat.dist.4.ibi: *Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseuerante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri.*

18 Item nota, quod per mortem Domini nostri Iesu Chri-

sti deletum est chirographum, quo diabolo ex peccato primi parentis tenebamur obnoxij, vt dicit Apostolus, quod intellige, si consepulti in morte ipsius Redemptoris simus per baptismum, vt alibi etiam dicit Apostolus, & de hoc etiam admonemur in cap. 2. de consecrat. dist. 4. & in cap. scire debet 76. dist. ibi: *Post Domini Passionem, remisso totius culpæ debito, chirographoque euacuato, ab omni nexu liberi suscipimus in nos gratiam Spiritus Sancti*, quod intelligunt Doctores per baptismum. Apud nos iuristas cancellato instrumento, liberatur debitor, l. si chirographum, ff. de probationibus. Sed non absolutè sic habendum cum peccato originali, nam licet deleatur quoad culpam, manet tamen fomes, vel infirmitas carnis ad agonem, & ad pœnam, vt dixi supra, & notatur in dict. cap. maiores. §. cautè, vbi glossa, verbo, *culpa*, & habemus glossam in cap. ille Rex. de pœnit. dist. 3. in verbo, *deletur*, ibi: *Deleta scriptura, charta remanet, similiter, deleta culpa originali in baptismo, remanet ipsa iniquitas, id est, fomes peccati ad pœnam tantum, non ad culpam.*

19 Nota ex Diuo Augustino lib. de fide ad Petr. Diacon. cap. 25. quod primi parentes sine peccato fuerunt creati cum libero arbitrio ad benè operandum, sic tamen vt possent, si vellent, propria uoluntate peccare, & ipsi non necessitate, sed propria voluntate peccauerunt, & illo peccato sic in deterius mutata fuit humana conditio, & natura, vt omnes posteri in dominio mortis, & peccati nascerentur; sic in illo curvata fuit humana natura, vt pulchrè dicit Religiosissimus Fr. Ludouicus de Granada: *Quedò encorbada, y corcobada la naturaleza humana en el pecado del primer hombre, y sòlo la endereçò Christo nuestro bien*, In præuaricatione Adæ omnes homines innocentiam perdidimus, vnde Ezech. cap. 18. *Patres comederunt vvam aceruam, & dentes filiorum obstupescunt.* Et Ieremias thren. 7. *Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus.*

nimus. Neque per nos possumus de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium consurgere, nisi nos gratia Dei miserantis erexerit, vt dicitur in cap. penult. de consecrat. dist. 4. Liberum arbitrium Adam perpessus, dum suis inconsultè vtitur bonis, in præuaricationis profunda demersus est, & nihil inuenit vnde posset exurgere, suaque in æternum libertate deceptus, huius ruinæ suffunderetur opresione, nisi eum Christi pro sua gratia releuasset aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem præteritum vitium sui baptismatis lauacro purgauit. Non fuit illa ruina nociua tantum protoplasto, sed etiam nobis, vt dicit Diuus Ambrosius: *Diabolus Euam decepit, vt supplantaret virum, obligaret hæreditatem.* Et Diuus Augustinus de peccato origin. contra Pelag. ibi: *Si nunc primum illa cognoscis, si de peccato primi hominis, quod eo sint obligati qui carnaliter generantur infantes, nec eo nisi spirituali regeneratione soluuntur.* Sumus enim successores & hæredes ac debitores noxiæ hæreditatis, & licet non consenserimus positiuè in illo peccato, quia tunc non existebamus, tamen moraliter adfuit nostra voluntas ex dispositione creatoris nostri, qui per altum & supremum dominium, nostras voluntates alligauit voluntati primi patris, vt diximus supra.

20 Illa difficultas semper ingenia torsit, scilicet, quod voluntas hominis adeò libera est, vt homo sit suæ voluntatis moderator, & arbiter, nec Deus voluntatem compellit, quamuis eam multoties dirigat, ducat, atque disponat, ergo si nostra voluntas non fuit positiue in Adamo, non videtur dicendum, quod consensimus in illa præuaricatione, saltim moraliter. Nec stare potest, præsupposito libero arbitrio, quod Deus compellat voluntatem, quia tunc daretur *velle, & non velle*, quod repugnat. Sed quamuis hæc difficultas grauis reputetur propter inuoluntarium nostrum in illa præuaricatione; tamen verè dicendum

dum eſt, voluntates noſtras fuiſſe alligatas in Adã, ad quod expẽdo verba D. Auguſt. tract. 29 in Ioan. cap. 7. ibi: *Quid enim tam tuũ, quam tu & quid tam non tuum, quã tu, ſi alicuius es, quod es?* Quid enim tam proprium tuum, quã tu ipſe, & quid minus proprium tuum quam ipſe tu, cum ſis totus tui Domini, ideſt, Dei: ex quo infertur, potiori iure Deum eſſe Dominum noſtræ voluntatis, quã nos metipſos; nec quia donauit nobis liberum arbitrium, ſtatim abdicauit à ſe poteſtatem, & iuriſdictionem, quam habebat ſuper illud. Et quamuis certum ſit, quod quando poſſumus vti noſtra voluntate, & libero arbitrio, tunc non poſſit Deus efficere, vt vellimus liberè aliquid, ad quod conſenſum denegamus; attamen quando ſumus in ſtatu, quo non poſsimus contradicere, ſicut contigit, quando fecit pactum cum Adam; tũc potuit Deus tanquam Dominus vniuerſalis, & abſolutus ponere noſtras voluntates in Adam, eadẽ efficacia, ac maiori, ac ſi nos ipſi in eo homine voluntates noſtras collocaremus. In præſenti non incongruè vtimur exemplo tutoris, cuius authoritati, & conſenſui voluntas pupillorum adiungitur, poteſtate Regia ita decernente, vt probat textus in l. impuberes 13. ff. de authorit. tutor.

21 Superiorem doctrinam comprobat Reuerendus Magiſter Fr. Benito de la Serna, Generalis ordinis Sancti Benedicti in ſuo triumpho Mariæ 1. p. §. 2. à n. 3. vbi Hiſpano idomate ſupradicta confirmat, & ſubiungit. n. 5. poſt appoſitum exemplum tutoris, cui alligatur voluntas pupillorũ, ibi: *A la meſma traça, eſtando toda la humana naturaleza, in lumbis Adæ, depoſitada en Adam como en primer cabeça y principio ſuyo, ſin tener por entonces otra boca que pudieſſe hablar por ella: Dios dueño aun de las miſmas voluntades, le ſeñalô en todo a Adam por ſu tutor, formandole y pintandole para eſſo, como de ſu mano, dandole ciencia infuſa y conocimiento de todo, y enriqueciendole con tantos dotes y dones de naturaleza, y de gracia, que a tener ſer por entonces, pudiera y debiera prudente-*

mente

mente comprometer, y ponerse en su voto y voluntad toda la humana naturaleza: Y porque aun en el hombre mas perfecto a carrera tirada de vna larga vida, parece que es impossible, siendo de barro, que no quiebre: no puso la tutoria en el progreso de toda ella, sino en los primeros actos, quando estaua la naturaleza mas fuerte, reciẽ sacada de las manos de tal artifice. Y prosigue en el n. 8. ibi: *Saco yo de aqui muchas cosas, que vienen a nuestro proposito; que solo el proprio dueño de vna voluntad, y Dios que es mas dueño, y señor absoluto de todas, que los proprios dueños, puede disponer de ellas como quisiere,* &c per totũ §. 2. doctissimè probat assertũ antecedens, et qualiter Deus nostras voluntates alligauerit in Adã, quod etiã repetit in §. 13. n. 12. ibi: *Quando en la generacion entra como dormida el alma, aquella voluntad, que tuuo en la raiz pone su efecto, y se le pega, dandole lo inficionado todo, de la forma de carne, y como el alma que la dà, viene estragada desde su primera raiz, haze luego que el sugeto es capaz, que quede la carne infecta.* Videtur alludere ad dicta Sancti Anselmi lib. de Concept. Virg. cap. 7. ibi: *In Adam omnes peccauerunt, quando ille peccauit, non quia tũc peccauimus, sed quia de illo futuri eramus, & tunc facta est illa necessitas, vt cum essemus, peccaremus.*

22 Sequitur, quod in peccato originali non punitur homo tantum pro peccato alterius, sed etiam pro proprio peccato, vt dicit Alex. Halens. in 3. p. summ. q. 41. memb. 4. art. 1. Erat enim vnusquisque nostrum in persona, aut saltem in radice, cum primus delinqueret parens, & quia sic in illo eramus, & consensimus interpretatiuè in omnibus, quæ tunc ab illo gerebantur, ideo & in ipso non tantũ originaliter, quinimo & voluntariè peccauimus, vt dicunt Doctores Theologi post Magistrũ in 2. sentent. dist. 30. His accedat cõsideratio Dñi Hangesti in suis moralibus de liber. ad bonit. cap. 6. ad argum. 18. dicentis, quod si tota humani generis potestas tunc interfuisset, iustitiam originalem dari Adamo consensisset, ea conditione, quod omnes, qui

de eo essent descensuri, eius quoque iustitię existerēt participes, vnde nunc originalis carentia iustitiæ, dicitur paruulis interpretatiuè voluntaria; & addit, quod consensissent omnes, vel consentire debuissent, considerata Dei altissima ordinatione, constituentis Adam totius posteritatis caput, & ideo dixit Apostolus: *Adam, in quo omnes peccauerunt.*

23 An autem peccatum originale consistat in priuatione iustitiæ originalis, aut gratiæ sanctificantis, vel in priuatione rectitudinis debitæ in esse actui Adā, est materia Theologica, ardua & difficilis, committenda Magistris Theologis, circa quod memini, me aliqua dixisse in capitibus sequentibus. Illud tamen non omittam, quod S. Anselmus lib. 1. de Concept. Virg. cap. 27. videtur sentire, originale peccatum consistere in priuatione iustitiæ originalis, ibi: *Per peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi factam per inobedientiam Adæ, iustitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes sunt filij iræ,*

24 Item peccatum originale est fons, & origo peccatorū, & sic ab Adam trahimus naturam corruptam, & fragilem, & ad peccandum pronam & procliuem; sic ad peccandum trahimus ab illo fonte fragilitatem, & fomitem, concupiscentiam & corruptionem; ita docemur in cap. si concupiscentia 15. q. 1. & notatur in cap. si Iudas. de pœnit. dist. 4. Quam pulchrè facer Doctor Ecclesiæ D. Augustinus in Inchirid. ibi: *Primus homo per peccatum exul effectus, stirpem quoque suam peccando in radice vitiauit, & pœna mortis & dānationis obstrinxit, vt quidquid prolis ex illo, & simul damnata, per quam peccauerat, coniuge, per carnalem concupiscentiam nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores, doloresque diuersos ad illud extremum cum desertoribus Angelis vastatoribus, & possessoribus, & consortibus suis, sine fine supplicium,*

25 Tandem inter alia admonendi sumus cum D. Augusti-

no

no, in epist. 105. quod peccatum ex Adam trahimus, & id factum est propter pactum initum inter Deum & Adamum, quo promisserat Deus eius posteris gratiam originalis iustitiæ, si ipse Protoplastes in ea permansisset; & ex cõtrario maledictionem, mortem, & peccati transfusionem, si pacto, legi, & præcepto imposito de non comedendo de ligno scientiæ boni & mali, non obtemperaret. Duæ res continebantur in pacto, quæ ad præmium & pœnam per antitheton referuntur; nam sicut originalis gratia, vel iustitia, quæ data erat Adamo, præcisa ratione pacti, non poterat, nec debebat ad posteros descendere: sic econtrario nõ transiret peccatum, nisi pactum interfuisset. Rursus, eo pacto se voluit Deus obligare ad dandam iustitiam originalem omnibus ab Adam generatis, si ipse non peccaret; & econuerso, omnes in Adam obstricti fuimus, in transgressione, ad peccatum, cap. quæris. de consecrat. dist. 4. cap. vt cognouerunt, & cap. quomodo renouari, cum sequentibus de pœnit. dist. 2. Et data est originalis iustitia Adamo, non tantum vt esset donum personale respectu ipsius, sed etiam vt esset donum naturæ, per generationem in nos virtute pacti transfundendum, vt docet D. August. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 27. Et quemadmodum omnes habuimus ius ad iustitiam originalem in Adam, veluti in nostro capite, & origine, ita & peccatum originale ab illa radice dimanat, vt in scriptura legimus. Oseę cap. 6. ibi: *Ipsi sicut Adã transgressi sunt pactum; ibi præuaricati sunt in me.*

CA-

Capvd Secundum.

FVNDATVR EXVLTATIONE VNIuersæ terræ immunitas, siue præseruatio Beatæ Mariæ à peccato originali.

1 
VIBVS encomiorum verbis dignitatem Deiparæ describam? quibus laudum significationibus, atque præconijs immaculatam eius formam celebrabo? Quibus spiritualibus cāticis, atque elocutionibus gloriosissimam inter Angelos glorificabo? Rem magnam aggredior, adhuc cœlitibus formidandam. Mariæ enim nomen, & puritas de thesauris Diuinitatis euoluitur, cuius laus omnem prorsus laudem excedit inter creaturas. Quid miser scribam cū sim puluis & cinis, peccator, & in peccatis conceptus, & natus? Vereor ne tacitus quisque mihi respondeat: *peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas.* Sed cum multoties quis habeat per alium, quod per se habere non potest, vt notatur in l. si is, qui duos. ff. de liberatione legata quamuis agnoscam incapacitatem meam, in Deipara est auxilium meum, cuius fauore, & ope ad desideratum portum peruenire confido.

2 Vela iam ventis demus, & in primis obseruo, quod adeò generalis est totius orbis, & Ecclesiæ Catholicæ consensus in celebranda puritate Conceptionis Beatæ Mariæ, vt simul Pontifices, Patriarchæ, Episcopi; Reges, Principes, Regna, Prouinciæ, Ciuitates, Populi, Vniuersitates, Doctores, Religiosi, & etiam Patres Prædicatores in vnam deueniant, eamdemque consonantiam, publicè prædicantes originalem Virginis puritatem: & de hoc consensu vniuersali iam diu nos admonuit Eximius Doctor Franciscus Sua

rius 2.tom. Diui Thom.3.part.q.27.disp.3.sect.5. & noster Ceuallos commun.q.546.n.18. sic cum deuentū est ad commune, & generale placitum fidelium, hic vsus suo iure expostulat diffinitionem mysterij à Summo Pontifice faciē dam. Omitto, quod de iure cæsareo, & ciuili vsus communis, & consuetudo populi pro lege habeatur. l. de quibus. ff. de legibus, & de iure canonico, idem constituitur. cap. consuetudo. dist. 1. in tantum, vt quamuis in negotio diffiniendo deficiat diuinæ scripturæ locus, mos populi obseruandus sit pro lege, ex D. August. epist. 86. ad Casulanum, relatus in cap. in his rebus, dist. 11. ibi: *In his rebus, de quibus nihil certi statuit diuina scriptura, mos populi, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt.* Vndè solemus dicere, vox populi, vox Dei. Hoc amplius ex eodem iure canonico illā regulā seruamus, quod quoties res à populo publicè retinetur, illud, vel à sanctis Apostolis, vel à Concilijs dimanasse credimus, ex eodem Augustino epist. 118. ad Ianuar. trassumpta, in cap. illa autem, dist. 13. ibi: *Quæ toto orbe terrarum obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel ex plenarijs concilijs commendata, atque statuta retineri.*

3 Undè non sunt audiendi Bandellus, & ei assentientes, qui pro contraria puritati virgineæ opinione expendunt loca quædam Patrum, addentes, ne dicam, audentes dicere, contrariam opinionem esse communem sensum sanctorum Patrum, de quo conuicti sunt ab Ægidio Lusitano lib. 3. de Concept. q.4. art.2. §.1. cent.140. & art.4. §.1. & à Patre Euseb. Nieremb. de perpet. obiect. Concept. fol.4. quibus in locis ostenditur, multis in locis Bandelizantes vitiasse Patrum doctrinas, & hodie Chryptophilus Marianus in trutina (qui etiam citat Patrem Fr. Petrum de Alua) demonstrat, falsificatos esse à Bandellizantibus sexaginta sex Patres, & plusquam mille authoritates ab istis esse vitiatas. Et quomodo posset stare pro contraria opinione consensus sanctorum Patrum, vt confin-

guor Bandelizantes, cum videamus, festum Conceptionis à Sixto Quarto, & Pio Quinto esse admissum, qui præcepto constituerunt, conceptionem B. Mariæ per totam Ecclesiam celebrari, & in officio diuino sanctam vocari; iuxta illud: *Sentiant omnes tuum iuuamen quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem.* Item sanctum Conciliũ Tridentinum Beatissimam Mariam non comprehendit sub decreto peccati originalis; ergo falluntur aduersarij, dum existimant pro contraria opinione stare consensum Sanctorum Patrum; nam si ita esset, nec Summi Pontifices, neque Concilium Tridentinum opinioni communi sanctorum obsisterent, imo iuberent, sanctorum opinionem communem seruari, & iam hodie constat, vix vnum, vel alterum sanctum stare pro opinione Bandellizantium. vt videbimus infra, & in cap. pen. huius operis, vbi mihi cum Bandello certamen; videbimus etiam, Sanctum Thomam, & ferè omnes sanctos prædictę Religionis stare constantissimè pro puritate originali Beatæ Mariæ in sua animatione, secuti opinionem purissimi, & Beatissimi Dominici Patris eorum, qui publicè pro immaculato conceptu sanctæ Mariæ disceptauit, ac miraculo veritatem conceptionis comprobauit.

4 Item in iure nostro illud habemus pro expresso, quod venit ex mente legislatoris. cap. propterea. de verbor. signif. l. nominis 6. ff. eodem, ibi: *Verbum ex legibus sic accipiendum est, tam ex legum sententia, quam ex verbis*; videnda glossa in l. oratio. ff. de desponsalibus, & multoties verba legum flectimus, & præualet mens, & intentio disponẽtis, *l. Labeo. ff, de supellect. leg.* maxime si cõsensus communis interfuerit, l. cum de lanionis. §. optimum. ff. de fundo instructo, ibi: *Optimum ergo esse ait, non propriam verborũ significationem scrutari, sed in primis quid testator demonstrare voluerit, deinde in qua præsumptione sunt, qui in quacumque regione commorantur*; quo fit, vt quamuis non esset expressum in

sacris

ſacris litteris hoc myſterium Conceptionis, ex veriſimili legislatoris diuini mente pro expreſſo deberet haberi; neque erat neceſſarium de eo dicere neceſſitate præciſſa, cum & ſi eſſet omiſſum, ex dignitate filij, & matris pro dicto deberet haberi, argum. textus in l. & ſi non adſcripta. C. de fideicom. libert. Hic diſcurſus procedit ex ſupererogatione: nam in fauorem huius myſterij ſunt plura ſacræ ſcripturæ teſtimonia, & ſanctorum placita, vt apparebit ex dicendis.

5 Maria Sanctiſſima eſt Ciuitas Dei, & eius pulcherrima domus cap. naſci diſt. 56. Videamus, qualis vel quis ſit fabricator huius domus, & qualia in ea iecerit fundamēta. Aliquando lego, quod eā fundauit Altiſſimus; aliquando, quod filius IESUS eam ædificauit, vt dicitur in d. cap. naſci, ibi: *Ipſe eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, qui in vtero Virginis Mariæ ædificauit ſibi domum*: magni artifices ædificant domū iſtam, & ciuitatem hanc animatam Ieruſalem, quæ eſt ciuitas Regis magni: non apponent in origine eius fundamēta coinquinata, de ipſa ſpiritualiter legimus, quod fundata eſt in ſaphiris, Eſai. cap. 54. verſ. 11. *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſaphiris*. Non eſt ædificata ſuper carbones culpæ; ſed in ſaphiris. O quam pulchra, & cœleſtia fundamenta, ſuper quæ tantum & tam ſublime erigitur ædificium! quam obrem frequentiſſimè pulchra, & formoſa Deigenitrix Virgo decantatur, ſicut etiam dicitur tota pulchra, & ſine macula. Pulchra, quia non habuit originale peccatum: Tota pulchra, quia caruit mortali; item ſine macula, quia veniale non admiſit, Sed vnde tam cœleſtia fundamenta vni huic virgini accedunt? Reſpondet gloſſa. verbo, *Virginali*. in clement. vnica. de ſumma Trinit. per hæc verba: *Dicunt ſancti, quod ſicut ex ſuperbiſſima Eua natus eſt morbus, ſic per contrarium ex humillima inchoari debuit medicina; vnde verſo nomine Euæ, ipſi Virgini dictum eſt Aue, Lucæ* 1. O quam profunda fundamenta

gineæ humilitatis, quæ meruit fundari in sapliiris, & in gratia, sine væ culpæ, precipuè cum sit mater Dei electa, vt dicemus.

6 Super hæc fundamenta originalis iustitiæ in Conceptione Beatæ Mariæ ædificemus propugnacula aduersus culpam originalem, & eam astruentes in Deipara. Et in primis voco fundamenta Ecclesiæ in fauorem origineæ puritatis Sanctę Mariæ. Fundamenta Ecclesiæ appello Sanctos Apostolos, super quæ tota Ecclesiæ fabrica confidenter innititur; vt dicitur in cap. fundamenta. de elect. lib. 6. Habemus enim pro immaculata Virginis Conceptione præcipuos duces, & Magistros, Sanctos Apostolos, vt defendit P. Velazquez lib. 4. differt. 1. adnotat. 1. Illustrissimus Don Antonius Caldera de immaculat. Concept. cap. 6. n. 2. Eruditissimus P. Euseb. Nieremb. de Concept. in tract. de perpet. obiecto. Fest. Concept. cap. 1. fol. 4. hęc habet. *Cæterum præter Sanctum Iacobum, comprobant Oxeda, Bibar, & alij plures, eamdem Conceptionem purissimam prædicasse Sãctum Andream, Sanctum Matthæum, Sanctum Thomã, Sanctũ Matthiam, atque Iacobum minorem Apostolos, Sanctum Marcũ, & Sanctum Lucam Euangelistas: & generatim prædicatũ hoc mysterium ab Apostolis, asserunt grauissimi Theologi;* & idem Eusebius pro hac veritate citat Ægidium, Perlinum, Suarium, Salaçar, Peñalosa, Hurtado, Matthęum Vbestmonast, Iodocum, Galatinum, vide apud eum loca, in quibus authores citantur; & ne in hac materia in posterum supersit dubitatio, omnino videndus Illustrissimus Don Fr. Payo de Ribera, qui singulari eruditione & diligentia patefecit, ab Apostolis mysterium Conceptionis fuisse prædicatum, videndus in tractatu de probab. canoniz. Concept. à nu. 69. vsque ad num. 93.

7 Habemus iam magnam Doctorũ copiam asserentiũ, ex prędicatione Apostolorum dimanasse mysterium immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ. Illud quæritur, an doc-

trina

trina hæc Apostolica habeatur scripta, vel per traditionem ad nos peruenerit, ab apostolico ore recepta? Scio, quod iuxta regulas nostri iuris canonici, consensus communis fidelium inducit præsumptionem iuris, vt res generaliter admissa, à traditione Apostolorum, quasi per manus accepta habeatur, vt dixi ex cap. illa autem. dist. 13. ibi: *Quæ toto orbe terrarum obseruantur, datur intelligi, ab ipsis Apostolis statuta retineri.* Unde plerique ex authoribus relatis ad traditionem Apostolicam confugiunt in hoc mysterio, vt veritas eius intelligatur apostolica traditione roborata, & æqualem vim habere traditionem, ac doctrinã scriptam constanter affirmant; neque ignoro magnam traditionis authoritatem, vt docemur à Summo Pontifice Nicolao in cap. 5. dist. 12. ibi: *Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitus suscepimus, infringi patiamur.*

8 Sed cum institutionum Ecclesiasticarum, quædam consistant in scriptis, quædam Apostolica traditione, vt docemur in cap. ecclesiasticarum. dist. 11. ibi: *Ecclesiasticarum institutionum quasdam in scriptis, quasdam vero apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus*, & in hoc mysterio Immaculatæ Virginis Conceptionis habeamus doctrinam scriptam à multis Apostolis, vt infra videbimus; non est cur veritas huius mysterij ad apostolicas tantum traditiones referatur, & ad traditionem limitetur.

9 In primis apud electissimos & probatissimos authores habemus expressa verba Sanctorum Apostolorum pro immunitate originali Beatæ Virginis. Incipiam à decano Apostolorum, & meo patrono Diuo Andrea, de quo referunt presbyteri Achaiæ in historia passionis eius, quod prædicabat immunitatem Virginis à peccato originali per hęc verba: *Quomodo de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat,*

necessarium fuit, vt de immaculata Virgine natus Christus, perfectus homo, qui est Dei filius, qui primum hominem fecerat, vitam æternam, quam perdiderant omnes, repararet. Ita refert Doctissimus Pater Didacus de Auendaño in sua Prolus. Apolog. pro Virg. Concept. §. 16. n. 171. Cui concordat P. Velazquez lib. 4. dissert. 1. annot. 1. Sed dempto vno vel alio verbo, eamdem authoritatẽ esse expressam D. Andreę confirmat noster aduocatus Ioannes Guerrero de Espinar, tract. de Concept. discurs. 2. et Pater Bustos in sermone de Concept. & antiquus Iurisconsultus Albericus in dictionario, verbo, *Adam nouissimus*, & concinnit Abdias Babylonicus lib. 4. suæ historiæ, alijque multi apud Illustrissimum Don Payo de Ribera, vbi supra. Alias duas authoritates prolatas à Diuo Andrea refert pius & doctus Don Augustinus Sarmiento en su Clarin dela Aurora art. 41. Confirmat enim, hanc propositionem esse expressam D. Andreę. *Tu sola ab vniuersali damnatione præseruata fuisti, nõ tu mortua in Adam, vnica es, vnica immaculata recessisti*, item illam: *Tibi & filio nos cõmendatos fore velis, vt quæ sine peccato semper fuisti, nos & posteros peccatores tua charitate complecti digneris*, sic ad Virginem clamabat Andreas Apostolus. Alia etiam testimonia expressa refert idem Doctor D. Augustinus Sarmiento in dict. art. 41. & in art. 42, ex Diuo Thoma, Diuo Mathia, Diuo Mattheo Apostolis, qui præseruationẽ Beatæ Mariæ à peccato originali publicè prædicarunt, refertque ibidem verba ipsa ab Apostolis prolata.

10. Sed quamuis daremus, prædictam doctrinam non esse à sanctis Apostolis in scriptis relictam, illud negari non posset, quod eam habeamus per traditionem à sanctis Apostolis, in quo conueniunt omnes fere antiqui, & neotherici scriptores, qui affirmant exceptionem Beatæ Mariæ à peccato originali, esse traditionem Ecclesiæ ab Apostolis inchoatam, & quasi per manus ad nos peruentam, quod iam supra probauimus ex sententia Doctorum, quibus adde P.

Ojeda

Ojeda in sua informat. pro imm. Concept. Mirand. in tract latin. quęst. 20. fol, 550. Francisc. Biuar. in histor. mirabili, in vita Dominæ Beatr. de Silua 2. p. §. 12. Ægidium de Præsent. Augustinian. lib. 3. de Concept. q. 4. art. 3. n. 8. P. Granad. tract. de Concept. à c. 18. Lezana in sua Apolog. pro immac. â cap. 16. P. Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 6. §. dico primo, & Pater Salaz. de Concept. cap. 42. ostendit, Beatum Iacobum Maiorem Hispanis veritatem Conceptionis Beatæ Marię prædicasse, idque etiam insinuat Flauius Dexter in sua historia Ecclesiastica anno 390. ibi: *A Iacobi prædicatione celebratur in Hispania festum Immaculatæ Conceptionis Deigenitricis Mariæ.* Et noster Iurisconsultissimus Don Gabriel de Barreda in suo festo Conceptionis fol. 70. & fol. 71. obseruat ex traditionibus Iuliani Archipresbyteri Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, quod in illa Ecclesia celebratur festum Conceptionis, prout docta fuit â sancto Iacobo Maiori, & Bernardus Archiepiscopus Toletanus affirmat, festum Conceptionis Beatæ Mariæ esse celebrandum prout docuerat sanctus Iacobus. Item Marcus Maximus monachus idem affirmat, vt refert Murrillo in fundatione Ecclesiæ Zarag. in prologo, & cap. 14. Et idem Maximus in Hymno ad Virginem ait:

Conceptionis hinc diem
Iacobus Hispanos docet,
Et prædicat (ceu cæteri)
Ab omni labe liberam.

Luitprandus in chronico anno 131. hæc habet: *Beatissimè sedes de columna in vrbe Cæsaraugustana, quæ cōstructa est iussu Virginis à Beato Iacobo, cum in Hispania prædicauit anno 37. à natiuitate Domini, & consecrata eiusdem immaculatæ Conceptioni, quam omnes Apostoli prædicauerunt vbique.* De eadem prædicatione Diui Iacobi Maioris docemur in Iuliani Chronico. n. 607. Habemus etiam aliam traditionem Sancti Apostoli Iacobi Minoris in sua Liturgia in

fauorem originariæ Virginis puritatis per hæc verba: *Dignum est, vt te verè Beatam dicamus, & omnibus modis irreprehensam, honorabiliorem quam Cherubim.* Apud authores supra citatos vidimus iam, quanta sit adhibenda fides traditionibus ecclesiasticis.

11 Superiora confirmantur ex libris repertis in Monte Sancto Granatensi, qui, vt creditur, delituerunt per mille annos in prædicto monte, & in vno ex prædictis libris dicitur, quod Beati Apostoli in quodam Concilio decreuerunt, quod Beata Maria fuit præseruata à peccato originali per hęc verba: *Illa Virgo, illa Maria, illa sancta præseruata fuit ab originali peccato, & ab omni culpa immunis, & qui aliter senserit, salutem æternam non consequetur.* Et in prædicto libro subscribit sanctus Thesiphon Diui Iacobi discipulus. Quanta fides danda sit his libris plumbeis, repertis in dicto monte Granatensi, satis euincitur ex traditis per Porrenum lib. de Immac. Concept. cap. 11. & horum librorum authoritas, ab antiquitate, & inuentione miraculosa, & â vetustissimis characteribus, ac notis satis commendatur per illustrissimum D. Payum de Ribera, in tract. de probab. canonizat. concept, n. 72. & n. 79.

12 Duo tamen vrgentissimè obstant, & expugnant authoritatem illam, quam proxime retulimus ex libro reperto in monte Granatensi. Primum est, quod si veritas hæc diffinita fuisset in aliqua synodo Sanctorum Apostolorum, vel in aliquo Concilio, hoc inter cætera concilia cõtineretur, & magna cum veneratione ab Ecclesia seruaretur, maximè circa rem tam præclaram, qualis est immunitas Sanctæ Mariæ, diffinita â Principibus Ecclesiæ; & cum de hoc Concilio Apostolico circa immunitatem originalem Deiparæ nulla mentio habeatur in documentis ecclesiasticis, & canonica scriptura, nec computetur inter cætera concilia, quæ admittit Ecclesia in cap. canones, cap. sicut. cap. sancta Romana, dist. 15. & etiam per totam dist. 16. tale

con-

concilium videtur apocryphum, nec illi videtur præstandus assensus. Item neque prædicta immunitas originalis Virginis continetur inter canones Apostolorum, quos scripsit Beatus Clemens, & habentur in fine decreti Gratiani, excussi Venetijs. Ergo non est vnde sumamus fundamenta, vt legitimum reputetur assertum, quod tribuitur Sanctis Apostolis, vt narrat sanctus Tesiphon. Secundo redditur suspecta diffinitio illa, ex illo additamento: *Et qui aliter senserit, salutem æternam non consequetur.* Cum enim videamus esse aliquos canonizatos, de quibus dicitur, quod tenuerũt oppositam opinionem, contrariam puritati, non potest stare prædicta clausula. Nec illud admittendum, quod quidã tentant, videlicet, quod si aliquis sanctus aliquando pro contraria opinione subscripsit, statim reuocauit, vel in vita, vel in morte; nam horum interpretum solutio solido fundamento non comprobatur, nec fidem faciunt, neque tradunt legitima documenta, ex quibus constet de tali reuocatione.

13 Sed prædictis argumentis non obstantibus, non est ambigendum de authoritate libri reperti in mõte sancto Granatensi, cui, sicut dixi, maxima est adhibenda fides, quia in eius interpretatione, ac translatione interfuerunt eruditissimi, ac versatissimi in omni genere linguarum viri, qui maximo labore, & sumptibus Illustrissimi D. Archiepiscopi Don Pedro de Castro Quiñones diffinitionem illam nobis tradiderunt; præter citatos supra, videndus P. Christophorus de Vega in Theologia Mariana part. 1. palæstr. 3. certam. 5. n. 258. & Ægidius Lusitanus lib. 3. q. 3. art. vnico. & noster Iurisconsultus Gregorius Lopez Madera in libro, quem pro defensione horum librorum montis Granatensis edidit. discurs. 1. cap. 3. Omitto quod Pater Perlinus intendit probare, concilium hoc relatum à sancto Tesiphone, esse illud, de quo fit mentio in Actibus Apostolorum cap. 15. Mihi tamen videtur apud sanctum Tesiphonem

poni

poni concilium, vel synodum pro consensu, inspecta radice nominis *synodos*, quod apud Græcos non solum significat concilium, cœtum, comitia, conuentum, sed etiam cõsensum: cumque apud sanctos Apostolos, sicut accepimus per traditionẽ, veritas purissimę Conceptionis Deigenitricis prędicaretur, hunc consensum sanctus Tesiphon posuit pro consilio, & synodo. Et quamuis verbum analogum staret pro famosiori, & sic pro concilio; ex eo non conuincitur, quod sit sumendum pro concilio generali, & æcumenico. Et multas res habemus ab Apostolis, quas nõ retinemus in scriptis, sed tantum per traditionem, cap. & ecclesiasticarum dist. 11. Et circa canones Apostolorum admonendi sumus, nõ esse determinatum, & pręfixum numerum, nã in cap. placuit. dist. 16. numerantur octuaginta quinque capitula Canonũ Apostolorum, ibi: *Placuit huic sanctæ synodo, vt amodo confirmata, & rata sint Canonum Apostolorũ octuaginta quinque capitula.* Zepherinus Pontifex in c. sexaginta. dist. 16. minorem numerum ponit, ibi: *Sexaginta sententias Apostoli præscripserunt.* Item Leo Papa, in cap. Clementis dist. 16. affirmat, quinquaginta esse capitula Canonũ Apostolorum; item in fine decreti numerantur octuaginta tres canones Apostolorum; & multi Doctores hoc discrimen componunt, sic tamen, vt diuturnitate temporis aliqua canonum capitula deperierint, vt dicit glossa in cap. placuit dist. 16. ibi: *Procedente vero tempore aliqua ex illis perierunt.* Forsitam & vnum capitulum erat, in quo diffinita fuit immunitas originalis Virginis, & hoc in tempus statutum reseruatur; planè si de hoc testimonio relato à sancto Tesiphone ritè, & recte cõstitisset, iam res esset diffinita à summo Ecclesiæ Præsule, sed cum hic liber à multis & doctissimis viris admittatur, vt dixi, magni habendus est, & licet non sit fulcitus adhuc authoritate Ecclesiæ, denotat tamen antiquitatem huius examinis, & quid Apostoli senserint de Concept. Virginis. Nec nouum est, libros antiquos

tiquos in vſu hodie non haberi, cum multi depereant. Et ſi ad miracula Chriſti Domini oculos conuertamus, quæ in mundo feciſſe dicitur, & tempus, & verba, & libri deficiēt, vt Ioan. cap. vlt. in fine, & tamē multa non referuntur à ſacris Euangeliſtis, quæ tamen traditionibus, quaſi per manus ad nos peruenerunt. Minus obſtat illa difficultas, quod in afferto decreto Apoſtolorum irrogatur æterna damnatio tenentibus contrariam opinionem; nàm reſpondetur, quod ſtatutum non ligat ignorantes, nec ei qui ignorat, currit tempus, nec adſtringit obligatio, vt notant Doctores in cap. 1. de Conſtitut. & in l. 1. C. de mandat. Princip. præcipuè cum illa diffinitio debeat qualificari prius à Sede Apoſtolica, & à Vicario Chriſti, qui debet diffinire myſterium, cap. in nouo. diſt. 21. cap. maiores, in principio. de baptiſmo. In ſumma quamuis deficeret authoritas illius libri reperti in Monte ſancto Granatenſi, nemo negauit traditionem receptam à Sanctis Apoſtolis, vt pleniſſimè probatum eſt. Omitto, quod multis concilijs veritas Virginalis conceptionis commendatur, de quo multa dicunt Doctores.

DE SACRIS DOCTORIBVS.

14 MAgnam diligentiam adhibui in perquirenda mente Doctorū Eccleſię circa hoc myſteriū, & inueni, quod in ore & corde ipſorum reſidet hæc firma concluſio, quod Maria Mater Domini noſtri Ieſu Chriſti fuerit concepta ſine labe originalis peccati, nam D. Gregor. declarans illud Iſaiæ cap. 2. *Erit præparatus mons domus Domini*, ad Beatam Mariam refert. tom. 1. lib. 1. Reg. qui & Samuelis dicitur, cap. 1. ibi: *Mons quippe fuit, quæ omnē electæ creaturæ altitudinem, electionis ſuæ dignitate tranſcendit*, & Eſaiæ cap. 2. *Altitudo Mariæ ſupra montes ſanctos refulſit*, & paulò ante: *An non mons ſublimis Maria, quæ vt ad Conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum*

rum choros vsque ad solium Deitatis erexit? Non enim lapsa dici debet, quæ semper erecta supra creaturas in gratia creatas caput euexit. Et in sermone Annuntiationis, prout refert noster aduocatus Espinar tract. de Concept. ita loquitur doctor sacer. *Si quidem propter benedictionem, qua sola fuit benedicta, & propter gratiam, qua sola fuit plena, factum est, vt sola fuerit sancta corpore, & spiritu.* & post pauca: *Neque fuisset gratia plena, si aliquando illa caruit, neque sola benedicta, si originale habuit.*

15 Succedat sanctus Cardinalis, Doctor Maximus Hieronymus, qui explicans illud psalmi 77. *Adduxit eos in nube* constanter affirmat, illis verbis Beatam Mariam adumbrari, quæ est splendidissima nubes; & addit: *Illa enim nubes nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce.* Etenim si initio Conceptionis tenebras peccati admisisset, numquam diceret doctor sacer, quod semper fuit in luce; & ne maneret dubitatio, subiunxit, quod nunquam fuit in tenebris. Item in officio Conceptionis Fratrum Minorum in secũdo nocturno adducitur alia authoritas maximi Doctoris per hæc verba: *Erat enim candidata Maria multis meritorum virtutibus, & dealbata niue candidior, & ideo immaculata, quia in nullo corruptas;* quæ verba habentur tom. 4. fol. 32. litter. E. Itẽ alia authoritas eiusdem Hieronymi recitatur in Breuiario Hispalensi cap. 1. sect. 2. in festo Conceptionis in lect. 1. secundę diei. ibi: *Quidquid in Maria gestum est, totum puritas, totum veritas, totum gratia fuit.* Item tom. 4. in sermone de Assumpt. Beatę Mariæ fol. 35. column. 2. litter. E. ibi: *Si formam Dei appellem, digna existis,* & inferius: *Lacta eum, qui talem te fecit, vt ipse fieret in te,* & in eodem tom. 4. fol. 30. litter. I. *Hæc est virgo, quæ sola interimit vniuersam prauitatem;* & eodem tom. 4. fol. 33. lit. M. sic loquitur de Virgine: *Nam Angelorum, quamuis celsior natura fuit, non tamen gratia maior.* Et eodem tom. 4. fol. 34. litt. F. *Hæc est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viuentium, ad quam nulli*

nulli potuerunt doli erumpere, nec præualuit fraus inimici. Et in cap. 10. Ecclesiastes dicit D. Hieron. quod *Virgo fuit libera ab omni peccato, & cortice peccati.*

16 Item D. Hieronymus in Esai. cap. 11. docet, Deiparam Virginem esse virgam de radice Iesse, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem, id est, quæ non habuit malignitatem peccati; nam frutex, & frutetum in plantis, vitium inhærens dicitur, siue malignitas, apud nos *maleza*, o *breña*. Et alludit Doctor sacer ad locum Diui Ambrosij, qui hanc Virginem, esse virgam de radice Iesse sine nodo, & cortice constantissimè affirmauit, vt dixi supra. Non dimittamus locum Diui Hieronymi, vult enim, Mariam Beatissimã esse virgam sine frutice, & fruteto. Nõ incommodè ad explicationem sacri Doctoris expendo verba Ieremiæ cap. 11. vers. 16. ibi: *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius.* Hic locus Isaiæ in sensu spirituali proculdubio aptandus est Beatæ Mariæ, quia ipsa est oliua speciosa in campis. Eccles. 24. & tota pulchra, vt dicitur in Canticis. Ad quid ergo in ea exarsit ignis ad comburenda fruteta? Hoc fit, ne virga illa habeat frutetum, vel fruticem cohærentem. In rubo illo in combusto, quem vidit Moyses, præfiguratur Beata Virgo, vt dicit textus in cap. sunt qui arbitrentur, & ibi gloss. verbo *mysterij*, de pœnit. dist. 1. in illis verbis: *Rubus est Virgo Maria: ignis ardens in rubo, nec comburens, est Spiritus sanctus in Maria*, & Ecclesia in rubo incombusto preseruationem Virginis à peccato originali constituit. Ergo exarsit ignis gratiæ in virgine, non vt virga combureretur, sed tantum ne frutetum de radice Iesse, & de radice Adã, huic Virgini cohæreret. Certum est, quod hæc virga egreditur de radice Iesse, cui radici inest vitium, & frutex; sed virga ipsa sine fruteto conseruatur, nam vt dicit S. Petrus Damian. serm. de Assũpt. *Caro Mariæ de Adã assumpta, maculas*

Adæ

Adæ non admisit, sed singularis eius puritas in candorem lucis æternæ conuersa est. Fuit rubus incombustus in virga, maculas tamen inhærentes in radicè, Spiritus sancti gratia, siue ignis combusit.

17 Diuus Augustinus multis in locis puritatem originalem Beatæ Mariæ decantat; nam in ferm. 1. de Natiu. Virg. hæc habet. *Quomodo gratia plena, nisi quia totaliter euacuata fuit à culpa? Quomodo benedicta in mulieribus, nisi quia maledictio Euæ in benedictionem mutatur.* Et ferm. 11. Natiuit. Domini ibi: *Cum dicit Angelus: Aue gratia plena, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ.* & ferm. 2. de Natiuit. ibi: *Quis vnquam in eius anima, vel corpore locus potuit inueniri peccati, quæ ad instar cœli continentis omnia, templum Dei est effecta?* Item Augustin. in lib. de quinque hæresibus. ibi: *Si potuit inquinari Manichee mater mea cum ipsam facerem, potui & ego inquinari cum ex ea nascerer.* Et in libro contra duas hæreses: *Vnde sordes in domo, in qua nullus habitator terræ accessit? solus ad eam eius fabricator, & Dominus venit.* Item super Genesi, ibi: *Cum subiecto originalis peccati caput sit diaboli, tale caput Maria contriuit, quia nullius peccati subiectio progreßum habuit in animam Virginis, & ideo ab omni macula immunis fuit.* Item ex D. Augustino refert Breuiarium antiquum in 2. lect. festi Concept. illa verba, quæ etiam habet in libro de natura & gratia, cap. 36. *Magnifica illum, qui te ab omni peccato reseruauit.* Et in Breuiario Hispalensi lect. 3. secundæ diei Conceptionis affertur alius locus Augustini, ibi: *Quis dicere poterit post Deum, mundus sum ab omni iniquitate, nisi illa Virgo prudentissima.* Item idem Augustinus ferm. 30. ad Fratres, ibi: *Præterea Maria Mater electa est, omnibus gratijs fecundata, omni virtute, & sanctitate in vtero repleta, vt de mundissima matre mundissimus filius nasceretur; & sicut in cælo filius habuit patrem immortalem, & æternum, sic in terra haberet matrem omni corruptione carentem. Igitur in cælo qualis est Pater, talis est filius, & in terra, qualis est ma-*

ter, talis sit secundum carnem filius. Locus omnino meditandus. Item Augustinus lib. 5. contra Iulianum cap. 15. de Christo Domino inquit; *Profecto enim peccatum etiam maior fecisset, si paruulus habuisset: nam propterea nullus est hominũ præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu*. verum est in Augustini sententia, illum non habuisse originale, qui in maiori ætate peccatum aliquod non commisit; sed certum est, Beatam Mariam non habuisse peccatum actuale, etiam veniale, vt comprobatur ex concilio Florentino. & ex Tridentino, & ex glossa in cap. 1. verbo, *miraculo*. de consecrat, dist. 4. et cap. vnum orariũ, dist. 25. ibi: *Contra naturam penè est, vt sine peccato aliquis sit*, vbi gloss. verb: *penè*, ait: *Penè dicit propter Beatã Virginem:* ergo ex illatione Augustini sequitur, quod B. Maria non habuit originale. Nec obstat quod nullus est præter ipsum Christum, qui non habuerit peccatũ actuale, saltim veniale: nã loquitur aptitudine, et fragilitate naturæ humanæ; sed Beata Virgo excipitur à peccatis priuilegio gratiæ. Item sanctus Doctor serm. 2. in Assumpt. Virg. *Si formam Dei te appellem, digna existis, si Dominam Angelorum vocitarem, per omnia te esse probaris*. Unde ergo venient sordes in ea, quæ forma Dei esse perhibetur, & ab Augustino coelis purior, Angelorumque domina compellatur? Item idem Doctor serm. 20. in lib. de Concept. Virg. ibi: *Decuit vt talis sit suo modo mater, qualis & filius*. Alium locum Augustini affert antiquissimus author Aluericus Iurisconsultus in suo dictionario, litt. A. verbo, *Adam nouissimus*, per hæc verba: *Sicut primus homo per lignum præuaricationis mortem induxit necessarium erat, vt per lignum Passionis mors, quæ ingressa fuerat, pelleretur. Et quoniam de terra immaculata factus fuerat, qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat; necessario de immaculata Virgine natus, perfectus homo vitam æternam per Adam perditam repararet*. Hæc verba

esse

esse Diui Augustini constanter affirmat Aluericus, qui floruit ætate Diui Thomæ; & addit, quod similia verba habentur in legenda Diui Andreæ circa medium.

18 Habeo alia duo Augustini testimonia, quæ volui separatim adnotare, quoniam hic Doctor sacer merito lux Doctorum ab antiquis Patribus nuncupatur: primum in libro de fide ad Petrum Diaconum, cap. 2. ibi: *Maria Virgo facta est Mater vnigeniti Dei, vt quem Pater genuit ex æternitate, ipsum virgo conceptum proferret in tempore. Illa vtique est virgo, quam Deus, qui de ea fuerat nasciturus, ita singulari gratia præuenit, atque repleuit, vt ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habuit dominum vniuersitas; & ipsum sibi videret nascendi solemnitate subditum, quem in vnitate paternæ substantiæ, non solum humana, sed etiam angelica creatura cognoscit, & adorat Altissimum. Sic ergo peccatum, & pœna peccati, quæ per scelus corruptæ mulieris intrauit in mundum, per inuiolatæ Virginis partum aufertur à mundo: ibi fœmina decepta est, vt fieret filia diaboli, hîc virgo gratia repleta, vt fieret mater summi, atque incommutabilis vnigeniti Dei: ibi Angelus deiectus per superbiam, seductæ mulieris animum obtinuit: hîc Deus humilians se per misericordiam, incorruptæ virginis vterum, ex ea nasciturus impleuit*, ipse locus se ostendit, nec eget maiori commendatione. Alterum locum Augustini de signo ex lib. de natur. & grat. cap. 36. tom. 7. ibi: *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem; inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere meruit eum, quem constat, nullum habuisse peccatum.* Scio, hunc locum accipi à Caietano in opusculo de peccato originali cap. 5. non vt loquatur Augustinus de peccato originali, sed de actuali; sed tanti viri pace, ab Augustini mente videtur aliena talis interpretatio; quia si loqueretur tantum de peccatis actualibus, exciperet vtique paruulos, & innocentes

baptí-

baptizatos, non tantum Deiparam, & verè loquitur Augustinus de originali, vt confunderet Pelagium, qui dicebat, neminem habere peccatum, quod destruebat Augustinus dicens, adhuc infantes vnius diei reos esse peccati, quod præcisè intelligendum est ibi de originali, & addit in eo loco Augustinus, omnes Sanctos, qui sunt in cœlo, interrogatos, si aliquando habuissent peccatum, responsuros, illud habuisse, cum enim inter omnes sanctos inueniātur innumeri innocentes, & paruuli, qui non habuerunt actualia, sequitur necessario non tantum de actuali peccato locutum Augustinum, sed etiam de originali. Præterea ratio illa sacri Doctoris: *De qua propter honorem Domini, cum de peccatis agitur, nullam prorsus habere volo quæstionem*, magis respicit originale, quam actuale, cum magis repugnet, & per illud magis lædatur honor Domini; cum originale sit radix peccatorum. Item illa verba: *nullam prorsus habere volo quæstionem* excludunt omne peccatum, cū negatio sit malignantis naturæ, & omne destruat. Vnde locū hunc Augustini præcisè intelligendum de peccato originali demonstrant Diuus Bernardus serm. 4. super salue. Episcopus Christopolitanus omnino videndus super Psalm. 44. Bellarmin. lib. 4. de stat. peccat. Doctor illuminatus. in 3. dist. 3. q. 2. art. 3. Item sicut Augustinus excepit S. Mariam ab omni peccato etiam originali propter honorē Domini, eodem modo sanctum Concilium Tridentinum noluit in peccato originali comprehendere Beatam Mariam sess. 5. de peccato originali in fine, & hæc voluntas non includendi Virginem in peccato originali, habetur pro exceptione, cap. nonne, de præsumpt. Iass. in l. Gallus. §. quidam recte. n. 2. ff. de lib. & posth. Rolandus volum. 3. cons. 58. num. 76.

19 Audiamus iam Ecclesiæ lampadem, & clarissimā ac lucidissimam faculam, suauissimum Ambrosiū, qui ita loquitur de Beatissima Virgine: *Hæc est virga, in qua nec nodus ori-*

ginalis, nec certe ex venialis culpæ fuit; sic habetur in officio Ambrosiano; quod recitatur in Ecclesia Mediolanensi. & in Breuiario edito Lugduni anno 1544. & in Breuiario Romano de Camera, edito Venetijs apud Iuntas Anno 1550. & in Breuiario sanctæ Ecclesiæ Placentinæ, lect. 6. Festi Concept. & in officio approbato a sanctissimo Pio Quinto, quod recitatur à Religiosissimis Fratribus Minoribus in antiphonis secundarum vesperarum, Sunt multi & præexcellentes Doctores, qui agnoscunt, præfata verba esse Diui Ambrosij: satis sit videre Castrum in cathalogo auctorũ. Hectorẽ Pinto in cap. 43. Ezechiel. Alfons. Rem. in suo tractatu Concept. fol. 128. Carmelitã Lezana in suo apologetico Concept. cap. 17. fol. 77. Cliptoveum lib. 1. de purit. Concept. cap. 13. Hilaretum in serm. Concept. Et licet aliqui hunc locum Ambrosij reijciant, quia hodie in operibus eius non reperitur; tamen non debemus dubitare de eius veritate, cum stet pro eius fide multiplex Breuiariorum numerus, præcipuè in sua Ecclesia Mediolanensi. Et hunc locum scripsit Ambrosius super cap. 11. Esaiæ, explicans illa verba: *Egredietur virga de radice Iesse*, vt notant frequenter Doctores. Ignoro tamen, quis Ambrosij commentarios in Esaiam nobis eripuerit, & Ecclesiam fraudauerit tali thesauro, cum certum sit, prædictos commentarios à sacro Doctore fuisse conscriptos, sicut manent vestigia in cap. Iulianus 11. q. 3. qui textus est Sancti Ambrosij in commentis super Esai. & idem sanctus Doctor affirmat, se scripsisse prædictos commentarios, in lib. 2. cap. 2. super Lucam, in ea parte, qua agit de circũcisione, ibi: *Quid sit in Hierusalem sisti Domino, dicerem, nisi in Esaiæ commentis ante dixissem.* Item Ambrosius de institut. Virg. cap. 17. ibi: *Vnigenitus Dei filius venturus in terras suscipere quod amissum est, puriorem carnis suæ generationem reperire non potuit, quam vt habitatione cœlesti aulã Virginis dedicaret, in qua esset & immaculatæ virginitatis sacrarium*

crarium, & Dei templum; si non potuit reperire puriorem habitationem, signum est, quod Deipara pura fuit in Conceptione, alias posset inuenire aliam, quæ esset purior. Idē Ambrosius lib. 2. de Virgin. ibi: *Quid splendidius ea, quam splendor elegit?* vult enim, quod lumen ęternum JESUS [quem Maria mundo effudit] pręseruauerit, & clarificauerit matrem suam, vndè in cap. 12. Apoc. tota designatur Maria in vestimentis lucis, cum qua non compatitur tenebra. Item citatur Ambrosius in homilia de Cain, & Abel, ibi: *De hoc grege, sancta, & immaculata, & intacta illa ouis processit Beata Maria.* Item Ambrosius in Psal. 118. *Suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est, suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, ab omni integra labe peccati*, & in lib. 10. epist. 81. explicans locum Ezech. cap. 44. *Quæ est autē illa porta sanctorum, illa exterior ad Orientem, quæ manet clausa, & nemo pertransiuit per eā, nisi solus Deus Israel? Nonne est hæc porta Maria, per quā in hunc mundum Redemptor intrauit?* Est Deipara hortus conclusus, & signatus, per quē non potuit Satan introire per peccatum originale; solus Deus pertransijt per eam. Itē Ambrosius in lib. de Incarnat. Dom. Sacram. cap. 9. ibi: *Habuit ergo virgo de suo, quod traderet. Nō enim alienū dedit mater, sed proprium è visceribus suis contulit inusitato modo, sed vsitato munere. Habuit igitur carnem Virgo, quam natura, solemni iure transcripsit in fœtum. Eadem igitur secundum carnem generantis Mariæ, genitique natura.* Item in lib. 2. super Lucam, ibi: *Dominus Redempturus mundum, operationem suā inchoauit à Matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum haberet ex pignore; ideo vltra tres modos redemptionis, &c. est quartus excellentior per præseruationem, qui solum conuenit isti sanctissimæ Dominæ.* Quo modo ergo esset in peccato, & infirmitate, illa, quæ ad salutē omnibus parabatur? Hinc est, quod Ambrosius Mariam sacrosanctam appellet aulam cœlestē, quæ suscepit mundi Redemptorem in lib. 1. de pœnit. cap. 1. item aulam Regalē, ho-

hominí nunquam subiectam, sed soli Deo: in lib. de inst. Virg. cap. 2. Non enim compatitur cum aula cælesti peccatum, præcipuè in calce, in fundamentis suis, in origine.

20 Habemus etiam ex Ecclesia Græcorum omnes ferè Sãctos, & Doctores in fauorem originariæ Virginis puritatis, inter quos seligo duos Patronos meos, Sanctum Athanasium, & Sanctum Gregorium Taumaturgum, qui in ore interpretum appellantur defensores veritatis, & Catholicæ fidei. Dicit enim B. Athanasius in serm. in descript. S. Virg. Deip. *Hæc est Virgo incorrupta, atque ab omni labe pura. Hæc est claustrum virginale, omni ex parte purum atque impollutum, in quo diuinus thesaurus repositus fuit. Hæc est cælum secundum, nunquam coinquinatum. Hæc est vas Dei capax, nunquam commaculatum.* Videndus etiam serm. in euang. de S. Deipara. Videamus, quid dixerit Beatus Gregorius Taumat. & quidem extant sub eius nomine pulcherrimi tres sermones de Annuntiat. gloriosissimæ Deigenitricis, quos reperit Gerardus Vossius in antiquissimo volumine manuscripto in Bibliotheca Cryptæ Ferratæ, indeque descriptos, cum Vaticanis, & Sirletanis exemplaribus contulit, atque ex Græco in latinum transtulit, & protulit in lucem pro publico Ecclesiæ bono. In his sermonibus a Gregorio Taumaturgo appellatur Deipara, Arca Dei ratione prædita. Arca sanctificationis, intrinsecus, & extrinsecus deaurata, quæ vniuersum sanctificationis thesaurum suscepit: cœlum alterum in terra: domicilium Verbo Dei dignum, expers omnis corruptionis: electa à gratia ex omnibus generationibus: flos vitæ immaculatus: gloriosissima inter Angelos: indumentum lucis: paradisus immortalis semper vigens: simulacrum immaculatum puritatis: templum immaculatum, in quod Spiritus Sanctus ingressus est: vitis semper vigens. Hæc, & alia non minora prædicabat.

21 Habemus etiam pro nostro asserto D. Thommam Angelicum

licum Doctorem: nam opusculo 8. dicit: *Excessit Maria Angelos in tribus, in quibus excedebat cæteros homines, videlicet, gratiæ plenitudine, familiaritate Dei, & puritate.* Item in 1. sentent. dist. 44. art. 3. ad 3. ibi: *Ad tertium dicendum, quod puritas intenditur per recessum à contrario; & ideo potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas Beatæ Virginis quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit. Fuit tamen sub Deo in quantum erat in ea potentia ad peccandum.* Item in 3. part. summę affirmat, quod Beata Virgo non fuisset idonea Mater Dei, si vllo tempore, vel etiam in momento fuisset per peccatum ancilla diaboli; & subdit, quod pręseruata fuit à peccato originali, quia alias esset de decus filij, mater sine honore. Sunt alia quamplurima Doctoris Angelici documenta, quibus probatur, ipsum firmiter stetisse pro puritate Conceptionis, vt nouissimè probat Illustrissimus D. Fr. Franciscus de la Cruz, ex ordine Prædicatorum, & Doctissimus Pater Fr. Philippus Bernal in suo libro de vera sententia, & mente D. Thomæ, in quo adducit quadraginta authoritates expressas, & indubitatas ex operibus Angelici Doctoris, quibus colligitur, & infertur, Angelicum Doctorem esse vnum ex præcipuis defensoribus originalis puritatis Sanctæ Mariæ.

22 Obijciunt aduersarij locum illum Angelici Doctoris 3. part. q. 27. art. 2. vbi ait: *Sanctificatio Beatæ Virginis non potest intelligi ante animationem*[+], *aliter enim non incurrisset maculam peccati originalis, & per consequens non indiguisset redemptione, & saluatione facta per Christum, quod est inconueniens.* Contendunt enim hoc esse vltimum Angelici Doctoris elogium, quia decessit partibus non completis. Cui dubio variè satisfaciunt interpretes; quidam enim cum dicto Patre Fr. Philippo Bernal vbi supra discursu primero fol. 17. demonstrant, Beatum Thomam post summam conscripsisse alia opera, & idem obseruat Illustrissimus

[+] nec in instanti animationis

mus D. Payo de Ribera de probab. canoniz. n. 266. Omitto, quod locus hic summæ vitiatus est, in quem irrepserunt verba illa: *Nec in instanti animationis*, vt summa cũ diligentia obseruauit P. Petrus Posſinus in suo Vicentia victo, & si fiat comparatio cum antiquis codicibus operum Angelici Doctoris, inueniemus, verba illa esse supposita, quæ non inuenientur in editione Taurinensi anni 1582. nec in Veneta 1593. nec in Lugdunensi ann. 1608. nec in Coloniẽsi ann. 1639. & esse vitiatam hac in parte doctrinam Diui Thomæ ostẽdit idem Illustrissimus Ribera, vbi proximè n. 264. & n. 270. Rursus hoc comprobatur, quia processus quæstionis solũ est: *An Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem*, vt patet ex duarũ quæstionũ conclusionibus, quas infert sanctus Doctor, tam in probationibus, quam in opponentium argumentis, & in resolutione quæstionis, cõcludit, Beatam Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem, quia sanctificari per gratiam Christi nõ potuit, quando gratiæ capax non fuit; ante animationem autem capax non fuit. En vbi nullam facit mentionem sanctificationis in animatione, in qua erat capax gratiæ, & in solutione 3. vbi omnino erat respondendum huic illationi: *Aut sanctificata fuit ante animationem, vel ipso instanti infusionis animæ*, nihil respondet Angelicus Doctor ad vltimam illationis partem, & cum omiserit, videtur approbare sanctificationem Virginis in animatione; sic dum præterit solutionem argumenti, videtur silentio sanctificationem admittere in animatione; & Caietanus, cuius authoritati tota schola Thomistica subscribit, benè percepit in d. quæst. 27. art. 2. quod in illa quæstione non agebat sanctus Doctor de sanctificatione in instanti infusionis animæ: verba Caietani sunt: *Nam absolute loquendo, inter illas duas positiones extremas, scilicet, quod fuerit sanctificata, vel ante infusionem animæ, vel post infusionem animæ, est positio media, quod fuerit sanctificata in instanti infusionis animæ, cu-*

ius opinionis author hîc non meminit; ergo non benè adducitur hæc authoritas Diui Thomæ contra ſanctificationem in ipſa animatione Virginis: & conuincitur, quod verba illa: *nec in inſtanti animationis*, ſint obreptitia. Inducitur etiam alius locus Diui Thomæ in 3. ſentent. diſt. 3. art. 1. in quod etiam irrepſit illud mendum: *nec in ipſo inſtanti infuſionis animæ*, vt obſeruat Fr. Syluester de Saauedra in ſua ſacra Deipara veſtigat. 2. n. 697. Videatur etiam P. Guarnizo in ſuo memoriali. §. 9. & noſter aduocatus Eſpinar de Concept. diſcurſ. 13. §. 1. & 2. qui ſolidis fundamentis probant, Diuum Thomam ſtare pro ſanctificatione in infuſione animæ virgineæ; item probant, quod aduerſarij contaminauerũt puram Diui Thomæ doctrinam, vt etiam conſtat ex authoribus ſupra relatis.

23 Stat etiam fortiter pro puritate originali Deiparæ Sanctus Bonauentura 1. ſentent. diſt. 1. dicens: *Omnia quæ nunc ſunt, & quæcumque fuerunt à Deo producta, & producẽtur vſque in finem mundi, fuerunt ab æterno in Deo ſecundum cauſatiuam potentiam, & ſecundum ſimilitudinis præſentiam, quæ tamen habent ex tempore actualem exiſtentiam; & ideo hoc reſpectu, Deigenitrix dici poteſt tunc concepta, & per conſequens, ab originali vitio liberata.* Item in libro de laudibus Virginis, ibi: *Tu immenſiſſima Maria capacior es cælo, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. Si ergo Maria tam capax fuit ventre, quanto magis mente? & ſi capacitas tam immenſa fuit gratia plena, oportuit vtique, quod gratia illa, quæ tantam implere potuit capacitatem, eſſet immenſa.* Et poſt pauca: *Quis immenſitatẽ Mariæ poteſt menſurare?* Quis ergo obſeruabit maculas in ea Virgine, cuius gratia in ore Bonauenturæ ad immenſitatem pertingit? Item in ſpeculo B. Virg. lect. 1. *Puriſſima propter culpæ carentiam: ab omni væ culpæ immuniſſima.* Vidẽdus omnino in 3. diſt. 3. art. 2. q. 1. & in tribus ſermonibus in fine tom. 3. vbi clarè & aperte profitetur, Deiparam ab originali immu-

munissimam; & quamuis in Gallia degens, cum esset iuuenis in 3. sententiarum amplexus fuerit contrariam opinionem, iam senex, & in scripturis versatissimus, & in virtute mirabilis, sensum veritatis accepit, & expressit in hoc mysterio mentem fauorabilem.

24. Posuimus in hoc opere firmissima fundamenta Apostolorum, & Doctorum Ecclesiæ; quorum dicta & sententię, vt vidimus, sunt expressæ, & indubitatæ pro sententia nostra fauorabili. Si ad aliorum sanctorum, & interpretũ doctrinas nos conuerterimus, inueniemus innumeram ferè classem stantium pro puritate originali Beatæ Mariæ; in his referendis tomum integrum compilauit P. Eusebius. Veniamus ad Dominicanam familiam, ex qua militant pro immunitate Virginis præclarissimi sancti, & Doctores: multos refert Fr. Antonius de Calancha in sermone impresso Limæ ann. 1617. P. Guarnizus in memoriali. §. 10. affirmat, apud auctores inueniri immensum numerum Doctorum ex hac illustrissima familia, qui firmiter steterunt pro fauorabili Virginis opinione, & Illustrissimus Episcopus Ribera enumerat ex hac familia centum triginte sex Doctores expressos, & indubitatos pro nostra sententia in tract. de probab. canoniz. n. 592. Primus in lucem nostram veniat Beatus Dominicus, author certus pro opinione pia, quem secuti sunt Albertus Magnus, D. Vincentius Ferrer, B. Ludouicus Beltran. Iacobus de Voragine, Armandus, Paludanus. Bartholomeus de Pisa. Taulerus, Magister sacri Palatij Puente, Leonardus de Utino, Petrus Dore, Claudius de Rota, Iacobus Austrato, Albertus Casas Generalis, Ioannes de San Geminiano, Hugo de Prato, Balthasar Torio, Sotus, Catharinus, Ioannes Frenerio, Mansius, Peña, Ludouicus Granada, Balthasar Arias, Stephanus Mendes, Raymundo Pasqual, Alphonsus Cabrera, Antonius Nauarro, Ioannes Baptista Lanuza, Laurentius Gutierrez Nicolaus Ricardo, Ægidius Fuscauo, Ioannes Herol, Pau-

lus

lus Comeſtable, Thomas de Eſpina, Thomas Manri, Bartholomęus Miranda, omnes ex ordine Prædicatorum, inter quos etiam numerantur duodecim Magiſtri ſacri Palatij, & quatuor Generales Ordinis, vt videre eſt apud Palau, Aluarum Pizarro, Caniſium, & Ojedam, & nouiſſime apud Petr. Ioſephum Guarnizo in memoriali ad Archiep. Tolet. & in §. 10. deſignat loca, in quibus præcitati Doctores opinionem fauorabilem tenent.

25 Idque eleganti ſtylo inſinuat noſter Excellentiſſimus Prorex D. Petrus Fernandez de Caſtro, Comes de *Lemos* & Andrade, vnus ex Proceribus, & Magnatibus Hiſpaniç, pro bono Regni Peruani ad nos miſſus, qui in dedicatoria ad Reuerendiſſimum Generalem Fr. Ioan. Bapt. de Marinis ſub nomine Lemenſis ita loquitur: *Gratulor vobis erga Angelicum Doctorem ſumma laude piiſſimos, dum Pontifices Maximi ea proferunt, quæ & Thomæ placuiſſe nullus dubitaret qui legerit. Vidimus ex veſtra illuſtriſſima familia Heroês, & Proceres pro primæua Virginis puritate pugnaſſe; habemus fundatorem Hiſpanum ſanctiſſimum Dominicum; Cardinalem Xauerium; doctiſſimum Antiſtitem Catharinum, & ferè omnes.* Ita noſter Prorex, qui puriſſimæ Virginis Conceptionis deuotiſſimus ſemper extitit, & prædicta dedicatoria adeſt in libro, cui titulus: *Vindicatio S. Catherinæ Senenſis à commentitia reuelatione ipſi adſcripta.* Tandem videndus Magiſter Fr. Petrus Spinel de la Portaza Dominicanus in nouiſſimo tractatu huius myſterij ad Philippum Quartum, vbi probat communem, & indubitatam fuiſſe inter maiores ſanctos ſui ordinis præſeruationem Virginis à peccato originali in primo inſtanti conceptionis.

+ esse

26 In dubium vertitur [& ſine re] an Beatus Dominicus noſtram tenuerit ſententiam; verum dubitare de re tam certa, is tantum poteſt, qui lectioni Doctorum non incubuerit: nam frequentiſſimè hoc notant interpretes, vt videre eſt apud Ægidium Luſitanum lib. 3. q. 4. art. 1. §. 3.

n. 66.

n. 66. qui in admirationem rapitur, quare aliqui filij Sancti Dominici aberrauerint à via Patris sui in hac materia. Vidēdus Fr. Ludouicus à Conceptione 1. p. in præamb. testim. 15. n. 107. Et in Armentario Seraphico. n. 26. fol. 274. probatur quod Beatus Dominicus festum Conceptionis Beatæ Virginis celebrabat, & Magister Fr. Philippus Bernal in libro de sent. & mente D. Thom. disc. 2. affirmat, B. Dominicum esse vnum ex præcipuis defensoribus Conceptionis Beatæ Mariæ, quod etiam comprobat noster aduocatus Ioannes Guerrero de Espin. in suo tract. de Concept discurs. 13. & ante alios idem euidenter probat Illustrissimus Don Payo de Ribera de probab. canoniz. Concept. à n. 552. demum addit n. 557. *Igitur Sanctus Dominicus in libro illo, cui fuit titulus de sacramento corporis Christi, sententiam de immaculata Mariæ conceptione scripsit his verbis: sicut primus Adam ex terra virginea, & nunquam maledicta fuit, ita decuit in secundo Adam fieri, scilicet, Christo, cuius terra, id est, Mater Virgo nunquam fuit maledicta.* Accepimus etiam diligentia eiusdem Illustrissimi Episcopi authenticum testimonium, leuatum ex instrumento, siue tabula Barchinonensi antiquissima, cuius tenorem ad litteram proponit à num. 560. in quo continetur celebre illud miraculum; quo Beatus Dominicus origineam Virginis puritatem in Conceptione defendit contra Albigenses, qui Mariam in Conceptione maculatam defensabant; & misso libro Beati Dominici (in quo continebatur puritas immaculatæ Conceptionis) in furno ardenti, illæssus, & inustus euasit. De veritate huius libri, & miraculi, videndi Surius tom. 4. lib. 1. cap. 6. Lipomanus de vit. Sanct. p. 2. die 4. Augusti. S. Anton. 3. p. tit. 19. cap. 1. §. 4. Canisius lib. 1. de Mar. Deip. cap. 7. & alij multi apud Armament. Seraph. in Regest. fol. 563.

27 Illud dubitationem mouet aduersus præfatum librum, quod à nullo fuerit visus, lectus, aut manibus contrecta-

tus ex his, qui illum citant. Item liber Sancti Dominici adeò miraculosus in sua religione conseruaretur; & cum non appareat, videtur suspectus. Huic dubio respondet idem Illustrissimus Ribera vbi supra. num. 564. ibi: *Sed huic difficultati occurro primo, dicendo, ideo nihil vrgere, quia de medio tollit traditiones, omnemque notitiam à traditione acceptam. Licet enim liber ille Sancti Dominici à nullo ex his, qui eum citant, fuerit visus, sunt adeò vrgentia testimonia, tum à diuinis Officijs ab Ecclesia approbatis, in quibus de libro illo mentio fit, tum ab authenticis alijs instrumentis, tum ab innumerabilibus ex antiquis, & modernis scriptoribus desumpta, vt nullatenus de libro illo dubitari possit.* Demum mentionem facit, aliquorum interpretum illius temporis, qui videre potuerũt dictum librum, inter quos enumerat illustrem Dominicanum Vincentium Bellouacensem, qui in suo speculo histor. lib. 19. cap. 96. affirmat, Beatum Dominicum scripsisse hunc librum, & hic Auctor floruit post triginta quinque annos ab obitu Beati Dominici. Nec nouum est, non haberi copiam antiquorum librorum, qui varijs ex causis successu temporum deperire possunt, sicut de facto multa opera antiquorum Patrum deficiunt, neque ad nos peruenerunt, & grauissimi interpretes referunt, quod sanctus Thomas scripsit librum retractationum, in quo reformauit opinionẽ, quam aliquando habuit de Cõcept. B. Mariæ, & Magister Ioannes de Vitalis tract. de Concept. Virg. affirmat se vidisse prædictum librum Retractationum D. Thomæ, & Magister Fr. Philipus Bernal hoc habet pro constanti in suo libro de sententia, & mente D. Thomæ circa immaculatam Conceptionem, discurs. 1. fol. 18. & forsitan propter intestinas huius mysterij disceptationes, & controuersias inter authores eiusdẽ ordinis, per diuinam prouidentiam, vel per prudentiam humanam vterque liber occultatur, vel reseruatur illæsus in tempus diffinitum, vel præfinitum à Deo.

Hæ

28 Habemus etiam ex nostris Doctoribus iuris canonici, & ciuilis præclarissimos interpreres, qui magna soliditate, & maturitate veritatem immaculatæ Conceptionis defendunt; inter quos seligendi sunt Couarru. in cap. Alma Mater. p. 2. §. 5. n. 2. de sent. excom. Nauarro in manuali, præIud. 8. n. 9. & in cap. quando, de consecrat. dist. 1. notab. 19 n. 86. Tiraq. in tract. cessante causa, in caus. 51. n. 36. Guillelmus Benedictus. in cap. Raynutius, verbo, *& sobolem*. n. 20. de testam. Aluericus in dictionar. verbo, *conceptio*, in fine. Silua nuptialis lib. 5. cap. 9. Candelabrum aureum 1. p. de baptism. n. 56, & p. 4. de lege peccati. cap. 4. n. 7. Ioannes Azorius lib. 4. institut. moralium. cap. 34. q. 3. pag. 354. Don Antonio de Leon in poemate de immac. Concept, & in relat. festorum Ciuitatis Limensis in fauorem Concept. D. Franciscus de Leon in informat. iurid. pro purissima. Ioannes Guerrero de Espinar in sua informat. cōcordant. pro immac. Doctor D. Ferdinandus de Ojeda Salmanticēsis professor Decreti in cap. firmissimè. de consecrat. dist. 4. Guzman. verit. iur. in verit. 1. & in 2. Ioannes Dartes in Commentar. ad Decretum 3. p. de consecrat. dist. 4. Don Franciscus de la Cueua & Silua insignis aduocatus in sua informat. pro purissima Concept. Ildefonsus de Mergelina Montejo in discurs. iurid. pro Concept. Tandem tres insignes Doctores Abbas, & Anton. de Butrio in cap. fin. de ferijs, & Bri. in suo dictionar. verbo, *festum*.

29 Et Doctores nostri per clement. fin. de pœn. in illis verbis: *Beatissimæ Mariæ Virginis Matris Dei*, defendunt originalem Virginis puritatem, & in admirationem rapiuntur, dum excelsam illam dignitatem Matris Dei in Virgine contemplantur; insuper addentes, non esse credendum, quod Deus in matre peccatum permitteret; nec esse verisimile, quod Euam ancillam Deiparæ formasset sine peccato, & dominam eius Mariam in peccato sineret procreari, præcipuè cum sit hortus conclusus, & fons signatus, de qua dixit

dixit S. Hilarius, quod Angelos vincebat puritate. Addunt etiam, quod Maria sacratissima per antonomasiam dicitur ancilla Dei, & sic non permitteret, ancillam suam coinquinari.

30 Non abs re illud adiungemus, quod à plerisque Doctoribus circumfertur, videlicet: Beatam Mariam Angelis esse puriorem, vt refert Bellarmin. 3.p.q.27.art.2.disp.117. cap.4. P.Suar.3.p.q.27.art.2.disput.3. sect.5. P. Valencia 3.tom.lib.4.cap.17. P.Gabr.Vazquez tom.4.disp.2. q.1. P.Canisius lib.1.de B.Virg. Cordoua q. 44. & repete ea, quæ dixi supra ex D.Gregor.Taumat. Quibus accedit epistola Beati Ignatij Martyris, quã scripsit sanctissimo Apostolo, & Euangelistæ Ioanni, quam refert noster aduocatus Ioannes Guerrero de Espinar, de Concept. discurs.22. verba sancti Ignatij sunt, *Sicut à fidedignis narratur, in Maria Matre Iesu, humanæ naturæ natura sanctitatis Angelicæ copulatur*, & ex his verbis etiam deducit P.Eusebius puritatem originalem Beatæ Mariæ, in suo tract. de perpetuo obiecto Concept. in cap.1.fol.3.

31 Item ex iure nostro canonico veritas sanctificationis Sanctæ Mariæ in suo conceptu comprobatur: quia festum Conceptionis publicè celebrari indulsit Sixtus Quartus in cap. præexcelsa de Reliq. & venerat. Sanctor. & his qui celebrant, & intersunt huic festiuitati Conceptionis easdem cõcessit indulgentias, quas indulsit Urbanus Quartus celebrantibus festum corporis Christi; & alia constitutione sua in extrauaganti *Graue nimis* decreuit, vt nullus sub pœna excommunicationis asserere valeat, Deiparam in originali peccato conceptam, quam extrauagantẽ innouat sancta Tridentina synodus, & hoc etiam iubet Gregorius Decimusquintus per decretum sanctæ Generalis Congregationis, subdens, quod nullus in publicis concionibus, lectionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis audeat asserere, Beatam Mariam habere origina-

originalem maculam, & idem Pontifex erexit militiam sub titulo Conceptionis, circa quod vide Quaranta in summa Bullarum, verbo: *Conceptio Beatæ Mariæ.* Videndus textus in Extrauag. vnigenitus. de pœnit.

32 Illud non est prætereundum, quod multorum Pontificum veneranda probat authoritas, qui indulgentias concedunt illis, qui apud se conceptæ Virginis imagines seruant, & volunt sub hoc schemate Conceptionis immaculatæ effigiandas; & ab Ecclesia approbata est illa oratio: *Deus, qui per immaculatã Virginis Conceptionem, dignum filio tuo habitaculum præparasti, quæsumus, vt qui ex morte eiusdẽ filij tui præuissa, eam ab omni labe præseruasti*, in Officio Fratrum Minorum. Et in officio communi festi Concept, ibi: *Sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem.* Item in eodem officio approbato ab Ecclesia dicitur de Beata Maria: *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam;* ergo in decretis diuinis primogenita est, & in ordine gratiæ prima ante Adam, cuius casus & transgressio non tangit illam, quæ erat in primogenio gratiæ: argum. textus in l. 7. §. si quis, ff. de Senatoribus, & l. filium 9. ff. eodem.

33 Admonendi etiam sumus, quod in Decreto Gratiani inueniuntur quædam glossę, quæ necessario delendæ sunt ante diffinitionem huius mysterij, à Summo Pontifice faciendam: nam in cap. 1. de consecrat. dist. 3. glossa, verbo *natiuitas* affirmat, quod Conceptio Beatæ Mariæ non est celebranda, quia fuit in peccatis concepta, & in pandectis antiquis ante annum 1561. adest ibidem glossella marginalis per hæc verba: *Istud dictum glossæ est hæreticum & reprobatur per textum, quem tu teneas in extrauaganti Sixti Quarti, quæ incipit graue nimis, cum qua concordat, & bene Abbas, & Antonius in cap fin. de ferijs, & Bri. in suo dictionario.* Hæc glossella sublata est ab anno 1561. in plerisque pandectis, & benè sublata est, quia non debet condemnari

hæ-

hæretica propositio contraria: sed nõ bene retinetur altera glossa, verb. *natiuitas*, in qua expresse dicitur, quod fuit concepta in peccatis, & nõ dubito, quod à summo Præsule deleri mandabitur. Similis defectus deprehenditur in cap. per baptismum 1. de consecrat. dist. 4. vbi glossa verbo, *miraculo*, hæc habet: *Mariæ natiuitas in vtero non celebratur; sed natiuitas ex vtero bene*, in qua etiam aderat alia glossella ad marginem, vbi dicebatur: *hoc dictum glossæ iam est antiquatum, & reprobatum per Doctores*: ablatum est id quod proderat, & relictum est, quod nocet, sed semper veritas vincit. In summa; Ecclesię sanctę fixa est consuetudo colendi non nisi certam, & indubitatam sanctitatem; & declarat Alexander Septimus, non aliud celebrasse Ecclesiam, quã puram Conceptionem B. Virginis. Si contrarium posset esse verum, mater Ecclesia non sineret tale festum celebrari. Si non esset immaculata illa conceptio, celebraretur id quod non est, & cum mendacio celebraretur, quod neque vigiles Vicarij Christi permitterent: neque decebat, quod domus illa, quam habitandam sibi Deus ædificauit, ante eius ingressum occuparetur ab immundissimo hospite diabolo.

34 Vidimus, quam certa, & communis omnium ferè Patrum sit opinio fauorabilis pro pura cõceptione. Sed quia quidam Vicentius Bandellus dicitur affirmasse, contrariã opinionem esse de commmuni consensu Patrum, in quo confutatur ab Ægidio, Eusebio, & Chryptohilo supra; ideo mihi cum illo erit certamen.

PALÆSTRA CONTRA BANDELLVM.

35 NOn leue mihi cum Bandello iurgium, cum quo in arenam descendo, Deiparæ defensurus puritatem, clypeum veritatis arripio, & in Bandellum fortiter insurgo, qui suppositis Doctorum opinionibus, & ementitis authorita-

ritatibus claritatem sereniſſimæ Deigenitricis fuſcare non veretur. Fortiſſimi Duces P. Euſebius, & Chryptophilus Marianus diligentiſſimè contra Bandellum decertarunt, quos ego ſequutus non parum contribuam ex iuris canonici penu, & oſtendam, multis in locis per Bandellum vitiatos eſſe ſacros Doctores, vt ſic omnium fidelium animos alliceret, & mentis aſſenſum contra puritatem originalem B. Mariæ extorqueret. Supponit ergo Bandellus, Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, & Gregorium, Eccleſiæ lumina, aliosque Eccleſiæ Patres ſtare contrarios puritati Conceptionis Sanctæ Deiparę. Si verum diceret, quis cõtraire auderet ſacris Doctoribus: ſed cum vtatur falſis Doctorum ſuffragijs, vt probet, Beatam Mariam in ſuo conceptu, originalis culpæ ſorde fuiſſe deturpatam, erit ab omnibus in poſterum reprobandus hic author. Sed iam iuſto trutinæ examine authoritates adductas â Bandello pẽdamus. Adducit enim pro contraria opinione puritatis originalis B. Mariæ. D. Auguſtinum lib. 3. Catholicæ fidei cap. 13. vt probat dictus Chryptophilus in ſua trutina fol. 63. per hæc verba: *Non ſolum mortem corporis, quæ peccati pæna eſt, ſed etiam peccatum, quod eſt mors animæ per vnum hominem in omne genus hominum trãſijſſe credo, & fateor, ſicut dicit Apoſtolus: Per vnum hominem peccatũ intrauit in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertrãſijt, in quo omnes peccauerunt: propter hanc regulam fidei, etiam paruulos, qui nihil peccatorum in ſe ipſis committere potuerunt, ideo in remiſſionem peccatorum in Matre Eccleſia baptizari concedo, vt regeneratione mundetur, quod carnali generatione traxerunt.* Demonſtrat Chryptophilus, non inueniri huiuſce verba in operibus S. Auguſtini, nec ſcripſiſſe libros Catholicæ fidei. Sed ego cœpi Bandellum, & inueni fontem, à quo traxit præfata verba, ea enim traxit vitiata. Sunt enim Diui Auguſtini in lib. vnico de diffinitionibus orthodox. fidei, & Eccleſiaſt. dogmat. tom. 3. & primam clauſulam eduxit

ex

ex cap. 39. prædicti libri, ibi: *Mortem autem corporis, quæ pœna peccati est, & peccatũ quod mors est animæ per vnum hominẽ in omne genus humanum transisse*, quæ verba etiam habentur in Cõcilio Tridentino sess. 5. Vltimam autem clausulã, ibi: *Sicut dicit Apostolus per vnum hominem*, eduxit Bandellus ex eodem lib. vnico cap. 34. vbi Doctor sacer refert verba Concilij Mileuitani, relata in cap. placuit 153. de consecrat. dist. 4. ibi: *Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: per hominem vnum intrauit peccatum in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt: nisi quemadmodum Ecclesia Catholica, vbique difusa semper intellexit. Propter hanc regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt*, habentur etiam in Concilio Tridentino vbi proximè. Vides qualiter deprauatus fuerit locus à Bandello; iam addendo, iam diminuẽdo de verbis Sancti Doctoris, & Concilij Mileuitani, cui legatus adfuit Diuus Augustinus. Neque ex prædictis verbis aliquid infertur contra puritatem originalem B. Mariæ: nam etsi omnes paruuli sint baptizandi, quamuis propriæ actionis peccatum non habeãt: tamen id fit, quia originalis peccati damnationem carnali conceptione traxerunt, & ad tollendam illam maculam baptizantur; quod nemo Catholicus negat, inspectis naturæ humanæ & corruptæ carnis principijs, sed in B. Maria fallit regula, in qua non naturæ leges, sed gratiæ militant, propter quæ non fuit inclusa in pacto cum Adam, imo excepta per Filium Redemptorem; alioquin si pacto fuisset cõprehẽsa, inde sequeretur, quod si Adamus nõ peccasset, per Adamum Virgo iustificaretur, & propter illũ retineret iustitiam originalem, quod nõ est dicendum, cũ omnes potius per Deiparam reparentur, & constituantur in gratia. Nec obest, quod fuerit baptizata Beata Maria, nam nõ in-

diguit baptiſmo, vt caro eius mundaretur, quam ſuſcepit de noſtra conditione, vt probo cap. 17.

33 Pergamus cum Bandello, qui affert aliam authoritatem D. Auguſtin. lib. 2. de peccat. merit. & de bap. paru. cap 14. tom. 7. vt refertur in dicta trutina fol. 57. ibi: *Solus ergo ille, etiã homo factus manens Deus, peccatũ nullũ habuit unquã, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati.* Probant doctiſſimi Vega, & Chryptophilus, locum Auguſtini eſſe vitiatum à Bandellizantibus, præcipuè in illis verbis: *Quamuis de materna carne peccati:* pro quibus, in omnibus ferè impreſſionibus legebatur: *quamuis de natura carnis peccati.* Scio illam lectionem: *De materna carne peccati* in aliquibus editionibus haberi, ſed ad marginem: at Bandellizantes libenter in textum tranſtulerunt verba marginalia, quia peccatum Matri Dei attribuunt, & ita contaminarunt locum Auguſtini; & exiſtimo etiam in illa authoritate irrepſiſſe aliud vitium, ibi: *Nec ſumpſit carnem peccati.* Moueor: nam in hac propoſitione; *An Chriſtus aſſumpſerit carnem peccati* diuerſos & contrarios exiſtere D. Hieronymum, & D. Auguſtinum comperio. Hieronymus, vt habetur in cap. vtilem 22. q. 2. affirmat, nõ ſuſcepiſſe carnem peccati, ibi: *Cum & ipſe Dominus noſter non habens peccatum, nec carnem peccati, ſimulationem peccatricis carnis aſſumpſerit.* Non ſic Auguſtinus, qui lib. 1. de peccat. merit. & baptiſm. paru. cap. 32. relatus in cap. Filius Dei, de cõſecrat. diſt. 4. dicit, quod Filius Dei aſſumpſit carnem peccati, ibi: *Filius Dei carnem peccati ſuſcepit, & pœnam ſine culpa, vt in carne peccati, & culpa ſolueretur, & pœna.* Hæc integra clauſula erat tempore Gratiani in libro 1. de bapt. paru. apud Auguſtinum, vt patet ex textu iuris canonici, nuper relato. Sed hodie ab hoc libro 1. ſublata ſunt illa verba in Auguſtino: *Filius Dei carnem peccati ſuſcepit,* & cum mendo tranſlata ſunt ad librum ſecundum de paru. bapt. ibi: *Nec ſumpſit carnem peccati.* Nec eſt cre-

credendum, quod tantus Doctor Augustinus in eodem tractatu de baptismo paruulorum in continenti se corrigeret. Nec est ambigendum de textu iuris canonici, quod sit Augustini, vt patet ex eo, & ex eius epigraphe. Quid autem dicemus ad antilogiam vtriusque sacri Doctoris? Dicendum, quod caro Christi vocatur caro peccati secundum generalem carnis humanæ rationē, quia carnem humanā assumpsit ex Adami propagatione, secundum illud: *Qui factus est ex semine Dauid secundum carnē*, & alibi: *Semen Abrahæ apprehendit*, & in hoc sensu locutus est Augustinus. At Hieronymus speciales, & repugnantes rationes cōtemplatus, non sumpsisse carnem peccati asseuerat, de quo dicam cap. 19. Eadem dicamus de B. Maria, cuius caro dicitur caro Christi in cap. Accesserunt. de consecrat. dist. 2.

37 Non est omittendum, quod Bandellizantes confingunt alium sacri Doctoris Augustini locū in lib. de fide ad Petr. Diac. tom. 3. per hæc verba: *Dum enim sibi ipsi inuicem vir & mulier miscentur, vt filios generent, non est sine pudenda concupiscentia parentum concubitus, & ob hoc filiorum ex eorū carne nascentiū non potest esse sine peccato cōceptus. Dei ergo filius vt illud peccatum, quod in concubitu mortalis carnis, generatio humana contraxit, auferret; conceptus est nouo more sine coitu viri, sine libidine concipientis Virginis.* Omnis apparatus huius authoritatis eo perducitur, vt credamus, quod Virgo fuit concepta in commixtione carnis & seminis, quod quidem non officit, nam per diuinam gratiam potuit sic concipi sine peccato, maximè vbi parentes Sanctissimi Ioachimus, & Anna conuenerunt ex præcepto Dei sine libidine; erant enim steriles, vt reuelatum est sanctę Birggittæ, & ex multis sanctis postea probamus suo loco, & quod concepta fuit per miraculum, vt dicit glossa. verbo miraculo, in cap. 1. de consecrat. dist. 4. circa quod videndus S. Ioan. Damascen. orat. 1. de Natiu. Mariæ, ibi *O Beatos Ioachimi lumbos, &c.* S. Ildef. in serm. de natiu. Mariæ tom. 3.

Biblio-

Bibliothec. ibi: *Sed ex Anna sterili, &c.* Ludouicus de Saxonia in vita B. Annæ cap. 5. Omitto, quod vitiata prorsus sit sententia Augustini per Bandellizantes, & ego qui delector in doctrina Angelici Doctoris, tanquam in amœnissimo, & purissimo viridario, his diebus operam dedi in percipienda mente sacri Doctoris circa libros sententiarum; & ignoro an casu, vel data opera peruenerim ad commentarios libri secundi sententiarum, vbi dist. 31. quæst. 1. art. 1. ad finē ponuntur verba Magistri sententiarum, quæ explicantur ab Angelico Doctore. Verba Magistri hæc sunt: *Noster vero cōceptus nō fit sine libidine, & ideo non est sine peccato. Quod euidenter Augustinus ostendit in libro de fide ad Petrum, sic dicens. Quia dum sibi inuicem vir, mulierque miscentur, sine libidine non est parentum concubitus: ob hoc filiorum ex eorum carne nascentium, non potest sine peccato esse conceptus: vbi peccatum in paruulos non transmittit propagatio, sed libido, nec fœcunditas naturæ humanæ facit homines cum peccato nasci, sed fœditas libidinis, quam homines habent ex illius primi iustissima condemnatione peccati.* Hæc est pura, & sine macula sancti Doctoris Augustini sententia, ex illo libro de fide ad Petrum Diaconum, quā admittit Angelicus Doctor; sed eam prorsus contaminauerunt Bandellizantes, additis multis verbis, multisque detractis, vt videbis apud sanctum Doctorē Augustinum 3. tom. & in nouissima impressione in Appendice. fol. 386. vol. 2. litt. B. Eamdem authoritatem inuenio apud sanctum Fulgentium in operibus ipsius fol. 83. cap. 2. Sed videbimus suo loco, quomodo Beata Maria fuerit concepta sine libidine parentum, vt dixi, & per miraculum, vt dicit glossa verbo *miraculo* in cap. 1. de consecrat. dist. 4. Libido etiam est, quæ peccatum originale transmittit in prolem, vt dicit Angelicus Doctor d. quæst. 1. art. 2. & in 1. part. quæst. 118. art. 2. ad 3. & D. Augost. lib. 1. de nupt. cap. 24. & lib. 2. cap. 26. Et vide in cap. firmissimè, de consecrat. dist. 4.

in

inprincipio. Sed cupio ſcire, vnde traxerint Bandellizantes illa verba: *Sine pudenda concupiſcentia*? Certè non ſunt illius loci, & per ſubreptionem tribuuntur Auguſtino in libro ad Petrum Diaconum. Mihi tamen compertum eſt, prædictum additamentum fuiſſe deſumptum ex Auguſtino lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 11. cuius verba referuntur in cap. omne itaque 27. q. 2. ibi: *Omne itaque nuptiarum bonum impletum eſt in ipſis parentibus Chriſti*, & poſt pauca: *Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poteſt ſine pudenda concupiſcentia carnis, quæ accidit ex peccato, ſine quo verè concipi voluit, qui futurus erat ſine peccato*. Verba quidem aurea, quæ etiam conſiderari debent in Matre propter honorem Domini. Si enim Saluator noſter voluit concipi ſine peccati concupiſcentia, quia in vitæ progreſſu non erat habiturus peccatum mortale, nec veniale, & vt dicit lumē Eccleſiæ Auguſtinus in præſenti: *Quia futurus erat ſine peccato*. Ergo cū diffinitum ſit à ſacris concilijs, quod Deipara non habuit peccatū mortale, nec veniale, dicendū reſtat, Beatam Mariam non fuiſſe conceptam in peccati concupiſcentia, hoc certum eſt. O bone Deus, quanta confingunt Bandellizantes ad maculandam puritatem originalem Beatæ Mariæ!

38 Expendit etiam Bandellus aduerſus puritatem originalem Deiparæ alium locum D. Hieronymi in lib. aduerſus Heluidium de perpetua Virginit. vt habetur in d. trutina fol. 63. ibi: *Chriſtus peccatum nullum fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, ad quem venit Princeps mundi huius, & in eo peccati nihil inuenit. Qui ergo peccatum non fecit, pro nobis mortuus eſt. Nos autem peccauimus, & nemo mundus eſt à peccato, nec ſiquidem vnius diei fuerit vita eius. Tenemur enim rei omnes in ſimilitudinē præuaricationis Adæ; vnde & dicendum: Ecce enim in iniquitatibus cōceptus ſum, & in peccatis cōcepit me mater mea; ſed aduocatū habemus apud Patrem, Dominum Ieſum, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non autem pro noſtris*

tantum, sed etiam pro totius mundi. Rumpuntur trutinatores in perquirenda hac authoritate apud Hieronymum in prædicto libro contra Heluidium, nec tamen potuerunt eam inuenire. Sed ò Aduocata peccatorum, quam tenebræ non apprehenderunt! tu nos ducis ad veritatem: tu detegis omnem falsitatem, maximè si agatur de tua puritate: tuo auxilio inueni locum Hieronymi, sed non in libro contra Heluidium, sed in lib. 2. contra Iouinianum, qui liber ferè totus trassumptus est in cap. si enim. de pœnit. dist. 2. Nihil sumit in manus Bandellus in hac materia, quod non contaminet; sic librum pro libro suppofuit: sed in Decreto Gratiani, quingentis annis priusquam scriberet Bandellus, ponitur ad litteram locus sacri Doctoris, in d. cap. si enim, vbi sic scribit contra Iouinian. ibi: *Christus peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui cum malediceretur, non maledixit, & tanquam agnus coram tondente se sic non aperuit os suum, ad quem venit Princeps mundi huius, & inuenit nihil in eo; qui cum peccatum non fecisset, pro nobis ipsum peccatum se fecit Deus, id est, pœnam peccati pertulit. Nos autem iuxta epistolam Iacobi, multa peccamus omnes. Et nemo mundus à peccatis, nec infans si vnius quidem diei fuerit vita eius. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? tenemurque rei in similitudinẽ præuaricationis Adæ: vnde & Dauid: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Deinde post multas lineas addit D. Hieronymus in prædicto libro, & textu: *Sed aduocatum habemus apud Patrem, Dñm nostrum Iesũ Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solum pro nostris, sed etiam pro totius mundi.* Dicebat Iouinianus, baptizatos non posse peccare, perperam intelligens illud Ioan. epist. 1. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius manet in eo, & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Docet in præsenti D. Hieron. qualiter procedat locus Apostoli, & statuit, omnes homines sub vitio esse, nõ quod omnes peccauerint, sed quod peccare pos-

sint,

ſint, De potẽtia peccandi, & de peccato actuali agit Hieronymus, non de originali; & licet obiter addiderit, infantes teneri reos in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, non illud principaliter agebatur, nec de hoc contendebat Hieronymus contra Iouinianum; vnde non benè Bandellus hanc authoritatem inducit contra puritatem B. Mariæ. Omitto, addita eſſe multa verba à Bandello, detractaq; plurima ex authoritate Hieronymi, vt ſic bandellinũ figmentũ poſſet procedere. Sed nec illud omittam, quod cũ Hieronymus dixiſſet, *multa peccamus omnes*, & poſt pauca: *Tenemur rei in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. Ly omnes*, quod erat ſubiectum peccati actualis in verbis Hieronymi, detraxit Bandellus, dicens: *nos autem peccauimus*, & particulam illam *omnes* miſit ad peccatum originale: *Tenemur rei omnes in ſimilitudinem præuaricationis Adæ*.

39 Ex hoc textu in d. cap. ſi enim compoſuit Bandellus aliã fraudem: nam citat D. Hieronymum 3. ad Galat. ſic loquẽtem. *Nullus homo exiſtit ſine peccato; ſed concluſit Deus omnes homines ſub peccato, vt omnibus naſceretur, excepto eo ſolo, qui peccatum non fecit*. In vanum laborat Bandellomaſtix in dict. trutina fol. 45. in perquirendis verbis Hieronymi apud Galatas; ſemper loquitur ad Epheſios in hac materia Bandellus. Ad rem ergo. Prędicta authoritas Hieronymi eſt, ſed vitiata à Bandello; ideo occultauit locum, & falſum ſuppoſuit, nam in epiſtola ad Galatas, præfata verba, nec his ſimilia habentur; ſed ex eodem fonte, â quo hauſit authoritatem antecedentem, deprompſit hanc vltimam; & vt de more habet, commixtis diuerſis eiuſdem libri periodis, fecit vnum compoſitum male diſpoſitum. Deduxit ergo hanc authoritatem ex d. cap. ſi enim, & ex eodẽ lib. 2. Hieronymi contra Iouinianum. Verba textus ſunt: *Quis veſtrũ ſine peccato eſt? Concluſit Deus omnia ſub delicto, vt omnibus miſereatur*: & poſt pauca; *Docuimus quod excepto Deo omnis creatura ſub vitio ſit, non quod vniuerſi peccauerint, ſed quod pec-*

care

care possint. Miscuit Bandellus vtramque clausulam, & adiecit quædam, detraxit alia. Cum dixisset Hieronymus: *Quis vestrum sine peccato est?* Non erubuit Bandellus ita versare, *Nullus homo est sine peccato.* Et cum Sanctus Doctor dixisset: *Excepto Deo, omnis creatura potest peccare,* Bandellus libenter in textum admisit; *Excepto eo solo, qui peccatum non fecit.* Sic ex illo textu diuersa fragmenta hinc inde coadunauit Bandellus, & omnia sub vitio composuit, tantumque illa verba eduxit de illo fonte: *Conclusit Deus omnes sub peccato, vt omnibus misereatur*, in quibus indicia etiam falsitatis apparent, si non in mente Doctoris, saltim in verbis: vel deprompsit à Hieronymo epist. ad Algasiam tom. 3. fol. 361. ibi: *Nullus homo absque peccato, sed conclusit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur, absque eo solo, qui peccatum non fecit.* Vide quia loquitur solum de actuali peccato.

40 Alterum vitium, vt suspicor, inuentum est in Bandello, qui tribuit sancto Innocentio Primo in suis epistolis aliam authoritatem falsam, vt dicitur in dicta trutina fol. 33. per hæc verba: *Omnes homines ab Adam carnaliter generati trahunt originale peccatum, à quo nisi per Christi gratiam liberentur, damnationem consequuntur æternam. Non enim imago Dei in paruulis tam graui supplicio puniretur, nisi à parentibus originale peccatum traherent: nemo enim excipitur, nisi ille, quem sine peccato virgo concepit.* Chryptophilus in d. trutina affirmat, quod hæc authoritas in epistolis Innocentij non potuit inueniri. Ego per amplissimum campum iuris canonici diuersatus, præcipuè in Decreto Gratiani, qui ferè omnes epistolas Innocentij Primi compilauit, non potui reperire hanc authoritatem. Scio, quod vnus ex Bandellizãtibus, Petrus scilicet de Vincentia in suo opusculo de Concept. adducit hanc numero authoritatem Innocentij, & in citatione addit hæc verba: *In epistola sic dicit Augustinus, dicit in primo & secundo contra Iouinianum.* Sed neque in Au-

gustino in prædicto loco hucvsque inuenta est authoritas præfata. Unde in violentam suspicionem incidi, quod Bandellus hanc authoritatem deprompsit ex cap. firmissime 3. de consecrat. dist. 4. qui textus est S. Augustini lib. de fide ad Petr. Diacon. cap. 26. tom. 3. ibi: *Firmissime tene, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, & naturaliter nasci iræ filium;* & inferius: *A qua ira nullus liberabitur, nisi per fidem mediatoris hominis Iesu Christi:* & subiungit *Paruulos sine sacramento baptismi si de hoc sæculo transeunt sempiterno igne puniendos, quia & si peccatum propriæ actionis nullum habent: originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione traxerunt.* Totum textum conturbauit Bandellus, & suo more intromisit duas clausulas, illam scilicet *non enim imago Dei*, quã eduxit ex Augustino lib. 1. contra Iulianum cap. 4. ibi: *Et dic vbi imago Dei tam graui supplicio puniatur;* & etiam illam: *nemo enim excipitur.* Dices, quod idem dicit Bandellus, quod Augustinus, exceptis duabus clausulis. Fateor, sed non dicit eodem modo. Nam Augustinus dicit, *Omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci,* quæ sic versat Bandellus; *Omnes homines ab Adam carnaliter generati, trahunt originale peccatum.* Item Augustinus: *A quo nullus liberabitur nisi per fidem mediatoris hominis Iesu Christi.* Versat Bandellus: *A quo nisi per Christi gratiã liberentur, damnationem consequuntur æternam.* Item Augustinus: *Paruulos sine sacramento baptismi, sempiterno igne puniendos, quia peccati damnationem carnali conceptione traxerunt.* Quæ sic vertit Bandellus: *Damnationem consequuntur æternam; non enim paruuli tam graui supplicio punirentur, nisi à parentibus originale peccatum traherent.* Et illa clausula Bandelli, quæ faciebat dubium: *Nemo excipitur, nisi ille, quem sine peccato virgo concepit*, neque in textu canonico, neque in Augustino reperitur.

41 Item adducit Bandellus quatuor alias authoritates Diui Ambro-

Ambrosij, vt habetur in dicta trutina, fol. 27. Quoad tres priores vocatur in examen in dicta trutina, & iudicatus est de falsitate, & conuictus est de mendacio. Quartã autẽ authoritatem, quam tribuit sanctissimo Ambrosio in sermone Purificationis, nemo hucusque potuit reperire. Videamus qualiter hanc authoritatẽ effingat Bandellus; dicit sic: *Talis erat omnium à primis ducta genitoribus causa mortalium, vt originali peccato transeunte per posteros, nullus pœnam damnationis euaderet, nisi Verbum caro fieri dignaretur. Vt enim repararet omnium vitam, suscepit omnium causam, & vim veteris Chirographi, quod solus inter omnes non debuit, pro omnibus soluendo euacuauit.* Dic mihi Bandelle pro amore Dei, ex qua pharetra hanc sagittam extraxisti contra Deiparã? Ego statim ad Decretum Gratiani conuolaui, vbi succus operũ Diui Ambrosij exprimitur; legi & perlegi canones, qui ex verbis sacri Doctoris compilati sunt, & tantũ inueni textũ in cap. scire debet. dist. 76. qui textus compaginatur, tã ex sermone de Pentecoste, quã ex Apologia pro Dauid, & integer textus est D. Ambrosij in prædictis locis, ibiq; verba sequẽtia inueniuntur: *Post Domini passionẽ, remisso totius culpæ debito, chirographoque euacuato, suscipimus in nos aduenientẽ gratiã Spiritus sancti.* Habemus vestigia euacuationis, & chirographi in D. Ambrosio: sequamur hæc vestigia, forsã prædam apprehendemus. In serm. de Pentecoste nihil inueni ex his, quæ Bandellus tribuit Ambrosio. Videamus an in Apologia pro Dauid aliquid pro Bandello contribuat Ambrosius. Habet enim S. Doctor duas Apologias pro Dauid, licet de secũda dubitet Erasmus, quia in phrasi eloquẽtiam eius non redolet, de qua tẽporũ iniuria aliqua deperierunt, vt dicit Schenleuen. de antiquit. cap. 6. §. 2. Prima autem Apologia constat diuersis & separatis capitibus, quibus visis suspicor, Bandellum aliquid fecisse de suis ad offuscandam puritatem originalem B. Mariæ, simulque ex vtraque apologia, hinc inde petitis, & collectis fragmentis,

com

composuisse illam periodum, quã tribuit Ambrosio. Fecit ergo rerum ac verborum mixturam, sibi satis perniciosam. Ad rem ergo: dicit Bandellus: *Talis erat omnium à primis ducta genitoribus causa mortalium, vt originali peccato transeunte per posteros, nullus pœnam damnationis euaderet.* Hanc clausulam, vt suspicor, composuit ex secunda Apologia S. Ambrosij, ibi: *Omnes in primo homine peccauimus*, & *per naturæ successionē, culpæ quoque ab vno in omnes transfusa successio est. In eo conditio humana deliquit, quia per vnũ in omnes pertransiuit peccatum*; & iterum: *Rectum, & manifestũ est, nos adinuentioni Adæ, qui carnaliter egit, non debere obsecundare, qui prior peccans, mortem nobis hæreditatis titulo reliquit in æterna damnatione.* Prosequitur Bandellus: *Vt autem repararet omnium vitã, suscepit omnium causam, & vim veteris chirographi, quod solus inter omnes nõ debuit, pro omnibus soluēdo euacuauit.* Hanc periodum composuit Bandellus ex vtraque Apologia; dicit enim Ambrosius in 1. Apologia cap. 3. *Propter omnium redemptionem infirmitates nostras Christus suscepit*; & in eodem cap. 3. *Dominus autem onus suscepit alienum*; & paulo inferius: *Verus crucifigendus generi annuntiabatur humano, qui serpentis diaboli venena vacuaret: qui totius mundi maledicta deleret*: & in eadem Apologia 1. cap. 8. *Post Domini passionem remisso culpæ totius debito, chirographoque euacuato, suscipimus gratiam.* In eadem Apolog. 1. c. 13. *Donauit nobis peccata Dominus Iesus, delens chirographum; deleuit sanguine suo: Euæ deleuit obligationem hæreditatis obnoxiæ.* Sed ex Apologia secunda non minora decerpsit, ibi: *Cautionem tuam tenebat inimicus, sed eam Dominus crucifixit, & suo cruore euacuauit: abstulit debitum tuũ, reddidit libertatē*; expressius autem in eadem Apologia secunda, ibi: *Omnes enim sub peccato: omnes Adæ illius subiacent prolapsioni; ideo Redēptor eligitur, qui obligationi veteri obnoxius esse non possit; qui suscepit hominis conditionem, vt in carne sua peccatum omnium crucifigeret, & chirographum vniuersorum suo cruore euacuaret*

caret. Venit vt se offerret pro omnibus, & quasi bonus negotiator mercem suam proprij corporis passione seruauit; ascendensque patibulum, peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, & totius mundi peccatum, sanguinis solutione mundauit; omniũ in se suscepit seruitutem, vt daret vitæ æternæ libertatem. Certum videtur, quod ex hoc loco formauit Bandellus illam sententiam, quam tribuit D. Ambrosio. Tota vis Bandelli in hac, & alijs authoritatibus sistit in eo, quod Christus Dominus singulariter excipiatur à sententia culpæ originalis, quod nos quoque admittimus, inspectis naturæ diuinę principijs propter personalitatem Verbi; sed Deipara ex priuilegio gratiæ excipitur, & ei debita fuit puritas originariæ gratiæ habitualis, eo ipso, quod in Dei Matrem fuit electa, vt probo cap. 17. & nouissimè idem tradit insignis Doctor P. Didacus de Auendaño in epithalam. à n. 449.

42 Illud non omittam, quod Bandellus pro suo figmento citat Beatum Cyrillum Alexandrinum super Lucam, vt habetur in dicta trutina fol. 73, ibi: *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei in Christo, qui solus fuit sine peccato.* Satis probat Chryptophilus in dicta trutina, quod authoritas est falsa, quod etiam mihi compertissimum est: nam Sanctus Cyrillus Alexandrinus fuit indubitatus defensor puritatis Deiparæ in suo conceptu, & semper eam excepit â regula, & eam à peccato immunem prædicauit. Dicit enim lib. 6. in Ioannem cap. 15. *Excepto solo Christo, & Beatissima eius Matre excepta, omnes in peccato nascimur*, & idem Sanctus in lib. contra Nestorium, ibi: *Propter filium, temerarium est in Maria Virgine ponere culpam aliquam, vel peccatum.* De decus esset Christi Domini, quod poneretur peccatum in matre eius, ideo dixit: *Propter filium, temerarium est ponere peccatũ in Maria.* Item vitiauit Bandellus aliam authoritatem Sãcti Ildefonsi Archiepiscopi Toletani in libro contra eos, qui disputant de perpet. Virginit. Sanctæ Mariæ, vt habetur in dicta trutina fol. 93. Verba sancti Ildefonsi, vt ponũtur

tur à Bandello sic se habent: *Virgo nisi in vtero matris sanctificata fuisset, minimè eius natiuitas colenda esset, nunc autem quia authoritate totius Ecclesiæ celebratur, constat illam, scilicet, natiuitatem, ab omni originali peccato immunem fuisse. Nullis ergo, postquam nata est Beata Virgo delictis subiacuit, nec originale peccatum iam in vtero sanctificata, nascendo contraxit, id est, secum traxit.* Etenim Sanctum Ildefonsum stare pro immaculata Virginis Conceptione palam est, idque ostendit Franciscus Viuarius Ordinis Cisterciensis, in suis sanctis Patribus vindicatis, & habemus huius rei manifestissimum testimonium apud sanctum Ildefonsum in serm. Purificat. vbi ita loquitur de Beata Maria: *Nulla ei vexatio carnis, nulla fœditas diræ conditionis ei, in qua vexilla virtutum micarunt: nullum peccatum primæ originis, vt cruciaretur, viguit.* Nec locus adductus à Bandello obstat, nam eum vitiauit in multis & essentialibus verbis, & truncauit præcipuas clausulas sententiæ sacri Doctoris Ildefonsi, & addidit multa verba, quæ non habẽtur apud Ildefonsum; & in eodem loco de perpet. Virgin. clarè affirmat S. Ildefonsus, Deiparam non contraxisse originale peccatum, ibi: *Non contraxit in vtero sanctificata originale peccatum*, & post pauca: *decus virtutis Beatissimæ Virginis pudicitiam prædicare incorruptam, & incontaminatam & ab omni contagio primæ originis confiteri alienam.* Tādem dicit Chryptophilus in trutina fol. 95. quod Bandellus vitiauit hanc Diui Ildefonsi authoritatem, & adducit originale sacri Doctoris, ac tandem addit: *Cur autem Bandellus in sua authoritate prætermisit omnia prima verba Ildefonsi, ex quibus pendet omnis sensus reliquorum, nisi vt fugeret ab illa clausula: alias autem, necnon ab illa: nec contraxit in vtero sanctificata originale peccatum? sunt enim hæ clausulæ essẽtiales, & immaculatæ Conceptioni Beatæ Virginis fauentissimæ*; addit & alia plura Chryptophilus ad conuincendum Bandellum in hac authoritate.

Heu

43 Heu quam difficille est ingenio cedere! multos præcipi-
tes fecit amor propriæ voluntatis. Propositio ab initio ma-
le fundata infelices solet exitus generare, & aliquãdo com
pellit sacra violare: ita fit in præsenti: cecidit Bandellus &
inuẽtus est dolus in ore eius in falsificanda doctrina Patrũ:
In trutina Chryptophili falsificati sunt a Bãdello sexaginta
sex Patres, & plusquam ducentæ authoritates vitiatæ sunt.
Ego omnium minimus non pauca contribui contra Ban-
dellum. In matre Christi carnem fuisse peccato obnoxiam
persuades Bandelle? & in testes adducis Ambrosium, Hie-
ronymum, Augustinum & Gregorium, aliosq́, Patres, cum
ipsi renuerint sacri Doctores, & in matris Dei fauorem pro
immâculata Conceptione testimonia reddiderint planè lu-
culenta, vt probo in hoc cap. 2? Cur Bandelle calumniaris
Dei Matrem, & sacros Doctores aduersus eam inuitissimos
subornas? Tu Beatissimi Patriarchæ Dominici filius? Tu
alumnus Religionis sacræ Prædicatorum, quæ etiam dici-
tur mater veritatis, Religio fidei, & Beatæ Mariæ? Cur ma-
trem tuam reliquisti, & â via fratrum tuorũ aberrasti? Sunt
in tua sacra familia multi sancti, multi Beati, multi viri illus-
tres, & clarissimi Doctores, qui pro immaculato Uirginis
conceptu firmiter steterunt, ac strenuè & gloriosé decerta
runt; sed semper sunt paleę permixtę inter electissima gra-
na. Insuper idem Chryptophilus librum composuit, &
probat, neque Diuum Thomam, neque Eminentissimum
Caietanum, acutissimi ingenij virum, stare contrarios puri
tati originali Beatæ Mariæ in sua animatione, & habet aliũ
librum, qui dicitur *Vindicatio Caietana* aduersus Pseudo Ca
ietanum, qui vt Caietani famam inficeret, vel, vt suo de
Conceptione Deiparę ad Leonem decimum opusculo au-
thoritatem cõciliaret, sub clarissimo Caietani nomine illud
scripsit, & euulgauit. Audio, quod hodie compilatur tracta
tus quidam, vbi dicitur, quod Bandellus nimium credulus
fidem fecit, & dedit scriptis cuiusdam cubicularij sui, &
quod

quod hic fraudes patrauit.

44 Progrediamur relicto Bandello, & vltimam manum cō probationi imponamus, propositis verbis diuini Athanasij in magnis suis operibus fol. 325. col. 2. lit. D, prope finem. vbi de Beata Virgine sic dicit: *Variegata rursus est, quantum attinet ad ossa sanctissima, quæ eius carnem suffulciunt. Nam ex carne eius, & ex ossibus eius, veluti ex veteri Adamo nouus iste Adam, idest, Christus; vt vicem eius expleret, costam sibi finxit; nimirum istam Incarnationem, eamque semel indutam perpetuo gestat. At proinde ista noua Eua Mater vitæ appellatur, variegata que permanet adprimitias vitæ immortalis omnium viuentium.* En vbi comparat Virginem cum Adamo in statu innocentiæ, & iustitiæ originalis; ergo vult, quod eo modo, quo Deus vnam de costis tulit Adami, nulla peccati macula ante corruptam, vt formaret Euam; sic quando diuina spiritus Sancti præsentia & virtute conceptus est Christus, assumpta fuerit de Virgine caro, nunquam peccati labe fœdata, & sicut dicitur in sacra synodo relata à nostro iuriscōsulto Hieronymo Molina Guzman veritate iuris prima. num. 5. Verbum diuinum illam carnem assumpsit, quam habebat Adamus ante peccatū, ex verbis eiusdem synodi, ibi: *A diuinitate assumpta est nostra natura, illa, quæ ante peccatum creata est, non quæ post præuaricationem vitiata*; de carne Beatæ Mariæ idem dicendum est, quia hanc assumpsit, & vna eadem que caro est, vt dicemus infra.

45 Timete ergo fideles, & ne in posterum maculas in Beata Maria concipiatis, nam vt dixit S. Cyrillus Alexandrinus contra Nestorium: *Propter filium, temerarium est ponere in Maria Virgine culpam aliquam, vel peccatum.* Pro coronide addiderimus etiam hos versus:

Nullus originea Mariam rubigine læsam
Astruat, vltricem ne pignoris excitet iram.
Hoc ius, hoc ratio vetat, hoc sententia Patrum
Explodit, mare, terra, polusque reclamat,
Et ipse Filius.

CA-

CAPVT TERTIUM.

DE LIBRO SIGNATO: Apocalypſ. 5.

1 AB explicatione libri ſignati pendet cognitio ſigillorum. Etenim primum, & ſecundum ſigillum maximè conducunt ad myſterium Conceptionis Beatæ Marię. Igitur ſciendum eſt, valdè controuerſum eſſe, quid ſignificet hic liber? Quidam dicunt, hunc librum eſſe ſacram Scripturam; alij Iudiciorum Dei inſcrutabilem abyſſum; alij chronologiam mundi; alij maximum illud chirographum, quo Adam, in præuaricatione, ſe & ſuam poſteritatem obſtrinxit. Alij eſſe Beatam Mariam: nam fuit liber, in quo adfuit Verbum Diuinum: alij aliter dicunt, vt videre eſt penes Doctores.

2 Veritati magis accedunt, qui librum hunc pro Chriſto Domino accipiunt, quia Chriſtus in ſacris litteris nomine libri compellatur; vt Pſalm. 39. verſ. 9. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, & annunciaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna*, quę ſic verſat Incognitus: *Quia ſapientia quamuis communis tribus perſonis, filio tamen appropiatur, ſicut potentia Patri, & charitas Spiritui ſancto, ideo in præſenti hic liber prædeſtinationis, & ſcientiæ, filio Dei, id eſt, ipſi Verbo incarnato appropriatur, in quo quiſque noſtrum legere debet*; & poſt pauca: *Se ipſum Chriſtus librum appellat, dicens, in capite libri ſcriptum eſt de me, id eſt, in me, qui ſum liber humani generis, in quo legere debet.* Id ipſum inſinuat contextura verborum prædicti pſalmi; nam addit: *Et annuntiaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna*, nam liber iſte Chriſtus ſemper loquitur in Eccleſia, & in eo locutus eſt Deus in no-

nouissimis diebus, dicente Apostolo ad Hebræos, 1. *Nouissime locutus est nobis in filio.*

3 Supradicta de libro confirmantur Psalm, 138. vers. 16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur, & nemo in eis.* Imperfectum suũ appellat saluator suam Passionem, se que librum commendat, vbi iusti per dies significati scribuntur; pulchrê hoc declarauit Sanctus Bruno dicens: *In me libro tuo dies scribentur, id est, in exemplo mei, qui sum liber tuus, quem proposuisti exemplar iustitiæ in omnibus, scribentur dies, id est, perfecti effecti.* Et Dominus Iesus in hoc Psalmo dicit, se esse librum, in quo omnes prædestinati scribuntur, vt interpretantur Haymo, Magister sentent, & alij cum Sancto Hilario in præfatione ad psalm. S. Bern. serm. 1. de Pasch. Petrus Dam. serm. de Sancto Luca. Unde Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. verbo *vitæ liber*, Christum in Cruce passum, librum compellauit, ideo dixit: *consummatũ est*, tunc enim vltimum libro caput imposuit. S. Bernardinus Senensis in cap. 20. Apoc. pro cõperto habet, Christum dici librũ vitæ, & meus S. Thomas de Villanueua concione 1. de Natiu. Virg. sic dicit: *Quæcumque docuerat in libro naturæ, & in libro scripturæ theoricê, practicê nobis descripsit in libro exemplari, & osten suo & ideali. Hic liber est Verbum Incarnatum in quo nobis depicta est omnis vita spiritualis, & christiana. Hic est liber iustorum, hic enchiridion semper in manibus.*

4 Omitto innumeros Doctores, qui in verbis Danielis 22. *Saluabitur omnis, qui inuentus fuerit in libro*, Christum intelligunt pro libro. Item eodem interpretandi modo intelligunt verba Esaiæ cap. 49: *In manibus meis descripsi te*, vt referantur ad Christũ, qui in se tamquam in libro iustos describit, iuxta illud eiusdem Prophetæ cap. 30: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*: sic tamen, vt idẽ Christus sit præceptor, & liber. Et Apost. 1. Cor. 1. vers. 30. *Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo*

factus sapientia, id est, liber nostræ doctrinæ. Deinde subiungit Apostolus: *Non existimaui me aliquid scire inter vos nisi Iesum Christum*, hunc librum addiscebat Apostolus. Qui enim sine hoc libro se reputat sapientem, stultus reputabitur à Deo, vt dicit textus in cap. qui sine Saluatore 26. q. 2.

5 Eruditè P. Ildefonsus Flores in libro de Agone Martyr. in proludio cap. 9. n. 112. in hoc libro etiam designari Diuinum Verbum contendit, simul cum humanitate assumpta, quod probat ex cap. 3. ad Galat. ibi: *Ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus.* In Gręco pro illo verbo: *Proscriptus est*, ponitur: *Prographe*, & rectè, nam trahitur à Verbo: *prographo*, quod est *proscribo*, vel *præscribo*, vt sic Christus dicatur liber præscriptus, vt etiam intelligit Hieronymus in epist. de vera circumcis. ibi: *Liber intus & foris scriptus; intus quia Verbum est Patris æterni; foris cum affigitur cruci, cum moritur.* Pulchre hoc percaluit Sanctus Theodotus hom. in Natali Salu. tom. 6. Conc. Ephes. cap. 11. ibi: *Ne igitur iactet se Iudæus, tanquã qui purum hominem in crucem egerit; nam quod cernebatur charta erat; quod verò in charta abditum latitabat, Verbum erat Regium.* In sententia istorum Patrum, in libro signato vtraque natura Christi, diuina & humana continetur.

6 Obstat grauiter, quod si sub libro signato Apocalypsis intelligitur vtraque natura Christi, non congruè dicitur in dict. capite 5. *Agnus venit, & accepit librum*; nam sub Agno, qui occisus est, intelligitur humanitas Christi, vt patet, ibi: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem*; igitur in libro signato comprehendi non potest natura humana Christi. Alioquin quid inter librum & accipientem librum interesset? inter quos debet dari distinctio.

7 Dicamus ergo, non contineri vtramque naturam, diuinam, & humanam sub libro signato; sed in libro significari naturam Diuinam; in Agno naturam humanam. Sit ergo con-

conclusio, quod liber signatus est Verbum Diuinum, sapientia genita, & increata, Christus Dominus in quantum Deus; sic nos ab omni angustia liberabimus. Verbum est liber diuinæ sapientiæ, in quo resident thesauri sapientiæ Dei, ad Colossens. 2. liber fontalis totius sapientiæ. Ecclesiast. 1. ibi: *Fons sapientiæ Verbum Dei:* liber, in quo scripti sunt omnes prædestinati, vt Psalm. 138. ibi: *In libro tuo omnes scribentur.* Reprobi non scribuntur in hoc libro, vt Apoc. cap. 13. vbi dicitur, quod adorantes bestiam non scribuntur in libro Agni; liber Agni est Verbum Dei; in illo non scribuntur præsciti, non pertinent hi ad librum vitæ, hi sunt foris, sunt in atrio, extra templum, vt dicitur Apoc. 11. Hi miseri cum iustis in libro Agni non scribuntur, vt Psalm. 68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* In hoc Uerbo tanquam in libro Pater videt, & intelligit se ipsum, & omnia, vt dicit acutissimus Gab. Vazquez tom. 2. in 1. p. q. 27. art. 5. disp. 112. cap. 6. ibi: *Vt hac ratione sit verum, Patrem in Verbo suo videre, & intelligere se ipsum, & alia.*

8 Dicitur etiam Uerbum Diuinum liber, quia est Filius, sermo, conceptus, & intellectio æterni Patris: Uerbum, quod intra suam mentem Pater ex vi suæ fertilis memoriæ, & fecundi intellectus generauit ab æterno sibi coæquale, & coæuum; & est imago suæ substantiæ intellectiuę character suæ personæ, & sigillũ suę essentiæ, quod Gręci Patres explicant per nomen *logos*, quod comprehẽdit omnia supradicta. Et cum dicatur Uerbum, conceptus, intellectio æterni Patris: rectè libri significatione Uerbum explicamus, in quo est illa intellectio: ipsi communicata, in quo est illud Verbum, ille conceptus, siue sermo. Hic liber sapientiæ diuinæ in cap. 10. Apoc. dicitur, quod est dulcis, & amarus, & benè, quia de sapientia legimus Eccles. 24. *Spiritus meus super mel dulcis;* deinum addit: *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient*, & de hoc libro

bro sapientiæ Ecclesiastic, 51. *Venter meus conturbatus est, quærendo illam.*

9 His addendum est, quod Verbum Diuinum est liber, in quo omnia continentur quæcumque creata sunt: est liber, qui docet omnes, Sapient. 7. *Omnium artifex docuit me sapiẽtia*, super quę verba egregiè P. Lorinus: *Porro quemadmodũ Personæ secundæ Trinitatis attribuitur esse Verbum, & sapientiam sic & idæam*, & inferius: *Denique Verbum, ars, idæa, scientia, sapientia, dicuntur per attributionem de Filio Dei.* En Verbum dicitur liber, & ars, per quam docemur, & illuminatur omnis homo veniens in hunc mundum; & idem Lorinus in cap. 13. Sapient. vers. 9. ibi: *Igitur aptè hic mundus totus dici speculum potest, in quo resplendeat Deus liber, in quo legantur, quæ pertinent ad ipsum musicum instrumentum.* Item meus consanguineus Sanctus Thomas de Villanoua in concione 1. de Natiu. Virg. ita de Verbo dicit: *O præclaram scripturam! ò pulcherrimum characterem! ò scriptum egregium in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Et vt ait Canisius *Verbum Diuinum est liber, cuius origo æterna, cuius folia infinita, cuius essentia incorporalis, cuius scriptura indelebilis, cuius verba innumerabilia, & in quo est omnis sapientia.*

10 Dicta sufficerent ad roborandum nostrum assertum de libro Verbo; sed melior probatio ex eadem Apocalypsi sumenda est, pręcipuè ex verbis illis cap. 5. *Cũ aperuisset librũ*, pro quibus ex originali Gręco legunt Primasius, Arias Mõtanus, & Erasmus apud Cornelium: *Cum accepisset librum*; id sonant verba græca: *O te elabe to biblion*, & vt dicit idem Cornelius à Lapide, verba illa: *Cum aperuisset* significant actũ inchoatum, non consummatũ, vt sensus sit: *cũ aperuisset*, id est. *cum accepisset aperiendum*; neque completa, & adęquata apertura libri fit in hoc cap. 5. quæ reseruatur ad cap 19. Apoc. Quod adæquatè Agnus non aperuisset librum in d. cap. 5. comprobatur ex verbis eiusdem textus in vers.

9. et

9. & in verſ. 12. ibi: *Dignus es Domine accipere librum*, & ibi: *Dignus eſt Agnus accipere virtutem & diuinitatem*, vtroque loco Seniores, & Angeli prorrumpunt in doxologiam, huc glorificationem Agni ex illo motiuo, quod accepiſſet librum, & ſolum vtuntur verbo *accipere*. Concordant tamen in motiuo glorificationis, id eſt, in receptione libri; nam quod Seniores libri nomine ſignificarunt: *Dignus eſt accipere librum*, Angeli in ſua glorificatione, diuinitatis receptione manifeſtant, *Dignus eſt Agnus accipere diuinitatem*; ex quo ſequitur quod in hoc cap. 5. non fuerit completus actus aperturæ libri, nam pro apertura gratiarum actiones non prætermitterent, & cum tantum retribuant de libri receptione, ſignum eſt, quod in præſenti non aperiatur.

11 Pergamus reſerando myſteria, & explicemus id, quod intendimus in principali aſſerto. Vnde ergo rogo ſumimus rei argumentum ex hac receptione libri, & glorificatione, ad probandum, quod in libro contineatur Diuinum Verbum? Res ita fit manifeſta, nam idem eſt apud Seniores: *Dignus es Domine accipere librum*, quod apud Angelos: *Dignus eſt Agnus accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, fortitudinem, & honorem, gloriam, & benedictionem*: in his glorificationibus Angeli explicaverunt librum verbum, de quo dixerunt; *Dignus eſt accipere &c*. Explicant enim librũ per eſſentiam, & attribua Dei. Videamus qualiter illæ ſeptem glorificationes Angelorum ſint propriæ Dei, & conueniant naturæ diuinæ Chriſti Domini? ſed iam de ſingulis. Prima eſt: *Accipere virtutem*, quæ eſt attributum Dei. 1. Paralip. 16: *Quærite Dominum & virtutem eius*, & cap. fin. *In manu tua virtus*. Secunda: *Accipere diuinitatem*, quę eſt Dei eſſentia, a qua dimanant omnia attributa. Ad Rom. 1. *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Tertia: *Accipere ſapientiam*, proprium verbi attributum. Daniel. 2. *ſit nomen Domini benedictum, quia ſapientia, & fortitudo eius ſunt*: Quarta: *accipere fortitudinem*. Attributum diuini-

-uitatis ex primo loco Danielis, & 1. Paralipom. cap. 29. Quinta: *Accipere honorē*. Iuxta illud ad Thimot. cap. 1. *Soli Deo honor, & gloria*, & in Psalm. *Afferte Domino gloriam, & honorem*. Sexta: *Accipere gloriam*, quæ est Dei propria 1. Paralip. cap. 29. *Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria*, & ad Hebr. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum*, Septima: *Accipere benedictionem*, quæ Deo debetur, Apoc. cap. 10.

12 Alterum fundamentum sumitur ex Apocalypsi cap. 19. vers. 11. ibi: *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax, habens nomē scriptum quod nemo nouit nisi ipse, & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius Verbum Dei*. Si hæc verba cōferas cū cap. 5. vbi agitur de libro signato, statim agnosces sub libro contineri Verbum Dei. In cap. 5. habes: *librū scriptum*: In cap. 19. *Nomē scriptum*. In cap. 5. habes, quod, *nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terrā aperire librum*. In cap. 19. idem, ibi: *Nomē scriptū, quod nemo nouit*. In cap. 5. Agnus proponitur tanquā occisus, ibi: *Agnū stantem tanquā occisum*. In cap. 19. *Vestitus erat veste aspersa sanguine* vtrobique signa Passionis, sicut in Esai. cap. 63. *Vestimēta tua sicut calcantium in torculari, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui*. In cap. 5. Agnus præualuit aperire librum; *Vicit leo aperire librum*, in cap. 19. *Habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse*. In cap. 5. incipit Agnus aperire librum. In cap. 19. liber complete apertus est, ibi: *Vidi cœlum apertum*, Verbum Diuinum pro cœlo ponitur, & econtrario, iuxta illud: *Vidi cœlos apertos, & Angelos ascendentes super filium Dei*. Nunc ad rem. In dicto cap. 19. subiungit prophetia, quod nomen illud tam occultum, quod à nulla creatura poterat explicari, vocabatur Verbum Dei, ibi: *Et vocabatur nomen eius Verbum Dei*. Si sub nomine, & libro, eadē res agitur in vtroque capite, vt vidimus, quid expressius, vt cognoscamus sub

libro

libro contineri Verbum Dei, sicut sub nomine scripto.

3. Expendamus verba cap. 5. Apoc. & percipiemus in libro signato significari Diuinum Uerbum. Primo dicitur in d. cap. quod liber est in manu æterni Patris, per quod designat filiũ eius, qui dicitur manus æterni Patris ex Hugo ibi, & P. Lorino 3. sap. super illa verba: *in manu Dei sunt*, quæ ita interpretatur: *Sub peculiari cura Filij Dei, qui manus Patris dici potest*, idem dicitur in cap. nasci 56. dist. & Actor. 2. vers. 33. vbi dextera Dei dicitur Jesus exaltatus. Et Esai. 51. *Inumbra manus meæ protexi te, vt plantes cœlos, & fundes terram*, Unde Amadeus hom, 4. de laud. Virg. ibi: *Manus quippe Dei vnigenitus Patris appellatur, per quẽ fecit secula*. Rectè Verbum dicitur manus Patris, per quam significatur operari. Uel sicut manus habet principium in brachio, ita Verbum est Deus de Deo, principiũ de principio, Ioan. 1. *In principio erat Verbum*, id est, quoad æternitatem, nam quod est à principio, eius nullum tempus inuenitur, in quo non fuerit. Interrogatus Saluator quis esset, Ioannis 1. respondit: *Principium qui & loquor vobis*. Pater æternus est principium sine principio, Filius vero & Spiritus sanctus principium, sed de principio. Ponitur autem Verbum liber signatus in hoc cap. 5, in manu Patris, vt agnoscamus distinctionem personarum Patris, & Filij, & correspondet verbis illis: *Et Verbum erat apud Deum*. Quid est enim Verbũ esse apud Deum, & librum apud manũ, nisi significare alietatem in Persona, vt dicunt Theologi; quia ergo Uerbum apud Deum, & liber apud manum, inde sequitur, quod sint distinctæ personæ, cũ nullus apud se esse dicatur. Addit S. Ioannes in Euangelio; *Et Deus erat Verbũ*, id est, quoad identitatem, & essentialem vnitatẽ, ergo Verbum est Deus, & ita vna natura, quãuis personæ distinguãtur, sicut distinguitur liber à manu. Summa omnium est, cũ dicit Ioannes: *In principio erat Verbum*, facit Patri coæternum Uerbum, sicut etiam est Spiritus sanctus, & cũ addit:

Et

& Verbum erat apud Deum, notat discrimen in Personis, & tandem cum subiungit: *Et Deus erat verbum*, de notat æqualitatem in natura. Neque enim Verbum condidit Pater, sed per verbum Pater condidit vniuersa, quæcumque creata sunt, & in hoc sensu accipitur, quod filius est in manu vel manus Patris.

14 Quid amplius dicit de hoc libro signato prophetia Ioannis? illud quod scriptus erat intus & foris. Proculdubio est Verbum diuinum. Hîc hæreo, quia in his verbis fit manifestatio veritatis, Verbum dicitur liber scriptus intus, & foris, porpter opera ad intra, & ad extra. Vel dicitur scriptus intus & foris, quia in se, & in creaturis, eius gloria resplenduit. Aderat antea in cœlis, etiam scriptus foris, sed Angelis tantum; sed gloria diuinitatis eius, hominibus apparuit in cognitione veræ fidei, sic videtur velle meus Sãctus Thomas de Villanueua conc. 1. de Natiu. Uirg. Explicans illa verba: *Eructauit cor meum verbum bonum*, dicens: *Eructauit cor meum verbum bonum sed Angelis; at placuit scribere illud pro mortalibus, vt in vno eodemque libro Angelus & homo legeret. Sic solemus nos conceptus nostros inuisibiles ad memoriam & eruditionem aliorum litteris formare:* sic vnum, idemque verbum Angelis per eructationem olim peruium, hominibus per fidem legendum conceditur. Dicitur etiam *liber scriptus intus & foris*, propter id, quod scripsit de Verbo Beatus Ioannes epist. 1. cap. 1. verso. 2. *Videmus, & testamur; & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Vel dicitur scriptus intus & foris, quia est sapientia diuina, in qua sunt clara & occulta; in creaturis relucet foris hic liber: *Verbo Domini cœli firmati sunt*, non sic in occultis, nam tunc est liber intus scriptus, nisi reuelentur: *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Vel scriptus intus propter electos, qui sunt scripti in libro Agni, in libro vitæ: scriptus foris propter reprobos. Apoc. 21. ibi: *Vt sit potestas eorum in ligno vitæ*, & post

pauca ; *Foris canes , & venefici , & inpudici , & homicidæ, & idolis seruientes & omnis qui amat, & facit mendacium*, & inferius : *Auferet Deus partem eius de libro vitæ* , vbi nota in eo capite pro eodem poni librum, & lignum vitę; & tamen adijcitur ibi, quod alij sunt in eo libro intus, alij foris, & cum liber vitæ sit Verbum diuinum, vt diximus supra, benè in hoc sensu dicitur scriptus intus & foris. Vel scriptus intus proter diuinitatem, scriptus foris, quia per ipsum facta sunt omnia, ad Hebr. 2. *Decebat enim eum propter quem omnia* Vel scriptus intus & foris, propter illud Apostoli, ad Hebr. 11. *Intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent*, quæ verba sic intelligo cum diuo Augustino, vt per inuisibilia significetur mundus inuisibilis, qui erat in Dei sapientia et Verbo, vt ad illius mundi inuisibilis similitudinem factus sit hic visibilis mundus. Hæc vtique visibilia ante quam fierent, erant, & non erant. Erant in Dei sapientia, non tamen erant in sui natura. Ideo Apostolus dixit: *Vt ex inuisibilibus fierent visibilia*, & ita scriptus est liber iste sapientiæ intus & foris; intus in intellectu cōditoris ; foris per expressionem operis , sic intelligo locum Apoc. 4. *Quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt*. En omnia creata prius erant in voluntate conditoris , & demū creata sunt, & in psalm. 135. prius fecit cœlos in intellectu, & in libro verbo omnes scribuntur psalm. 138. *In libro tuo omnes scribentur.*

15 Addit prophetia in d. cap. 5. Apoc, quod nulla creatura, siue cælestis, siue humana, siue inferorum poterat aperire librum, nec respicere illum Quæ verba manifestissima sūt & ex eis infertur, librum hunc poni pro diuino Verbo , & pro sapientia Diuina. Clamant pro hac veritate apertissima scripturæ testimonia , nam illud habemus de sapientia increata , quod est occulta Eccles. 1. *Radix sapientiæ cui reuelata est*. Radix sapientiæ est Dei Verbū. d. cap. 1. *Fons sapientiæ Verbum Dei*, & in d. cap. 1. *Sapientiā Dei præcedentē*

omnia, quis inuestigauit? Item Esaiæ 40. vers. 28. *Neque est inuestigatio sapientiæ eius*, & Iob 28. *Vnde ergo sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ, abscondita est ab oculis omnium, volucres quoque cœli latet.* En nulla creatura eam respicere valet, & Baruch. 3. vers. 31. ibi: *Non est qui possit scire vias eius, neque qui exquirat semitas eius.* & Apost. 1. Corinth. 1. vers. 7. *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ absconditæ est*, & ad Colocens. 1. vers. 25. *Vt impleā Verbū Dei, mysterium, quod absconditum fuit à seculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius.* Greci Patres hoc Verbū, hanc sapientiam increatam *tamriphes* appellant, vt sit abscondita, atque obnupta. Unde nil mirum, quod in d. cap. 5. non esset creatura, quæ posset mysterium eius aperire, imo nec respicere. Nemo enim nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Matth. 11. vers. 27. & ita necesse est, quod ipse Filius aperiat librum signatū. Adhibere maiorem euidentiā in re tam clara, nil aliud erit, quam solē facibus adiuuare; & in quærendis alijs interpretationibus libri signati, si quis tempus absumat, superuacuis laborabit impendijs.

ALIA DVBIA CONTRA NOSTRAM INTERpretationem proponuntur.

16 OBstat 1. contra nostram libri signati interpretationem textus in dict. cap. 5. Apocalyps. in illis verbis: *Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum*, nam si sub libro explicatur Verbum, & sub Agno significatur homo Christus, quomodo tempore, quo fit Ioanni reuelatio, dicitur, quod Agnus venit, et accepit librum? Hoc enim idem est, ac dicere, quod tempore illo, quo facta est Ioanni reuelatio, Verbum caro factum sit, quod quam absurdū sit, nemo est qui nesciat. Respondet Dionisius Carthusianus, quod Christus in quantū homo à Patre, et à tota

Trinitate omnem sapientiam sortitus est, non tunc quãdo Ioannes hæc vidit, sed à primo Incarnationis momẽto, sed quia Sancto Ioanni de nouo mysterium reuelabatur, ideo dixit: *Venit & accepit librum*, quod familiare est in prophetia, in qua præterita, et futura reciprocantur; eâdem ferè consonantia canit Lyra, nam obseruat, in illis verbis: *venit & accepit librum*, mysterium occultari, neque ex verbis illis inferendum, quod Christus tunc de nouo acceperit, cum anima eius ab instanti Incarnationis cognitionem habuerit omnium, quæ Deus cognoscit scientia visionis. Pater Tyrinus in d. cap. 5. eodem fere modo verba præfata interpretatur, vt intelligenda sint de communicatione diuinæ naturæ per vnionem hypostaticam. Alij vero non incongruè verba illa sic accipiunt, vt Christus Dominus dicatur accipere librum, propter discretas, et distinctas naturas Dei, et hominis, ita vt nostro modo intelligendi dicatur accipere librum, quia diuinitatis perfectiones communicantur sanctissimæ humanitati in his rebus quæ sunt communicabilia.

17 Obstat 2. idem textus in cap. 5. Apoc. quatenus in eo dicitur, quod nulla creatura poterat aperire librum, nec respicere illum, sed nos dicimus, quod in eo textu non fit apertura libri, ergo non potuerunt Angeli, et Seniores cognoscere, quod sub libro continebatur Diuinum Verbum. Hæc difficultas nullam vim habet aduersus eos, qui tenent adæquatè fuisse librum apertum in d. cap. 5. contra nos autem vrget. Pro nobis autem stat veritas originalium, tenor et acoluthia Apocalypsis; item quia sigilla aperiuntur in capitibus sequentibus, et non erat incipiendum ab apertura libri, sigillis non reseratis. Quid dicemus? Respondetur, quod licet adęquatè non aperiatur ab Agno liber in dicto cap. 5. tamen Agnus cœpit, vel incœpit aperire librum, & sufficit hæc inchoatio, vt Angeli, & Beati cognoscerent, sub libro contineri Verbum, quia

po-

potissima cuiusque rei pars est principium, ex l. 1. ff. de origin. iur. Vel aliter dicendum, quod per reuelationem Angeli, & Beati hoc perceperunt, & Angeli etiam in prima deiectione Luciferi potuerunt habere hanc reuelationē, quod sub libro continebatur Diuinum Verbum. Posset etiam dici, quod nemo poterat cognoscere, & aperire librum intuitiuè, & formaliter, nam & Angeli, & Beati cognoscunt, & vident Deum per visionem beatificam, cognoscunt diuina attributa, & tamen non cognoscunt, nec vident arcana seu decreta Deo reseruata; similiter Angeli tēpore Incarnationis cognouerunt Verbum Diuinū, & eius attributa in ipso Verbo libro, nō vero cognouerunt arcana, seu mysteria intus et foris scripta, licet in eo continerētur. Et maior excellentia naturæ Angeli (vt dicitur in cap. principium. de pœnit. dist. 2. ibi: *Angelo tamen quasi aliquid maius tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum similitudinis Dei dicit, vt quo subtilior est natura, eo in illum plenius similitudo Dei credatur expressa*) iuncta inchoatione aperturæ libri effecit, vt Angeli sub libro Diuinam essentiam, et attributa cognoscerent, et de receptione libri gratias agerent.

CAPUT QVARTUM.

DE SEPTEM SIGILLIS Libri signati.

1 Onsequens est vt videamus, quid significent sigilla libiri signati in d. cap. 5. Apocal. Mira sunt quæ in eorum explicatione comminiscuntur interpretes. Dicamus ergo, quod in præsenti sigilla significant creaturas cœli, terræ, maris, & inferorum, quæ etiam explicantur in cap. 6. Apoc,

Apoc. Hę creaturæ dicuntur, signa, sigilla, vel signacula libri signati, idque mihi compertissimũ est: nam post gratiarum actiones Angelorum, in d. cap. 5. addit prophetia Ioãnis: *Et vidi omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, omnes audiui dicentes, sedenti in throno, & Agno benedictio.* Et hoc capite nomen *sphragis* græcũ modò versat pro sigillo, modò pro signo, vel signaculo. Sicut etiam in iure nostro pro eodem vsurpantur sigillum, signum, & signaculum. l. 1, §. si pecunia. ff. depositi. l. videamus 11. §. pen. ff. locati. In his creaturis, quæ sunt in cœlo, terra, mari, & sub terra, ponenda sunt quatuor prima sigilla, eo ordine, quo numerãtur in cap. 6. Apoc. Sub equo albo creaturæ cœlestes, sub equo rufo creaturæ terrenæ, sub equo nigro creaturæ maris, sub æquo pallido creaturæ inferorum. Est enim pulchra metaphora, sub nomine equorum creaturas designare, vt testis est Pierius verbo *equus*, & diuina scriptura sub metaphora equorum, & animalium demonstrat imperia; sicut etiam elementa apud Zachariam cap. 6. Et orbis terræ dicitur equus, quo vehimur in Genes. 49. vers. 17. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi:* quem locum admittunt Patres pro explicatione Antichristi, qui posteriora equi, id est, mundi, damnificabit. Et populus Ægyptiorum, & Præpositi eius explicantur per equum, & ascensorem in libro Exodi: *Equum, & ascensorem proiecit in mare*, & alibi: *Viam fecisti in mari equis tuis.*

2 Videamus quanam ratione dicantur creaturæ esse sigilla libri signati, id est, Verbi Diuini? Scio, hominem ad similitudinem Dei formatum, & signatum esse super eum lumen vultus eius. Scio, Angelos dici signacula similitudinis Dei. Ezech. 28. & in d. cap. principiũ. de pœnit. dist. 2. vbi glossa verbo: *signaculũ* dicit de Angelo: *Dicitur signaculum propter virtutes expressas.* Item omnia creata dicuntur signata per diuinum Verbum. Sap. 1. vers. 10. *& effudit illam*

ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem, & ad Hebr. 11. *Aptata eſſe ſæcula Verbo Dei.* Sic omnia dicũtur ſignata per Verbum, ſine quo factum eſt nihil.

3 Illud aduerterimus, quod non debemus concipere hæc ſeptem ſigilla, velut operimenta libri ſignati, ita vt dicatur ſignatus vel clauſus ſigillis, nec concipiẽdus liber ſicut charta ſignata, vel ſicut teſtamentum clauſum; non enim hac forma revelatus fuit liber in d. cap. 5. Appellantur enim ſigilla, non quia materialiter claudant librum, ſed quia liber authẽticis cõprobatur ſignaculis, ſicut in ſigillis Apoſtolicæ Bullæ, quæ appenduntur, & tamen non dicuntur opercula ſcripturæ principalis, ſed ſignacula dicuntur, quia intelligentia occultatur. Cæterum ſi liber clauderetur ſignaculis in d. cap. 5. Ioannes non diceret, quod liber erat ſcriptus intus & foris, quia ſignacula eſſent impedimento; & ſi eſſet clauſus, vteretur prophetia verbo: *Cancellare*, & verbo: *rumpere*, non vero verbis *aperire*, & *ſoluere*, Igitur ſigilla in præſenti ſignificant ſigna, quibus veritas libri comprobatur, ad exemplum inſtrumenti, in quo ſignat notarius & teſtes ſubſcribunt, quo facto ſcriptura ipſa, & ſi nõ clauſa, dicitur tamen ſignata; ſic interpretatur Diuus Greg. illa verba Iob: *Signaſti quaſi ſignaculo delicta mea*, lib. 12. Moral. cap. 12. videndus D. Bernardus ſerm. 14. in paru. fol. 449.

4 Supradicta confirmantur: nam dupliciter accipitur res ſignata: vel quia clauſa eſt. vt in l. hac conſultiſſima 21. C. de teſtam. ibi: *conſignatam, vel clauſam proferre ſcripturam*, Vel accipitur pro re comprobata ſigni veritate, vel teſtium fide. l. Cancellaverat 2. ff. de his quæ in teſtam, delent. ibi: *Poſtea teſtamentum ſignatum eſt*, vbi gloſſa: *ſignatum ſcilicet à teſtibus*, & expreſſius in l. ſubſignatũ. 39. ff. de verbor. ſignific. ibi: *ſubſignatum dicitur, quod ab aliquo ſubſcriptum eſt: nam veteres ſignationis verbo pro adſcriptione vti ſolebant*; ſimiliter apud Ierem, 32. verſ 10. *& ſcripſi in libro, & ſignaui, & adhibui teſtes*, & in hoc vltimo ſenſu accipiendus eſt liber ſigna-

gnatus. Nec quia dicitur, quod Agnus aperuit, statim sequitur quod esset clausus, cum aperire, idem sit, quod ostendere, manifestare rem occultam, clausam ex natura rei; sicut etiam dicitur ibidem, quod Agnus aperuit sigilla, nõ quia claudebantur alijs signaculis, sed quia in se continebant rem occultam, per Agnum manifestandam. Aperire, propriè est manifestare secreta. Dan. 2. vers. 47. *Vere Deus vester Deus Deorum est, & Dominus Regum, & reuelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc Sacramentum.*

5 Possunt dici creaturæ sigilla, vel signa libri Verbi, vel quia in se habent signum formatoris sui, vt diximus in antecedentibus, & per signum ostenditur Dominium, vt in l. stigmata C, de Fabricens. lib. 11. vbi Lucas de Pèna, & in l. pen. C. de Aquæductu lib. 10. l. pen. vbi gloss. ff. de testam. milit. l. pen ff. ex quibus caus. maior. Baldus in l. 1, C. Quæ res vend. Vel quia recognoscunt, & testificantur de veritate Diuini Verbi: Et sicut in instrumento apponitur signum siue sigillum ad comprobationem, & testificationem veritatis, & testes etiam subscribunt, iuxta textum in §. sed cum paulatim. inst. de testam. ita omnes creaturæ testes sunt veritatis libri signati; & cum à Verbo factæ sint, & in eo contineantur, ideo dicuntur testes diuinitatis eius, & signum, siue sigillum libro illi retribuunt. Sed astra & iudicium vniuersale, licet nõ sint testes animati, pro testibus in hac prophetia adhibentur sub sexto sigillo & septimo; sic in Hymno Ecclesiæ: *Quẽ terra, pontus, sydera colunt, adorant, prædicant: Cui luna, sol, & omnia deseruiunt.* Conducunt cãtilenę Ecclesię in Natiuitate Dñi: ibi: *Hunc astra, tellus æquora, hunc omne, quod cælo subest, salutis Auctorẽ nouæ, nouo salutat cantico.* Omnia creata sunt sigilla Authorem suum explicantia, & de sanctis scriptum est: *In illum diem suscipiam te seruum meum, & ponam te, sicut signaculũ in conspectu meo.* Vide infra.

6 Iam de quatuor sigillis prioribus dicamus, quod in equo

albo

albo significatur natura Angelica, candida, & sine macula. Quis igitur sedet super hunc equum? Certe super illum sedet Sancta Maria, vt dicemus postea. Equus rufus, & eques designat rufum Adamum, & posteros in natura humana, quæ dicitur rufa, vt in indice verb. Hebraic. verbo *Adam*, & verbo *Edom*. In equo nigro significatur mare, cui competit nigredo, & caligo. Iob 38. vers. 8. Rogabis, quisnam equitet in hoc equo? Dico, quod Angelus Appolion exterminator frugum, Apoc. 9. vers. 11. *Et habebat super se Regem Angelum Abyssi, cui nomen Hebraicè Abbadon, græcè autem Appolion, latinè habens nomen exterminans*: Angelum abyssi, id est, maris, Esai cap. 51. vers. 10. *Nunquid tu non siccasti mare, aquam abyssi vehementis*. In equo pallido infernus explicatur. Sessor huius equi est diabolus primarius, qui dicitur habere mortis imperium ad Hebr. 2. vers. 14. sub hoc militat infernus, vt dicitur in quarto sigillo Apoc. 4. ibi: *Nomen illi mors, & infernus sequebatur eum*; & in Psal. 48. vbi legimus: *mors depascet eos*. Alij habent: *Diabolus pastor his*. Pallor, & tabitudo sunt epitheta mortis, & inferni, vt Ecclesiast. 28. vers. 7. In quinto sigillo ponuntur martyres subtus altare, ne commisceantur cum creaturis inferni. De sexto & septimo sigillo iterum dicemus. Quatuor equi æqualiter in ordine sigillorum pertinent ad creaturas laudantes Dominum in d. cap. 5. Apoc. in fine, ibi: *Vidi omnem creaturam, &c.*

7 Possunt etiam signatorij testes Verbi Diuini dici omnes creaturæ ex sequentibus. De Angelis notum est, quia reuelata fuit illis gloria libri signati: nam cum introduxit filium suum Pater iterum in mundum, dixit: vt adorent eũ omnes Angeli eius, ad Hebr. 1. Idem dicendum de Beata Maria; fuit enim fidelis testis diuinitatis filij sui. Item Adamo reuelata est Incarnatio Verbi Diuini, à quo sanatus dicitur Sapient. cap. 10. Item spiritus infernales, & abyssi sub tertio, & quarto sigillo, testes sunt diuinitatis Verbi Diui-
ni,

ni, Matth. 8. verſ. 29. *Quid nobis, & tibi Ieſu filij Dei*, & Marc. 5. *Quid mihi, & tibi Ieſu Fili Dei Altiſſimi*, & Luc. 8. *Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei Altiſſimi?* Item ſub quinto ſigillo martyres teſtes ſunt diuinitatis Verbi, vt diximus, & martyr, idem eſt, quod teſtis. Item cœlum & aſtra teſtes ſunt in ſexto ſigillo, quia Verbo Domini cœli firmati ſunt, & teſtes appellantur 1. Machab. 2. *Teſtes erunt ſuper nos cœlum, & terra*, et Pſalm. 49. *Aduocabit cœlum deſurſum.* Item iudicium vniuerſale in ſeptimo ſigillo erit fidelis, & magnus teſtis Diuinitatis Chriſti, vt dicitur in Pſalm: 49. verſ. 3. *Deus manifeſte veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida. Aduocabit cœlum deſurſum, &c. congregauit illi ſanctos eius.* Et Habacuc cap. 3. *Deus ab auſtro, &c.* & Ioel cap. 2. verſ. 30. & hoc benè explicat Petrus Lombardus 1. ad Hebr. in illis verbis; *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Flium*, quæ ita explicat: *Semper eſt Pater, ſed id circo dicitur erit, quia ab omnibus ſcietur in die iudicij.* Tunc videbunt Saluatorem tamquan alpha, & omega, videbunt, quod eſt liber ſcriptus, in quo reſidet plenitudo Diuinitatis, videbunt, quod eſt liber vitæ, ſcriptus intus, & foris: liber totum continens, teſtimonio creaturarum confirmatus, cui etiam mare, & venti obediunt. Stupebit omnis natura in repreſentatione illius libri. Tunc dicet reprobis: *neſcio vos*; ſanctis dicet: *Cognoſco oues meas*; et Chriſtus ſcriptoris perſonam agit Ezech. 9. verſ. 2. et librum ſcribat ipſe qui iudicat, vt Job cap. 31. verſ. 35.

Caput Quintum.

IN QVO EXPENDVNTVR, ET ENOdandur primum, & secundum sigillum libri signati pro Conceptione Virginis.

1 MULTI interpretes tenent, in primo sigillo, & equo albo sedere Christum Dominum: cui opinioni non possum acquiescere, nam sub libro, & Agno continetur Christus, Deus & homo. Sunt in Christo duæ naturæ, & vna hypostasis, vt in clement. vnica de Summ. Trinit. & fide Catolica. cap. Quidam 24. q 3. & sub libro, vt vidimus, natura diuina, sub Agno natura humana Christi continentur; & cũ hoc certum sit ex dictis in cap. 3. viciosa esset repettitio, si idem Christus sub primo sigillo contineretur, præcipuè cum liber à sigillis distinguatur, & Agnus per quem reserantur sigilla, non debeat contineri in sigillis aperiendis. Rursus in sigillis continentur puræ creaturæ, vt diximus capite quarto, Christus non est pura creatura, qui est etiam Deus, & in eo est vna personalitas Verbi ex dicta clemẽt. de Sum. Trinit. Si ergo super equum album, id est, super naturam Angelicam non sedet Christus, quis erit sessor? Dices esse Sanctum Michaelem. Non dubito Principi huic deberi magnas glorias, sed in hac præcedit Deipara, quæ est Regina Angelorum, sic sine vlla dubitatione Virgo Maria sedet in equo albo. Per equum in hac prophetia exprimitur natura, siue Angelica, siue humana, siue infernalis, & etiam indiuidui eius naturæ. Per sessorem significatur Princeps illius naturæ.

2 Collocauit Deus intra choros Angelorum dilectam suã Dei-

Deiparam, posuit eam in equo albo naturæ non maculatę, sic intelligo locum Canticorum: *Æquitatui meo assimilaui te amica mea*, vel vt legunt septuaginta: *Equo meo assimilaui te*, & præposita est toti æquitatui. Causa primæ ruinæ Angelorum hęc fuit, quia viderunt supra se Reges constitutos Christum, & Mariam, vt Psalm. 65. vers. 11. *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.* Non dixit: *Imposuisti hominem.* sed: *Imposuisti homines*, vt intelligamus, Christum, & Mariam esse illi naturæ præpositos, & ita hũc locum interpretantur Rioxanus in serm. 1. de Concept. fol. 40, & insignis ille medicus Bustamantinus in lib. 1. de reptilibus sacræ scripturæ cap. 12. n. 221. Notum est, quod Beata Maria nũcupatur Regina cœlorum, & Domina Angelorũ, & super excelsa statuit eam Dominus, vt Psalm. 17. vers. 33.

3 Dices, Beatam Mariam esse Adami filiam, & computandam in secundo sigillo naturæ rufæ. Ergo non est in primo sigillo naturæ Angelorum? Respondetur, quod inspecta natura, recensenda est in Adam, à cuius propagine venit, sed per diuinam gratiam assimillatur Angelicæ naturæ, & superior est. Dicit enim S. Petrus Damianus, *Tota in candorẽ lucis conuersa est*, & S. Bernardinus serm. 61. cap. 11. *Quod fœmina conciperet Deum, oportuit enim, vt sic dicam, fœminam eleuari ad quamdam quasi æqualitatem diuinam*, & S. Greg. Taumat. vbi sup. cap. 2. dicit, quod *Beata Maria est quoddã cœlum nouum animatum*, & Damascenus lib. 4. de fide cap. 15 *Gratia Dominam parit. An non illa naturæ filia? Non vtique: naturam à natura supra naturæ consuetudinem assequitur*, & Bartholom. de Pisa lib. de B. Virg. fructu 7. *Maria exaltata est super choros Angelorum, ergo originali caruit, sicut ipsi aliter in hoc esset inferior.* Et Doctor Lucero discurs. 1. cap. 7. ibi: *Es assi que es hija de Adam, tierra, y hija de tierra, pero realsola la gracia de manera que la hizo cielo soberano*, & de Maria intelligitur sententia illa: *Eleuata est magnificentia*

tia eius super cælos, vt dicit Hesichius. Et sponsus Mariam vocat de Libano, id est, de candido, de natura Angelica, quæ amicta est lapide candido, vt Apoc. 15. Ex hoc principio sumit argumentum ineuitabile Pater Eusebius de perpet. obiect. fest. Concept. fol. 4. cap. 1. vt probet, non dari maculam originalem in Deipara, inhærendo verbis S. Martyris Ignatij: *In matre Iesu sociari naturam sanctitatis Angelicæ cum humana natura.*

4 Maria Domina nostra præter naturæ ordinem cõcepta nata, educata, mortua, assumpta, & exaltata est per diuinã gratiam. Cunctaris credere? Ab initio, et ante sęcula creata est, præcedens omnes creaturas. Maior est vis gratiæ, quã naturæ. Vtor exemplis nostri iuris, desumptis ex cap. quia corpus, & cap. re vera de consecration. dist. 2. ibi: *Benedictione natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moses, proiecit eam, & facta est serpens, rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Currebant Ægypti flumina puro meatu aquarum; subito de fontium venis sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluuijs: rursus ad Prophetæ preces, cruor cessauit fluminum, & aquarum natura remeauit. Circumclusus erat vndique populus Hebræorum, hinc Ægyptijs vallatus, inde mari clausus; virgam leuauit Moses, separauit se aqua, & in murorum speciem congelauit, atque inter vndas via pedestris apparuit. Iordanis retrorsum conuersus, contra naturam in sui fontis reuertitur exordium. Nonne claret, naturam esse mutatam? Sitiebat populus Patrum; tetigit Moses petram, & aqua de petra fluxit. Numquid non præter naturam operata est gratia?* Concludit enim his, & alijs exemplis, potius attendi gratiam, quam naturam. Beatissima Maria filia est Adami, & in natura humana computatur; sed per diuinam gratiam habet effectus naturæ cœlestis, vt dicunt supradicti Patres.

5 His positis, & præiactis, veniamus ad verba Apocalypsis cap. 6. *Et vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum,*

habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret. Nonne hic figuratur Beata Maria in arcu, in corona, & victoria? Nonne ipsa sedet super equum album naturę Angelicæ? Iam dictum est, & dicemus postea. Obstat, quod prophetia vtitur relatiuo generis masculini, ibi: *& qui sedebat.* Ergo non loquitur de Beata Maria. Respondetur, quod relatiuum *qui* comprehendit etiam casum generis fœmenini, l. 1. ff. de verb. sign. Et ex illo: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto.* Item in originali Græco legitur in participio: *sedens super illum;* vt videre est apud omnia originalia: *cathemenos epi auto*, cathemenos, id est, sedens. Absit, quod percutiamus translationem vulgatam, nam *sedens* benè resoluitur in verba; *Qui sedebat,* sicut in verba: *Quæ sedebat.* Et etiam resoluto participio in relatiuum generis masculini comprehenditur fœmina ex supradictis. Rursus masculino nomine insignitur Beata Maria, tunc præcipuè cum agitur de eius victoria contra Luciferum, & contra peccatum originale: sic in Genesi, vbi vulgata cap. 3. habet: *Ipsa conteret*: Septuaginta correctiores legunt: *Ipse conteret.* In Græco est *autos* in genere masculino, id est, ipse. Latinus interpres sexum in Maria exprimendum voluit: *Ipsa conteret*, Græcus exprimit mysterium virilitatis in pugna, & triumpho: *Ipse conteret.* Merito Deipara cum proterendo serpentis capiti annuntiatur, nomine virili designatur, ne in Deipara aliquid non virile, aliquid fluxum, & languidum fuisse subnotetur; sic in sigillo primo, vbi exit vincens vt vincat, virili nomine denotatur.

6 Notissima est proportio & allusio Beatæ Marię ad Arcam fœderis. Fuit arca typus Deiparę, hoc admittunt Patres, & ipsa Ecclesia: *Beata Mater munere, cuius supernus artifex, mundum pugillo continens, ventris sub Arca clausus est.* Quia ergo Arca fuit repræsentatio Deiparæ, inde in arca etiam ponenda sunt tria illa, quæ concurrunt in sessore equi albi, scilicet, arcus, corona, & victoria. Habebat Arca

coronam, Exod. 37. *Fecit Beseleel arcam de lignis Setim &c. & fecit illi coronam auream per gyrum.* Habebat etiam arcum. Nam per arcum, fœdus inter Deum & terram instituitur. Genes. 9. vers. 13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signũ fœderis inter me & terram:* idem habebat arca, quia in ea pepigit Deus fœdus cũ filijs Israel, verba sunt textus in cap. 8 vers. 9. lib. 3. Reg. Ita sicut arcus, arca dicebatur fœderis. Item arca habebat arcum duorum cherubim, vt 3. Reg. d. cap. 8. vers. 7. ibi: *Siquidẽ Cherubim expãdebant alas super locum arcæ, & protegebant arcam.* Dicitur arcus ab arcendo hostes, & hoc præstabat arca, vt Numer. 10. vers. 35 *Cũque eleuaretur Arca, dicebat Moyses, surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant à facie tua*, idest, ab arcu, sicut alibi dicit scriptura: *Dedisti metuentibus nomen tuum significationem, vt fugiant à facie arcus.* Item verba illa: *Exiuit vincens, vt vinceret*, peculiaria erant Arcę. 1. Reg. 4. vers. 3. *Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos*, & Numer. 10. vers. 35. Uides qualiter in typo Beatæ Mariæ concurrerint Arcus, corona, & victoria, eadem à fortiori dicenda sunt de B. Maria, quia de pręparatorijs ad pręparatum valet argumentum. l. oratio ff. de sponsalibus.

7 Ad rem ergo. Ideo Beata Maria dicitur habere arcum, quia Mater est Christi, qui per arcum designatur, Habacuc 3. *suscitans suscitabis arcum tuum*, quem locum, & benè de Christo intelligit R. P. Serna in suo triumpho Mariali. §. 8. n. 20. fol. 36. ibi: *Resucitando resucitaras tu arco, boluerasle a resucitar.* Item per arcum explicatur fides, gratia, pax, & misericordia, quæ omnia attribuuntur Deiparæ, vt notant interpretes in cap. 4. Apoc. verbo *Et iris erat in circuitu*, & specialiter arcum ipsum pro Beata Maria accipiunt Hugo Cardinalis & S. Bernardinus in d. cap. 4. Berchorius lib. 6. Reductorij moralis Fr. Franciscus de Iesus in d. cap. 4. S. Bonauent. in speculo cap. 16. Item dicitur habere arcum,

eum, quia circumdedit Saluatorem, vel quia venter eius dicitur vallatus lilijs, vel quia gyrum cœli circuiuit, vel quia circumdata est virtutum varietate, vel quia ab illo beato ventre exiuit Christus, tanquam sagitta electa Isai. 49. *Dominus ab vtero vocauit me*, & inferius: *Et posuit me sicut sagittam electam*, & Psalmo 21. vers. 10. ibi: *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, in te proiectus sum ex vtero.*

8 Consequenter antecedentibus dicamus, per arcum designari gratiam iustitiæ originalis, vt Iob 29. *Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur*, quæ verba accipiuntur de Beatis, qui in statu gloriæ acquirent de nouo stolam immortalitatis, quam perdiderunt in præuaricatione primi patris: ideo dixit: *Instaurabitur*, & iterum: *innouabitur*. At sola est sicut Sol Maria, quę semper habuit arcum, nec in ipsa dicitur innouari, quia nouum creauit Dominus in ea, Ierem. 31. Vere nouũ, quia ante ipsam, nec post nouimus aliam fœminam, cuius arcus non debeat instaurari. Itẽ per arcũ designatur potentia ad vincendum, Genes. 49. vers. 23. *Sedet in forti arcus eius*, & habemus expressam pro Virgine sententiam in Psalm. 17. vers. 33. *Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam, qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me: qui docet manus meas ad prælium, & posuisti vt arcum æreum brachia mea.* Nonne hæc Maria Beatissima? Nonne ipsa sola immaculata? Nonne ipsa sola constituta super excelsa? Nonne sola habet arcum ad proterendos hostes? Maria sola est mulier fortis, ædificata cũ propugnaculis, ex qua pendent mille clypei, omnis armatura fortium, Cant. 4. Iure sedet cum arcu in equo albo naturæ Angelicæ, in quo & fortitudo, & puritas sunt. Et cũ in equo vincendi Angeli significentur, quia ipsi dicuntur castra & arma Dei, vt in Genesi cap. 32. in princ. *Fuerunt q. ei obuiam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait, castra Dei sunt*

hæc

hæc ideo rectè sedet dominatrix in hoc equo Deipara Virgo, quæ etiam sub sigillo, vel signaculo ponitur, quia de ea legimus, quod est hortus conclusus, fons signatus.

9 Dicit etiam prophetia Apocalypsis, quod sedenti in equo albo data est corona: *Et data est ei corona*. Per coronam dignitas regalis ostenditur, cap. duo sunt 12. q. 1. & Regina illius albæ naturæ Deigenitrix demonstratur. De hac corona data Virgini intelligitur locus Canticor. *Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni coronaberis*, quem locum Honorius ibidem accipit de Deipara, eodem modo intelligit Pater Pinto antilog. 19. §. 1. Hinc fit, vt D. Bernardus hãc coronam Virgini à filio datam agnoscat, serm. de Beata Maria: *Coronauit eum, & vicissim ab eo meruit coronari.* Et Sanctus Germanus sic Beatissimam Deiparam salutat: *Salue pulchritudinis cœlestis diadema*, & D. Bonauent. in spec. Beat. Virg. cap. 6. *Re vera in capite eius Rex Regum diadema Regni posuit tam impretiabile, quod omni linguæ inenarrabile, omni ingenio inscrutabile est*. Item in cap. 12. Apoc. stellis Beata Maria coronatur: *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Ipsi super omnes creaturas corona donatur, non triumphauit super eam inimicus. Ego in mea prima explicatione Apocalypsis tenui, in primo sigillo, & equo albo induci gratiam, vel innocentiam, & per coronã significari iustitiam, in qua creatus fuit primus homo; item per arcum exprimi scutum diuinæ gratiæ, quæ attingit à fine vsque ad finem. Quæ omnia in præsenti repetita proderunt. Nam si per coronam intelligimus iustitiã originalem, & gratiam vincendi per arcum: non incongruè immunitas Beatæ Mariæ originaria in hoc arcu, & corona demonstratur. Ni mauis dicere, in corona gloriam, in arcu gratiam explicari: ex quibus tentari posset, Deiparam non tantum in gratia, sed in gloria fuisse conceptam, vt feliciter probat P. Andreas Pinto Ramirez de Concept. in appendice, cap. fin. Cum enim per coronam gloria designetur,

tur, ex epist. S. Petri: *Immarcescibilem gloriæ coronam*, & in hoc primo sigillo Deipara appareat coronata, nil mirum diceretur in gloria concepta, & immunis à peccato originali. Omnes cum Adamo amisimus stolam, & coronam gloriæ, sicut plorabat Sanctus Iobus, dicens, quod cecidisset corona de capite eius. Sed corona Deiparæ nunquã cecidit de capite eius, melior Angelis effecta, & Regina eorum constituta.

10 Tandem de sedente super equum album dicit prophetia: *Exiuit vincens, vt vinceret*, quæ verba indicant euidentius, sermonem esse de Beata Maria. Hæreamus paulisper in his verbis, quæ sunt dubia, & in eis triumphus, & victoria Virginis contra peccatum manifestè commendantur. Habemus in præsenti duplicem victoriam, nam dicit: *Exiuit vincens, vt vinceret*, & existimabam, hanc duplicem victoriam in Virgine, petendam esse ab antecedentibus; ab arcu, scilicet, & corona. Triumphauit Deipara de peccato, cum concepta fuit, quia tunc coronata, quod est de mente Ricardi de sancto Laurent. lib. 3. de laud. Virg. *Diadema in Virgine, quasi duo demens, scilicet, principium & finem, id est, originale peccatum, quod est principium omnis malis & pœnam æternam, ad quam tendit omne peccatum mortale*, & vt inquit Galatinus de arcanis fidei cap. 5. explicans illud Esai. 61. *Quasi sponsus decorauit me corona*, corona datur Virgini, vt triumphet de originali peccato, sic inimicus non est ausus, filiam summi Regis coronatam inquinare. Triumphauit etiam contra actualia peccata in arcu fidei, spei, & charitatis, & in cumulo omnium virtutum. Sed in hac duplici victoria contra originale, & actualia, magis amouendum de Virgine peccatum originale, quam actuale, quia originale vitiorum omnium radix est; & plus obstat identitati carnis, (quæ est inter Christum, & Mariam) radix origine infecta, & quędam illa quasi virtualis vitiorum congeries, quam ramus aliquis, & singularis criminum maculatio

Vel

Uel exiuit vincens Beata Maria gladium magnum equitis rufi, in quo, vt videbimus, explicatur peccatum originale: exiuit vincens mortem, quam induxit ille eques rufus, vt vinceret etiam fomitem, & bella ex originali prouenientia. Exire, est ab initio incipere. Exiuit vincens ad vitam, vt vinceret etiam in morte. Exiuit vincens in Conceptione, vt etiam vinceret in Assumptione. Exiuit vincens omnia illa mala, quæ explicantur in secundo sigillo in natura rufa filiorum Adam. Vel exiuit vincens diabolum in prima ruina, vbi propter Mariam deiectus est de cœlo, vt etiam vinceret in secundo prælio suæ Conceptionis. Vel exiuit vincens Angelos puritate, vt vinceret etiam omnes perfectione, vt dicit Hilarius & Anselmus: *Quæ vincis Angelos puritate, & sanctos superas pietate,*

11 Vicit diabolus genus humanum per vnam Euam, sed arte diuina victus est per Mariam, vt qui per mulierem vincebat, per mulierẽ vinceretur, Genes. 3. *Et ait Dominus ad serpentem, quia fecisti hoc, maledictus es.* Et inferius: *Inimicitias ponam inter te & mulierem: ipsa conteret caput tuum.* Hæc mulier, quæ serpentis caput est contritura, in ore Patrum est Beata Maria, sic Ambrosius, Augustinus, Gregor. Hieronym. Chrysostom. Leo, & alij apud Petrum Canisiũ in Mariali lib. 5. cap. 9. fol. 597. & cap. 26. fol. 753. & vt ait Cardinalis Caietanus: *Has inimicitias non inter mulierem istam, quam faciliter superasti, sed inter te, & aliam Beatam Virginem, quæ omnium mulierum optima fuit.* Videndus omnino Iacobus de Valencia in Cantico Magnificat. fol. 389. litter. O. column. 1. Item illud caput cõfringendum, quod sit originalis culpa, omnium ferè authorum sententia comprobatur, vt explicat Salazar. cap. 19. Perlinus dist. 5. cap. 1. Quo posito, iam videmus, victoriam cum victoria compensari, sed maiorem reportauit Deus cum Maria. Facile fuit diabolo decipere in Eua sexum fragilem; maior autem est gloria, quod vincatur per Mariam, non simpliciter

ter, sed duplici victoria; actus enim geminatus maior est. l. Ballista. ff. ad Trebell. Semper vincens dicitur Maria, quæ Holofernis Tartarei caput ad pedes prostratum detinet. Ipsa est murus, & turris munita. In hac Sulamite nil aliud nisi choros Castrorum legimus, & in prælio pulchri sunt gressus eius in calceamentis. Deipara benè calceata, & castrorum choris munita, caput draconis duplici victoria contriuit, nec draco potuit eam mordere, nec gladium ad conceptionem eius, in pedibus significatam, mittere. De hac victoria meminit insignis Pater Antonius Velasquez de Concept. lib. 3. differt. 3. adnot. 1. n. 6. ibi: *Hinc quidem dixeris de pia opinione, quod Ioannes de sedente super equum album Apoc. 6. exiuit vincens vt vinceret, ab vna scilicet victoria in aliam.*

12 Non dubito, quin hæc duplex victoria significata fuerit Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum, & semen illius.* Non dixit inimicitiam, sed inimicitias, nec aperit, quas inimicitias ponet. Certè inimicitias dicit propter originale & actuale, de quibus triumphauit Maria. Idem legimus de Christo Ephes. 2. *Interficiens inimicitias in semetipso*, sed diuersimodè, nam Christus tanquam Redemptor interfecit inimicitias, quas homo cum Deo per peccatum contraxerat, & cum simul sit Redẽptor peccati originalis, quod est generis, & peccati actualis quod est personæ; ideo dixit: *Inimicitias interficiens*. Maria vero cum dracone habuit inimicitias, alteram propter peccatum originale, alteram propter actualia, sic eum duplici victoria protriuit, de quo videndus Dominicanus Fr. Franc. de la Cruz de puritat. Concept. sect. 1. §. 4. num. 20 Et comprobatur, nam cum dicit: *Inimicitias ponam* inter serpentem, & Mariam, fateri debemus, inter ipsos interesse absolutas dissimilitudines in omni peccato. Cæterum si Virgo fuisset concepta in peccato originali, non potuisset dici dissimilis serpenti maledicto, & culpabili pro

illo

illo esse peccati, vnde si virgo aliquando in culpa diabolo communicasset, non absolutæ inimicitiæ, sed aliquando amicitiæ inter Mariam, & serpentem concederentur, quod repugnat dicto cap. 3.

13 Addo his omnibus, quod non sine re in d. cap. 3. Genes. inimicitiæ referantur ad semen mulieris, & serpentis semen. ibi: *Inimicitias ponam inter semen tuum, & semen illius.* In his verbis sistit præcipuum fundamentum præseruationis Mariæ à peccato originali. Quæso, quid est semen serpentis in præsenti? Non aliud, quam peccatum originale, pulchrè hoc aperuit Fr. Ludouicus a Conceptione in suo examine verit. in Præamb. n. 39. *Semen serpentis est originale peccatum, quod in Adamo fuit actuale, per Euæ consensum incipiens, fuitque quasi zizaniæ granum in ipso Adami puluere proiectum, vel in terra maledicta: ergo à contrario, mulieris Deiparæ semen tale esse debuit, quod originali careret macula: & in terra, nec antecedenter, nec consequenter maledicta, fuisset proiectum, vel de ea nunquam maledicta ortum habuerit. Denique si ipsa Deipara Virgo serpentis contriuit caput, quod antea semper fuit per originale erectum, quomodo ipsa propriè illud foret contritura, si originale ipsum contraxisset.* Deinde numeris sequentibus probat, non posse aliter intelligi verba illa: *semen serpentis, & semen mulieris.* Patet ex dictis, quod Beata Maria sedet in primo sigillo, ad quod respexit S. Pascalius lib. 1. in Matth. dum dicit: *Vnde, cum se nascendo ex Maria, manifestius mundo infulsit, quid aliud, quam tunc primum sigillum soluit?*

§. VNICVS DE SECVNDO SIGILLO.

14 IN cap. 6. Apoc. habemus sequentia: *Et cum aperuisset secundum sigillum, &c. Et ecce equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus.* Diximus supra, in

equo

equo rufo esse naturam humanam, et super hunc equũ sedere Adamũ, quem indubitatis signis verba relata præfigurant; ipse est qui sustulit pacē de terra, qui mortē seminauit in posteris; omnia hæc mala ab illo fonte deriuantur, vt Ecclesiast. 40. *Iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque ad diem sepulturæ in matrem omnium*; et inferius: *Furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perseuerans, & contentio*; et post pauca: *Ad hæc mors sanguis, contentio, & romphæa, oppressiones, fames, & contritio, & flagella.* Hæc mala seminauit illa prima præuaricatio, vt dicit glossa marginalis ibi, et Dionisius Carthusianus, et Esdras lib. 4. cap. 7. à vers. 11. Subiungit prophetia: *Et datus est ei gladius magnus*, quibus verbis manifeste peccatum originale per gladium in manu Adami significatur, circa quod expendo Psalm. 21. vers. 21. *Erue à framea Deus animã meã* id est, à gladio, qui inest peccato originali, vt explicat Iacobus Perez de Valencia ibidē, dicens: *Erue animam meam à framea, & gladio mortis, scilicet, ab ea sententia data in Adam, in qua dictum est: puluis es, & in puluerem reuerteris*; cui adiungas Psalmum 62. *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij*; respicit comminationem illam: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Sic intelligo illud ad Rom. 5. *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Utitur metaphora gladij, qui sicut pertransit occidendo, ita et peccatum illius primæ præuaricationis. Eodem loquendi modo in Cantico Simeonis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Per gladium significamus, et explicamus peccatũ originale; sic ita Petrus Comestor lib. de Immac. Conc. *Dicat ergo, dicat Ecclesia: salue festa dies veneranda Conceptionis, in qua initiatum est sacramentum nostræ redemptionis, per quam extincta est framea versatilis.* Strabo gladium ante paradisum sic versat: *Flammeus gladius sunt tribulationes,*

dolores

dolores, & labores huius vitæ, quibus nos exercemur. Vel sententia iustæ damnationis, quæ homini est data. Sed quare dicitur, quod Adamo datus est hic gladius? Ratio, quia in arbitrio eius fuit, se & suos occidere, & potuit seruando mandata, excusare gladium mortis. Sed quare dicitur magnus? Fuit magnus, quia per totam posteritatem transit; vel magnus in efficacia nocendi, & pro occisorum multitudine; vel magnus, quia aculeus eius longissimus est, qui ferit ab Adamo vsque ad omnes posteros in finem seculi. Gladius qui altius pungit, profundius & acrius viuum icit, & vitam percusit. In summa gladius est miseria peccati originalis, ex qua secuta fuit mors, & in Apoc. cap. 13. pro eodem ponitur plaga mortis, & plaga gladij, & in ea plaga vincti fuimus omnes, vt psalm. 106. *Sedentes in tenebris, & in vmbra mortis, vinctos in mendicitate, & ferro*, à qua plaga mortis, & gladij nos eripuit Dominus Iesus, Psalm. eodem: *Misit Verbum suum & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum* substinens pro nobis ferrum & gladium, Psal. 104. *Ferrum pertransit anima eius.*

15 Dices quorsum hæc ad fundandam immunitatem Beatæ Mariæ à peccato originali? Sanè necessarium fuit edicere de miserijs peccati originalis, & de gladio illo Adami in secundo sigillo, vt intelligamus alium locum difficillimum in cantico Simeonis, in quo gladius etiam ponitur pro peccato originali, & tamen gladius ille Virginem Mariam non lædit: dicitur enim Lucæ 2. vers. 35. *Tuam ipsius animã pertransibit gladius.* Sanè hic locus Simeonis difficillimus est, quem multiformes & variæ opiniones difficilem reddiderunt. Multas huius gladij sententias congerit Pater Maldonado d. cap. 2. Lucæ. Præter illas obseruaui alias apud Doctores sacros, Diuus Bernardus apud Titelman in d. Cantico explicat hunc gladium pro amore Dei: *Est gladius amor Dei, qui Mariæ animam non modo confixit, sed etiã pertransiuit, vt nullam in pectore virginali particulam vacuã*

amore

amore relinqueret, sed toto corde, tota virtute diligeret, vt esset gratia plena. Aliter D. Ambrosius cap. 2. Lucæ, qui hunc gladium in Cantico accipit pro prudentia, & sanctitate Virginis, cœlestis non ignaræ mysterij, id est, cęlestia penetrantis mysteria, instar gladij. S. Epiphanius lib. 3. tom. 2. hæresi 78. hunc locum Simeonis per argumentum expendit ad probandum, quod Beata Maria fuerit mortua in gladio vniuersali, Euthimius, & Beda gladium Simeonis accipiunt pro dolore, qui Virginis animam Passionis Christi tempore sauciauit. Timothæus Ierosolymitanus in Orat. de Propheta Simeone, gladium habet pro dolore illo, quē erat Virgo habitura, cum filium Iesum triduo amisit. Mihi tamen omnium minimo, eodem modo interpretandus videtur gladius in præfato Cantico, sicut interpretatur gladius in secundo sigillo, vt accipiatur pro peccato originali.

16 Nunc magis vrget contra nos Canticum Simeonis, quam stat pro nobis, & pro pura Virginis Conceptione. Si enim in gladio comprehenditur originale peccatum. & in Cantico dicitur: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Ergo cum hæc verba ad Deiparam referantur, dicēdum est, quod contraxit originale peccatum? Probaret argumentum, si verba Simeonis in se sisterent, et non progrederentur. Non est prophetia Simeonis truncanda, et incōpletè accipienda, si enim verba prophetiæ separamus, et totum contextum diuidimus, manca erit, et mutila propositio. Non sistit prophetia Simeonis in illis verbis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, sed addit: *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Legamus omnia iuncta: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*, Ipsa verba satis ostendunt, quod gladius tantum tetigit animam Virginis, ad effectum, quod reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Uoluit explicare prophetia Simeonis id, quod euenturum erat temporibus succesiuis circa puritatem Mariæ, quasi diceret Virgini.

Tu Domina, cui gladius Adam non appropinquauit, eò deuenies in existimatione aliquorum, vt tuam animam transiturus sit gladius vniuersalis peccati originalis; & sicut filius tuus positus est in signum; cui contradicetur: simile contradictionis signũ experieris; & licet re ipsa te gladius non tetigerit: in opinione aliquorum, quasi rea gladij vniuersalis computaberis, quæ etiam redundabunt in maiorem gloriam tuam. Solum accedet ad te gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes: vt agnoscantur piæ erga te hominum affectiones: solum, vt habeantur disputationes. In originali Græco in Cantico Simeonis pro cogitationibus est: *Dialagismoi*, id est, disputationes, disceptationes, intestinæ sermocinationes; & aptissimè Arias Mõtanus: *Dialogismoi*, versat: *Ratiocinationes*.

17 Nostram sententiam, & mentem de Cantico Simeonis apprimê confirmat reuelatio Sanctæ Brigittæ lib. 1. Reuel. cap. 55. ibi: *Mater Dei loquitur: quando pater meus, & mater mea matrimonialiter conuenerunt, plus fecit obedientia quam voluntas, & plus operata est ibi charitas diuina, quam voluntas carnis. Nam hora, in qua ego concepta fui, bene potest vocari aurea hora, & præciosa, quia alij coniuges conueniunt ex voluptate carnali; mei autem parentes conuenerunt ex obedientia, & præcepto Dei. Bene ergo aurea hora fuit conceptio mea: nam tunc incepit principium salutis omnium, & tenebræ quasi festinabant ad lucem. Deus namque singulare quoddam, & a sæculo absconditum facere voluit in opere suo, quemadmodum fecit in virga arida florescente. Sed scito, quod conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem scriptam præcessit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, & postea veniret lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus;* nunc, *Sic placuit Deo, quod amici sui piê dubitarent de Conceptione mea, vt quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore præordinato,* Quod est idem, ac dicere, vt reuelentur ex multis cordibus disputa-

putationes. Habet alias duas reuelationes de puritate Cōceptionis lib. 1. cap. 9. & lib. 6. cap. 49. In summa gladius vniuersalis peccati originalis non tetigit animam Deiparæ, nisi in opinione eorum, qui sentiunt contra, vt notat Nicolaus de Sancto Albano: *Virginis ipsius animam pertransiuit gladius nuper in Conceptionis suæ condemnatione.* Item nota, quod in Cātico genitiuus ille *ipsius* non potest referri ad Christum, & Passionem, quasi passio & gladius Domini esset Uirginis animam penetraturus, nam repugnat proprietas originalis, nam græcè connectitur relatiuum *autos, aute, auto* pronomini *Sos se, som,* & ly *ipsius* in Cantico græcè est *autes* in genere fœmenino, vnde non potest referri ad Christum, sed ad Beatam Mariam, vt dicat: *Tuā tuæ ipsius animam pertransibit gladius.*

15 Supradictæ interpretationi gladij proxima est sententia Psalmi 21. vers. 21. *Erue à framea Deus animam meā, & de manu canis vnicam meam.* Psalmus hic ferè totus est de Christo, propter illa verba: *Ego sum vermis & nō homo,* & sequentia: *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Sunt etiam Doctores qui versum illū *Erue à framea* etiam de Christo accipiendum putant, inter quos vnus est Iacobus de Valencia in prædicto Psalm, ibi: *Et tu Deus erue animam meam à framea, & gladio mortis, scilicet, ab ea sententia data in Adam in qua dictum est puluis es, & in puluerem reuerteris. Et erue vnicam meam animam de manu canis infernalis, non detineat eam in inferno, sicut detinuit alios propter peccatum Adam.* Sed non acquiesco huic sententiæ, nā Christus non poterat comprehendi in sententia Adami, nec poterat videre corruptionem corporis, nec detineri in incineratione, quia Deus non dabit sanctum suum videre corruptionē, & sic nō deprecaretur pro re impossibili. Quare cum Ricardo à sancto Victore tenendū est lib. 6. de laud. Virg. versū illum *Erue à framea* nō ad Christū, sed ad matrē esse referendum, pro qua deprecabatur, ne veni-

ret in legem vniuersalem gladij & incinerationis, & in d. Psalmo mentionem matris, repetita facit oratione: *Spes mea ab vberibus matris meæ*, & iterum: *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Appellat Beatam Mariam Saluator animam suam, & vnicam suam in hoc psalmo, in prædicto versu, & ita etiam à Doctoribus compellatur. Hugo Card. 2. Luc. *Tuam ipsius animam, id est, tuã animam, quæ est Christi ipsius, vel animam ipsius Christi, quæ tua est.* Origen. hom. 1. in Matth. *Mater eius, mater immaculata, mater incorrupta, mater eius; cuius? Mater Dei vnigeniti Domini, & Regis omnium Plasmatoris, & creatoris cunctorum: illius qui in excelsis est sine matre, & in terra est sine Patre. Huius itaque vnigeniti Domini dicitur hæc mater Virgo Maria, digna digni, immaculata immaculati, vna vnius, vnica vnici.* En vnicam filij immaculati, quæ anima Christi reputatur. Singularis, & vna est Maria, quæ integritatem carnis, & spiritus adepta est; nullo carnis vitio conspersa, nulla spiritus læsa corruptione, & in ea & filio vna videtur esse anima. Ergo pro hac Virgine deprecatur filius Iesus in ore Dauid, ne tradatur anima sua, & vnica eius Maria in manus inimici, vt non tangat eam gladius vniuersalis in Conceptione, neque effectus gladij in incineratione. Quam pulchrè Durandus à sancto Pontiano lib. 3. sentent. disp. 3. q. 1. *Incineratio, seu reuersio corporis humani in puluerem est pœna peccati originalis secundum legem communem, per quam natura derelicta est, & ideo sicut de terra formatum est corpus, sic in terram reuertitur. Sed Beata Virgo priuilegiata fuit in hoc articulo, & sicut corpus Christi sumptum de corpore Virginis fuit immune à tali corruptione, secundum illud psalmistæ: non dabis sanctum tuum videre corruptionem, sic corpus Virginis, de quo fuit sumptum corpus Christi.* Et Magister Paulus de Luca: *Beata Virgo non fuit resoluta in puluerem, ergo neque corrupta per originalem culpam, nam constat, quod tabernaculo Christi plus derogat peccati corruptio, quam in pulverem reso-*

resolutio. Corpus Christi, & anima per naturam exempta sunt à gladio communi, Mariæ autem corpus et anima per priuilegium. Omnia alia hominum corpora traduntur in manus canis, in manus gladij. Omnes qui in Adam peccauimus, cadimus in retiaculum, vt Psalm. *Cadent in retiaculo peccatores*, à quo singulariter excipiuntur Christus & vnica eius; Christus, & illa quę est anima eius. In retiaculo, id est, in laqueo, de quo initio psalmi: *Custodi me à laqueo*. Pręliberauit filius matrem suam à laqueo venantium, qui retiacula tendunt ad capienda corpora morientium pro incineratione, vt in Psalm. 90. *Ipse liberauit me â laqueo venantium.* Demum addit: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Tabernaculum Dei est Beata Maria, de quo postea, & notatur in Psalm. 26. ibi: *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me.* Et Beatissima Maria in Psalm. 40. vers. 12. cum filio loquitur: *In hoc cognoui quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.* Illud addiderimus ex dict. Psalm. 21. vers. 21. quod continuata oratione deprecatur Christus pro matre, dicens: *Salua me de ore leonis*, nam si mater caderet in frameam peccati originalis, hæc inquinatio, in opinione hominum refunderetur in filium, vnde post illa verba: *Erue à framea Deus animam meam*, addit: *Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam*, id est, humilem matrem meam, quæ in omnibus tibi placuit per humilitatem.

19 Ex dictis circa primum, & secundum sigillum, alia duo inferuntur pro originali immunitate Virginis. Primum est, ita computandam hanc vnam Virginem in equo albo naturæ cœlestis, vt pleno ore Ciuitas sancta Ierusalem à Patribus compelletur, ex August. lib. 7. de Ciuit. Dei, cap. 16. Damasc. de dormit. Virg. Sexto Germano serm. de fascijs

& zona

zona, ibi: *Quænam ea Ciuitas est? Existimo, manifestissimè, & sine vlla cunctatione eam esse, quæ verè est electa, & omnibus superior diuinarum, & sublimium virtutum magnitudine, & puritate omnibus antecellentem Mariam, nullius penitus culpæ affinem.* Hanc veritatem comprobant PP. sacræ scripturæ apertissimis testimonijs, nā Cantic. 6. legimus: *Suauis, & decora sicut Ierusalē*, & Malach. cap. 4. *De Sion exiuit lex, & Verbum Domini de Ierusalem*, & Ecclesiast. cap. 40. vers. 19. vbi mulier illa immaculata super Ciuitatem, Deipara est super Choros Angelorum; & ciuitatem illam cœlestem eleuata. Et in Apoc. cap. 21. Ciuitas illa sancta Ierusalem, quæ ibidem sponsa Agni, & tabernaculum Dei nominatur, non incōgruè à multis Patribus pro Beata Maria accipitur, & nouissimè tenet egregius P. Didacus de Auendaño in Amphitheatr. n. 234. locum Apocalypsis explicās de Virgine, quę semper fuit Ciuitas sancta, idque Græci Patres docent, dū Virginem appellant, præcipuè in Conceptione *Paniperaulogemenam Pananomon, panagiam, panacranton*, vt semper fuerit sancta, sicut dicit Damascen. apud Mænea Græca, in die 22. Ianuarij, ibi: *O semper, & vbique inculpatissima numinis mater!* Sicut etiam eam appellant *Paniperagiam, & hiperpananomon*, quasi in gloria, & sanctitate conceptam. Est etiam tabernaculum Dei, iuxta illud *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus:* quem locum, & alia similia, de Beata Maria intelligunt Damascenus 1. de Natiu. Virg. Ildefons. serm. 9. de Assūpt. Andreas Ierosoly. orat. de dormit. Virg. Arnold. serm. de laud. Virg. Justin. de casto coniug. cap. 9. sicut etiam dicitur thronus summi Regis, vt ex psalm. 88. euincit idem venerandus Pater Didacus de Auendaño. tom. 2. Problem. §. 1. cum sequentibus. Et quid mirū dicatur hæc ciuitas de cœlo descēdere in d. cap. 21. Apoc. *Descendentē de cælo*, cum inter creaturas cœli in primo sigillo Regina sedeat, & Domina? Parum dixi, cum etiam totū cęlum vix huic vni Virgini possit comparari, vt notant cano-

nistæ

nistę in cap. Corporeũ, de consecrat. dist. 2. in illis verbis: *Perfectus autem panis de cœlo corpus est ex virgine natũ*. Item animatum cœlum passim à Patribus nuncupatur, vt dixi cap. 2. & vide D. August. serm. 35. de sanctis, D. Damasc. serm. 1. de Natiu. Virg. D. Chrysost. homil. de Annuntiat. D. Bonauent. in spec. cap 5 D. Bern. serm. 1. de B. Virg. D. Ildef. serm. 9. Assumpt. Andr. Hier. in salut. ad Virg. Hesych. orat. 2. P. Pinto de Concept. Antilog. 11. §. 5. Hoc totum in Beata Maria perfecit gratia sine mutatione naturæ humanæ, vt dixi supra.

20 Alterum, quod infero ex secundo sigillo equi rufi, illud est, naturam scilicet humanam in equo isto comprehẽsam mansisse sine pace, vt in d. cap. 6. Apoc. *Datum est ei, vt sumeret pacem de terra*. Omnes in præuaricatione primi parentis ab initio destituti sumus pace, & iustitia originali. Ast vna est Deipara, quæ semper degit in pace; de ipsa Virgine intelligitur locus ille: *Factus est in pace locus eius*. Psalm. 75. vers. 2. sicut intelligit meus Sanctus Thomas de Villanueua, qui in præfatis verbis constituit innocentiam originalem Virginis, & præseruationem à peccato, & ego expendo verba cap. 8. Cantic. *Ego murus, & vbera mea turris, ex quo facta sum corã eo quasi pacem reperiẽs*. Locus est de Beata Virgine, quæ cum sit murus vndique vallatus, & turris fortitudinis, necesse est, vt locus ipsius sit in pace, præcipuè quia sicut dixi numero antecedenti, Deipara est mystica Ierusalem, de qua legimus: *Fiat pax in virtute tua*, & iterum: *Qui posuit fines tuos pacem*, psal. 121. Et Ierusalem interpretatur visio pacis. Unde quotidie à Virgine petimus, vt fundet nos in pace, & mutet Euæ nomẽ; circa quod videnda glossa in Clement. vnica, verbo *virginali*, de summa Trinit. & fid. Cath. Quomodo enim nos reconciliaret ad pacem, si ipsa non fuisset semper in pace? Sicut etiã dicimus de Saluatore nostro, quod recõciliauit nos, & redemit à peccatis, quia in eo nũquam fuit peccatum. Quã pulchrè

Castro lib. 8. contra hæres. verbo *ieiunium*, in versiculo tertia hæresis, ibi: *Quoniam soli Virgini Dei Matri hoc priuilegium tribuitur, vt pacem in se habuerit. Vnde Richardus de Sancto Victore libro secundo de Emanuele, cap. vltimo, sic ait: In cæteris sanctis magnificum habetur, quod à vitijs non possunt expugnari; in ista mirificum videtur, quod non potest vel in modico impugnari. Cæteris sanctis in communi præcipitur, vt in mortali eorum corpore peccatum non regnet; soli isti singulariter datur, vt mortale corpus eius peccatum non inhabitet.* Factus est ergo in pace locus Beatæ Mariæ, quia formata est sine omni fomite peccati. Nec potuit esse sine pace illa, quæ nobis peperit Saluatorem, qui factus est nobis pax. Nec potuit esse in corruptione mortis, & gladij, cum fructum vitæ per ipsam acceperimus, & in ea potuit considerari corruptibilitas respectu naturæ humanæ, & incorruptibilitas respectu gratiæ, per quam electa est Dei mater vt dicit idem Castro lib. 12. verbo *peccatum*, ibi: *Sed hoc fuit in Beata Virgine supra modum mirabile, & præ cæteris sanctis omnibus singulare, quod in ea simul conuenire potuit tanta corruptibilitas cum tanta incorruptibilitate.*

21 Omnes effectus (quos Deiparæ tribuimus, vt per excellentiam computanda sit inter creaturas cœlestes, operante gratia supra naturam) sunt illi debiti, quia Mater est Dei; & quamuis conceptio Virginis fuerit naturalis quoad generationis modum, fuit tamen supernaturalis quoad ordinem; tum quia ab sterilibus, & senibus, nec proletarijs parentibus concipitur, & procreatur; tum quia veniens ex massa illa fermentata Adami, ipsa sola sine fermento originalis culpæ generatur ex diuina gratia; in quo Christi Domini diuersa conditio est: nam ipse per naturam excipitur, sed Mater per gratiam. Sic intelligo verba Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato circumdata varietate.* Est locus expressus de Beata Maria in ore Patrum. Astitit Regina, quia stetit semper,

nunquam curvata, vel delapsa. Sed cur in vestitu deaurato, & non aureo? Huius dubij illa est ratio, quod aurum designat naturam diuinam, Cantic. 5. in illis verbis: *Caput eius aurum optimum.* Inter aurum, & deauratum multum interest: nam deauratum supponit, materiam deauratam esse alterius essentię, & naturę, vt in l. quid tamen 14. §. nam si in auratum. ff. de cōtrah. empt. l. cum aurum 19. §. idem Celsus. ff. de aur. & arg. leg. ibi: *Auro legato, ea quæ inaurata sūt, non deberi.* Virgo Beatissima verè est filia Adami, non habet naturam auream, sed deaurata fuit in vestimentis gratiæ, circumdata omnium virtutum complexu. Et illud mihi nimis graue, quod in hac vna virgine omnes fatentur, quod frangantur naturæ vires in sua Conceptione actiua, in suo partu, in carentia peccati actualis, in defectu fomitis, in carentia corruptionis sui corporis, in sua Assumptione; & hoc vnum, quod magis conducit ad eius puritatem, & filij honorem, vt in Conceptione sua passiua non habeat peccatum, illi denegetur? absit.

Caput Sextum.

EXPENDITVR LOCVS APOSTOLI ad Romanos cap. 5. pro immunitate Conceptionis.



EX verbis huius capitis parauerunt aduersarij arcum, & sagittas in Deiparam, & posuerunt eam, tanquam signum ad sagittam, propter id, quod dicit in præsenti Apostolus: *Per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerūt.* Sed ô Diua, quæ potens es confringere arcum, scutum, & sagittas, præsta iuuamen. Dicendum ergo, quod in eodem textu

textu, post illam regulam generalem, quod omnes in Adã peccauerunt, subiungit Apostolus duas exceptiones; alteram ibi: *Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* De altera exceptione dicemus infra. Igitur regnauit mors vsque ad Moysen, id est, vsque ad legem Moysis: & hoc ipsum contextus insinuat; nam præmisserat Apostolus, peccatum non imputari, cum lex non esset, ac demum addit: *Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen;* vnde Moysen pro lege ponit. De quo nos admonuit Diuus Ambrosius in Psalm. 43. ibi: *Vnde pulchrè Apostolus dicit, sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen; quid est Moyses, nisi lex? quoniam ipse interpres est, finis autem legis Christus Iesus.* Quod etiam benè percaluit Petrus Lombardus in d. cap. 5. per hæc verba: *Regnauit ergò mors vsque ad Moysen, idest, vsque ad legem.* Lex enim à legislatore, & à primo qui eam publicauit nomen accipit. §. sed ius quidem ciuile. Instit. de iur. nat. Et iuxta Apostoli stylum, Moyses ponitur pro lege scripta, vt 2. Corinth. 3. vers. 15. ibi: *Sed vsque in hodiernum diem dum legitur Moyses*, id est, dum legitur lex, nã viuente Apostolo, non viuebat Moyses nisi in lege; sic vulgo dicimus, lege Diuum Thomam, vel lege Papinianum, id est, eorum scripta & libros.

2 Quo supposito, dum dicit Apostolus, quod regnauit mors ab Adam vsque ad legem Moysis, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adam, hoc euidenter docet, dari saltem duas personas, quæ non includantur in illa prima præuaricatione, & exẽptæ sint à communi maledicto, & à sentẽtia indignationis in Adam. Non dixit: *Regnauit mors in eum, qui non peccauit in similitudinem præuaricationis Adam*, sed in plurali: *In eos qui non peccauerunt in similitudinem;* sic, non tantum Christum, verum etiam Deiparam comprehendit, & vtrunque excipit ab illa præuaricatione, & regula generali. Nec est dare

alias

alias personas à principio in finem hominum, quę non teneantur illo maledicto. Maria sacrosancta, & eius Filius nascuntur sub lege scripta, & mortui sunt. Regnauit mors in eos, quamuis non peccauerint in illa præuaricatione Adam. Regnauit in eos mors, non tamen propter legem præuaricationis. Quamuis Apostolus in præsenti attribuat effectus mortis peccato naturæ, excipit tamen eos, qui non peccauerunt in similitudinem illius præuaricationis. Mortui sunt Christus, & Christipara: sed non ex pœna peccati in ipsis considerati, sed Saluator propter scelera nostra; Deipara propter amorem, delicijs affluens, & ex alijs motiuis in cap. penultimo referendis. Igitur regnauit mors vsque ad Mariam in sensu prædicto, idque Sanctus Gregorius Nissenus explicat lib. 1. de Virginit. cap. 13. ibi: *Ab Adamo vsque ad Mariæ Dei Matris tempus mors regnum obtinuit*, & clarius Pater Gueuara 2. p. tom. 1. de Concept. in cap. 1. Matth. obseruat. 15. sect. 3. § 5. n. 41. ibi: *Ab Adamo inquam, à quo originis contagium serpsit vsque ad Mariam, quam contagium non infecit, mors suum explicauit imperium.*

3 Nunc videndum, an peccatum similitudinis præuaricationis sit peccatũ originale? Multi verba præfata pro peccato actuali habent, & verba illa *Regnauit mors vsque ad Moysen* restringunt ad tempus Moysis, nec extendunt ad legem scriptam & finem eius: sic dum non inueniunt vsque ad Moysen, personã peccati originalis expertẽ, compulsi sunt, verba illa *Qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ* ad peccatum actuale contorquere. Unde dicunt, quod vsque ad Moysen regnauit mors in paruulis, in quibus non est illa similitudo præuaricationis Adam quoad peccata actualia. Et cum peccatum Adami, ipsi fuisset actuale, nobis vero originale, vt dixit textus in cap. Quæris. §. sed ex Adam. de consecrat. dist. 4. Ideo verba Apostoli pro peccato actuali commentantur. Sed certè hic modus interpretandi præter quam sit violentissimus,

omnino repugnat verbis Apostoli, & menti: nam epistolam ad Romanos scripsit multis sæculis post Moysen. Si ergo, vt sibi aduersarij persuadent, verba illa similitudinis præuaricationis stricte ad Moysis tempus referuntur, & ad paruulos, in quibus non fuit actuale peccatum; quomodo rem ipsam cum veritate componunt? Si loquebatur Apostolus de paruulis, qui mortui sunt sine peccato actuali; quo modo mortem vsque ad Moysen limitatiuè regnasse dicunt? Nonne illo medio tempore à Moyse ad Apostolum; vel à lege scripta vsque ad tempus, quo scripsit Apostolus, mortui paruuli non sunt? Imo plures mortui fuere. Ergo non loquitur de paruulis defunctis sine peccato actualis sic sumenda est proprietas præuaricationis in sensu peccati originalis.

4 Dicendum ergo, quod peccare in similitudinem præuaricationis Adæ, nil aliud sit, quam reputari, & comprehendi peccato illo vniuersali. Cum primus homo peccauit, omnem hominem peccare fecit; sic multi interpretantur verba Zachariæ cap. 13. *Quoniam Adam exemplum meum.* In illa præuaricatione similes, et correi delicti illius facti sumus; ibi omnes cum Adam præuaricati sumus. Oseas 6. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum; ibi præuaricati sunt in me.* Ibi omnes filij cum primo Patre constituti sumus rei illius præuaricationis, & simili pœna damnati sumus; quod & leges admittunt. l. item Mela. §. sed si seruum. ff. ad leg. Aquil. Manet ergo fixum, quod peccare in similitudinē præuaricationis Adæ, sit teneri peccato originali naturę, ita docet Diuus Augustinus tom. 8. fol. mihi 303. conc. 25. ad Psalmum 118. super illa verba: *Præuaricantes reputaui omnes peccatores*, super quæ Doctor sacer: *Quod ad illam præuaricationem paruuli deputantur propter peccati originalis vincula in similitudinem præuaricationis Adæ.* En vbi eisdem Apostoli verbis vtitur, vt explicet peccatum originale in paruulis. Idem habet Diuus Hieronymus relatus in

cap.

cap. si enim. §. non manet. de poenit dist. 2. ibi: *Et nemo mũdus à peccatis, neque infans si vnius quidem diei fuerit. Tenemurque rei in similitudinem præuaricationis Adæ. Vnde Dauid: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Similiter Sanctus Hieronymus relatus à Patre Granado de Concept. disp. 1. cap. 3. n. 7. ibi: *In Paradiso omnes præuaricati sunt in me in similitudinem præuaricationis: non enim mirum, si quod in parente præcessit, etiam in filijs condemnetur.*

5 Progrediamur, & dicamus, quod peccare in similitudinem præuaricationis Adæ est comprehendi peccato naturę, vel peccato originali. Quid ergo erit apud Apostolum in dict. cap. 5. *Non peccare in similitudinem præuaricationis Adæ?* Hoc est, non teneri vinculo peccati originalis; sic dum Apostolus dicit, mortem regnasse vsque ad legem in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adę, illud agit, quod excipiantur à regula duæ saltem personæ, quæ non teneantur vinculo peccati originalis, quamuis mortuæ fuerint. Hæc est veritas huius loci ad Romanos, qua retenta, non est dare alias duas personas, nisi Christum, & B. Mariam. Nati sunt sub lege, mortui etiã; sed non propter peccatum originale, vt dixi. Nec ante legem, nec post, possunt dari aliæ personæ, in quibus verificetur dictum Apostoli.

6 Difficilis vsque adeò fuit hic locus Apostoli antiquis Patribus, vt aliqui, dempta negatione, legerint: *Regnauit mors in eos, qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Sed quis feret censoriam virgulam in emendandis scripturæ locis? Repugnant græca, & latina originalia, quæ retinent negationem, vt notat Petrus Lombardus in d. cap. 5. ad Roman. præcipuè cum nullus rectus, & integer sensus resultet ex ademptione prædictæ negationis. Sed retenta prędicta negatione, illud non leuiter obstat, quod Beata Maria mortua fuit post legem iam abolitam, quæ cessauit post Christum passum, ergo nõ cõpre-

prehenditur sub verbis Apostoli dicentis, quod *regnauit mors ab Adam vsque ad legem in eos, &c.* Omitto pro solutione huius dubij illam disputationem, an lex scripta durauerit, & obseruatio legalium post mortem Christi; item an lex scripta fuisset tantum mortua, vel fuisset mortua simul & sepulta, circa quæ videndi sunt canonistæ in cap. fin. dist. 6. vbi August. Barb. in collect. Omitto etiam illud perplexum inter Doctores certamen, an obiurgatio Divi Pauli contra Diuum Petrum circa obseruationē legalium, fuerit culpabilis, de quo audiendus Petrus Lombardus cap. 2. ad Galat. ibi: *De hac autem reprehensione dissentire videntur Hieronymus, & Augustinus, sicut de legalium post Christum obseruatione. Hieronymus ait, Petrum non ideo obseruasse illa legalia, quod vellet, ea post Christum seruari etiam à Iudæis, sicut enim nec debebant, sed inuitum fecisse, & dispensatoriè simulasse. Augustinus vero dicit, Petrum seruasse illa legalia non dispensatoriè, sed vere quasi eis subiectum, sed non in eis spem ponentem*, & idem Lombardus prosequitur disputans an Petrus peccauerit in obseruatione legalium, vel Paulus in obiurgatione. Quidquid sit, certum est, legem post Christum passum fuisse mortuam, & paulò post fuisse sepultam; vnde Beata Virgo post legem sepultam è mundo migrasse dicitur.

7 Sed instabis, si lex erat sepulta, quomodo mors regnauit in Dominam vsque ad legem? Dicendum est, quod Dominus Iesus, & eius Beatissima Mater nati sunt sub lege scripta, & cum dicit Apostolus: *Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen in eos, qui non peccauerunt, &c.* illud intēdit, vsque ad legem Moysis dari saltem duas personas, quæ nō tenerentur maledicto peccati originalis, quamuis postea mortuæ essent. Hoc vocat Apostolus, regnare mortem in illas personas non comprehensas in illo peccato. Subiectum enim propositionis Apostoli, sunt illæ personæ expertes illius præuaricationis, & sufficit ad saluandam propo-

positionem, quod illæ personæ tangerent legem scriptam, & quod nascerentur intra tempora ipsius legis. Regnauit mors vsque ad legem, id est, vsque ad personas legis; sic verificatur, quod regnauit in eos saltim in subiecto. Regnauit mors in eas personas, quæ fuerant sub lege, sed non aperit quando regnauit, an durante lege, vel post. Item, mors & natiuitas habent necessariam relationem, & consequentiã inter se, & quando finis habet necessariam connexionem, & consequentiam ad principium, finis inest principio, & ad illud refertur, vt philosophatur Iurisconsultus Paulus in l. damni infecti 18, §. Sabini ff. de damno infecto. Regnauit mors in eas Sanctissimas personas vsque ad legen Moysis, quia intra eam legem natæ sunt, & debebant mori ex motiuis supra dictis, sic pro facto habetur quod præcisè est faciendum; l. si pupillus 9. §. Qui sub conditione ff. de Nouat. Mortui quidem sunt, sed mortem moriendo destruxerunt in virtute Saluatoris.

8 Potest etiam dici, quod regnum mortis in rigorosa significatione potuit considerari ab Adam vsque ad legẽ scriptam: nam Christo moriente, ipsa mors destructa fuit, quę & si vincebat in morientibus, victa remansit in Christo, & resurgentibus. Mors genus humanum velut gregem post se trahebat, sed victa est a Christo; ipse cœpit â mortuis resurgere, spes quidem nostra in resurrectione æterna. Victoria mortis fuit temporalis, sed in Christo adepti sumus victoriam æternam, qui abstulit imperium mortis; vnde rectè dicit Apostolus, quod vsque ad legem scriptam mors regnauit, quia in fine legis nati sunt, qui spolia morti detraxerũt. Regnauit mors in Christum, & Mariam; sed cum ipsorum sanctissima corpora resurrexerunt à mortuis, euacuatum est mortis imperium, et cognouimus, quod in eis non fuit peccatum, neque similitudo præuaricationis Adæ.

9 Non probo illorum opinionem pro solutione huius dubij, qui Mariam moraliter mortuam in Passione Christi defen-

defensarunt,& sic moraliter mortuam intra legem, ex illo Simeonis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, nam vt supra dixi, hic locus alium sensum habet. Nec debemus metaphysicè rem, & verba Apostoli interpretari. Bene tamen retenta horum opinione soluebatur difficultas antecedens, sed satis responsum est numeris antecedentibus.

10 Veniamus ad secundam exceptionem prædictæ regulæ *Omnes in Adam peccauerunt*, quam etiam reliquit Apostolus in d. cap. 5. ad Romanos, dicens: *Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Hic versus est quasi sequela antecedentis: *Regnauit mors ab Adam, &c.* Et in vtroque versu limitat Apostolus propositionem illam generalem *Omnes in Adam peccauerunt*, quam ibidem præmiserat. Sunt in hoc vltimo versu, & in eo explicando multæ sententiæ, quæ pugnant inuicem, & est summus omnium labor in his adducendis in concordiam, fuit mihi olim maximus, & diu in dubio fui, donec vidi doctissimum Patrem Fr. Petrum de Simancas in tractatu speciali huius capitis, & si res sedulo perspiciatur, hic locus est litteralis, sicut ille: *Sed regnauit mors ab Adam*, & in his fundatur immunitas originalis Beatæ Mariæ à peccato originali. Faxit Deus, vt sicut ex hoc cap. 5. ad Romanos propter illa verba: *In quo omnes peccauerunt*, præiudicium generatum fuit originali Virginis puritati, ex eodem capite propter duas illas exceptiones relatas, originanali puritati restituatur. Breuiter rem explicemus.

11 Inquit ergo Apostolus, quod ad plures filios Adam peruenit gratia Christi, quàm peccatũ ipsius Adami; vel quod plures filios Adami tetigit gratia, quàm peccatum: vnde necesse est, quod ad aliquam personam extendatur gratia, ad quam non extendebatur peccatum; nam alias non posset verificari propositio Apostoli, quod ad plures extendebatur gratia, quàm peccatum. Si enim omnes, & etiam Bea-

ta Maria comprehendebantur in peccato Adami, non posset stare, quod ad plures extenderetur gratia Christi, quam peccatum Adami. Ergo dum dicit Apostolus, quod in plures abundauit gratia Christi, præcisè debet poni aliquod indiuiduum peccati expers. Sufficit enim, quod excessus verificetur in vno indiuiduo, quod si ita est, quis alius ponendus sine peccato? Sola Deipara restat, ad quam non extendebatur peccatum Adami, in qua Christi gratia abundauit. Cæteri omnes Adami filij sub peccato, & maledictione sunt.

12 Dices in textu Apostoli particulam *plures* stare positiuè, non comparatiue: *In plures abundauit*, idest, in multos; præcipuè cum origo græca in d. cap. 5. vtatur nomine *pollos*, & nomine *polus*, quæ nomina insinuant multitudinem, & in eodem cap. 5. vbi nostra Vulgata habet: *multi mortui sunt*, originale Græcum pro multis legit *Pollous*. Insuper si Apostolus loqueretur comparatiuè, non vteretur nomine *pollos*, sed comparatiuo *Pleon*. Unde versiones Siriaca, & Uatabli non habent: *In plures abundauit*, sed: *In multos abundauit*.

13 Sed quamuis posset particula illa *plures* stare positiuè, certum est in textu ad Romanos stare comparatiuè, vt accidit etiam in cap. 7. Deuteronomij, vbi *pollos* ponitur comparatiue ad alios, ibi: *Plures sunt gentes istæ, quàm ego*. Ly plures in Græco *Polloi*, â Græca voce *Pollos*, quæ æquiualet nostro *plus* latino, in quo etiam habemus vtramque significationem, positiuam multitutidinis, & comparatiuam excessus: & sic dicimus plures pro multis: plures homines hoc fecerunt, id est, multi, vt in l. item Mela 11. §. sed si plures. ff. ad leg. Aquil. Item plures pro excessu ad alios, vt cũ dicimus: aliquorum est hæc sententia, sed plures tenent contrarium. In summa quoties plus latinũ, vel pollos Græcum ponuntur aduersatiuè, nequaquam possunt accipi in sensu positiuo multitudinis, sed in sensu comparatiuo excessus:

cessus:

cessus. Quo supposito, non possumus in textu ad Romanos accipere particulam *plures* in sensu positiuo, sed debet accipi comparatiuê ad alios, quia Apostolus ibi vtitur aduersatiua *sed*, vt patet ex verbis, ibi: *Sed non sicut delictum, ita & donum, &c.* & cum dicat, quod donum, & gratia in plures abundauit, signum est quod loquitur comparatiuê in prædicta aduersatiua, alioquin non in diuersos abundaret gratia, quam introisset peccatum Adami.

14 Item quamuis in dicto capite 5. ad Romanos admitteretur particula *plures* in sensu positiuo: præcisè in sensu Apostoli erat resoluenda in comparatiuum, & verba textus rẽ ita accipiendam conuincunt, ibi: *Multo magis gratia in plures abundauit.* Do, ly *plures* in textu Apostoli poni pro multis: tunc interrogo, qualiter accipiendum sit illud positiuũ, cui præponitur comparatiuum *multo magis*? Qui dicit, gratiam multo magis in multos abundare, hoc intendit, quod in plures abundet gratia, quàm peccatum; nam cum pręponitur comparatiuum positiuo, id agitur, vt positiuum vertatur in comparatiuum, & eius naturam assumat, vt notant interpretes in d. §. sed si plures. Sequitur ergo Apostolum non positiuê locutum, sed comparatiuè.

15 Scio, aliquos interpretes accipere locum Apostoli comparatiuè, sic tamen, vt comparatio non ad homines, sed ad Angelos referatur. Dicunt enim, Angelos participasse gratiam Christi in Redemptione, vnde locum explicant: *Gratia in plures abundauit*, id est, præter homines in Angelos; & ita se præcauent à dubio. Sed certè hic sensus violentus est, & à mente Apostoli omnino alienus: Nam in præsenti illud intendit Apostolus, facere scilicet comparationem inter primum, & secundum Adam; inter multos mortuos in Adam, & plures in Christo viuificatos, vt ibi: *Sed non sicut delictum*, & cum addit: *Multi mortui sunt*, de primo Adamo loquitur, in quo multi mortui sunt: & iterum cum dicit: *Gratia in plures abundauit*, de illis met hominibus loquitur

tur, & ad illos dirigit comparationem, non ad Angelos, de quibus non loquebatur, & ex diuersis non fit illatio. l. Papinianus. ff. de Minor. Neque Apostolus eo loco homines inuitaret ad gratiam Christi, ne deficerent propter peccatum Adæ, si excessum gratiæ non in hominibus, sed in Angelis collocaret. Sequitur ergo, quod particula illa *plures* sit comparatiuè in textu, & ad multos numero homines comparatiuè extendatur; & quod Adami peccatum ita ad posteros descendat, vt in eis non comprehendatur Beata Maria, in qua gratia Christi magis abundauit; sic fit, vt in plures personas abundet hæc gratia Christi, quàm peccatum Adami.

16 Non sunt tolerandi hi, qui verba Apostoli comparatiuè accipiunt; sed non vt fiat comparatio ad personas, sed ad effectus. Dicunt enim, quod gratia Christi abũdauit in plures, id est, in plures, & maiores effectus, & prærogatiuas, quàm peccatum Adami in ruinam. Sed certè hic modus interpretandi, præter quàm alienus sit ab omni veritate, repugnat manifestè verbis, & grammaticæ illius textus, & menti Apostoli, qui facit comparationem inter multos mortuos in Adam, & plures in Christo, & per Christum viuificatos: & Apostolus ibi commendat, ac ostendit maiorem efficaciam gratiæ Christi, quam peccati & præuaricationis Adami, cum gratia illa etiam ad Deiparam extendatur, ad quam non descendit peccatum Adæ. Sic manet firma mens Apostoli pro immunitate Conceptionis Beatæ Mariæ.

Caput Septimum.

PROPONVNTVR DVO FVNDAMENta ex Canticis pro Immaculata Conceptione Virginis.

1 IN cap. 7. Canticor. dicit ſponſus ſponſæ: *Odor oris tui ſicut malorum*, cui reſpondet ſpõſa: *In portis noſtris omnia poma noua, & vetera ſeruaui tibi dilecte mi.* Proſequitur ſponſus in cap. 8. in principio: *Sub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt Mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Magna hîc inuenitur palæſtra inter ſponſum, & ſponſam circa poma, & mala in oris odore; ſcilicet, an ſponſa â pomo vetito eſſet aliena, vel eſſet eo pomo coinquinata? An pomũ à primo parente morſum guſtaſſe intelligatur, & illius amaritudinem fuerit experta? Dixit ſponſus; *Odor oris tui ſicut malorum.* Eſt quidem pulchrum decoramentum, ſed ſe præcauet ſponſa, ne dum odor malorũ in ore ipſius commẽdetur, exiſtimatione hominum credatur in pomis Adam ipſam comprehendi; & ad excludendam hanc opinionem, reſpondet: *In portis noſtris omnia poma noua & vetera ſeruaui tibi.* Nil in Mariæ ore, quæ eſt ſponſa, inuenitur, quod vetiti pomi ſapiat amaritudinem; â pomo illo noxio libera, & immunis præſeruatur, & portarum ſuarũ fideliſſima cuſtos in præſenti proponitur, ne illam mors communis in pomis Adam ingrediatur.

2 Multa & præclara de ſponſa, in hoc capite ſponſus prælibauit, & magna præconia pulchritudinis eius declamauit, vt patet ibi: *Quam puchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis! vmbilicus tuus crater tornatilis, venter tuus*

ſicut acervus tritici vallatus lilijs. Duo vbera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ. Collum tuum ſicut turris eburnea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon. Naſus tuus ſicut turris Libani, caput tuum vt Carmelus, & comæ capitis tui ſicut purpura Regis vincta canalibus. Addit & alia præclariſſima decoramenta in fauorem ſponſę, ac tandem concludit: *Odor oris tui ſicut malorum.* Illud mirabile, quod in hoc loco Canticorum, ſponſa acquieſcat omnibus præconijs ſuæ pulchritudinis, ſed ad odorem pomi, & mali in ore, ſe ſiſtit, & reſpondet: *In portis meis omnia mala noua, & vetera ſeruaui*, quaſi dicat: odor oris mei non eſt malorũ; nam pomum & malum, in quo peccauit Adam, manſerunt in portis, mãſerunt foris; in portis, ideſt, in ingreſſu conceptionis meæ. Porta, qua rerum naturam ingredimur, conceptio eſt. Cęteris filijs Adam eſt odor malorum in ore; ſed Beatæ Mariæ non eſt odor malorum in ore, neque odor ille intrauit per portas, quando fuit cõcepta; imo pomum illud, & malum in fauorem ſponſi remanſit foris; vnde dicit: *ſeruaui tibi*, quia ſic expediebat honori tuo; nam cum tu ſponſe, et fili mi habitaturus eſſes intra viſcera & clauſtra mea, non debuit fætido pomi illius odore tabernaculum tuum foedari; vnde in portis noſtris manſerunt poma tibi ſeruata, id eſt, ad honorem tuum, quia non debebas procedere de thalamo infecto odore noxij pomi.

5 Hoc nomen *malum* analogum eſt, et aliquando in bona accipitur parte; aliquando trahitur ad peccatum originale, et in hoc ſenſu ſi acciperetur à contrarijs locus iſte Canticorum, non leue vibrarent telum in puriſsimam Virginis Conceptionem; et vt huic malo occurrit ſponſus, et ne in opinione hominum verba retorquerentur in Matrem, ſtatim initio capitis octaui Canticorum ad ſponſam loquitur ſponſus: *Sub arbore malo ſuſcitaui te; ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua*, quibus verbis ſponſus oſtendit, ſponſam ſuam non fuiſſe deiectam, et lapſam ſub arbore

arbore malo, subdens, quod vbi mater Virginis Eua; et genitrix Anna ceciderunt, et violatæ sunt, ipsa Virgo non cecidit, vel quod eleuata fuit, ne caderet; et licet per naturam numeretur in propagine lapsa, per gratiam eleuata fuit. Gratia sponsi tenuit eam, nam vt ibidem dicitur: *Læua eius sub capite meo*. In illa indignatione, quæ in Adam, et semen eius inualescebat, gratia potior fuit, et suscitauit eam, ne maledicto teneretur. Verbum *suscitare* nõ tantum restituit lapsum, sed retinet labendum, et multoties ponitur pro sublimare, stabilire, repræsentare, vt Deuter. 18. *Prophetam suscitabit vobis Deus*, et Ierem. 33. *Suscitabo verbum bonum*, et Psalm. 77. *Suscitauit testimonium in Iacob*, et Ezech. 16. *Suscitabo tibi pactum sempiternum*, et in hoc cap. 8. septuaginta legunt: *Excongregata, separata est sub arbore malo*. Gustent de illo pomo Adami posteri eius; longè sit præuaricationis malum à Deipara.

4 Ex dictis explicatur locus Euangelij: *Non surrexit maior Ioanne Baptista*, qui debet intelligi de lapsis sub arbore; sic manet extra Beata Maria, de qua dictum erat in Canticis: *Sub arbore malo suscitaui te*. Stabat enim sub illa arbore, in qua præuaricatum est, sicut etiam stabat iuxta arborem Redemptionis Filij, quæ erat reparatio prioris arboris & ruinæ; sic comparatio illa: *Non surrexit maior Ioanne Baptista*, procedit in lapsis & prostratis. Maturè hoc percaluit noster Iurisconsultus Don Ferdinandus de Oxeda in titulo de consecrat. dist. 4. disp. 2. explicans textum in cap. Firmissimè, ibi: *Cum Beata Virgo maior fuerit omnibus Apostolis, vt colligitur ex capitulo Noua de pœnit. & remission. & ipso etiam Ioanne Baptista, vt ad natos mulierum prædicta referatur authoritas, qui in peccato ceciderunt consequens est, & colligitur ex eo quod dixit: surrexit, quod est de lapsis*; & post pauca: *Beata Virgo Maria non cecidit, & ita ad eam comparatio non refertur*. Deipara sola mãsit erecta sub arbore prævaricationis, nõ gustauit poma noua

suæ

suæ matris, nec antiqua prioris matris Euæ, omnia poma reliquit extra; ipsa sola mansit in deserto, nec intrauit in viam communem peccati, ideo in d. cap. 8. Cantic. dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto.* Cęteri omnes quasi oues errauimus in primo Patre, vt Psalm. 13. *Omnes declinauerunt, &c.* Sed Beata Maria mansit sola, mansit in solitudine, mãsit in via iustitię originalis, vt ipsa de se dicit Ecclesiast. 24. vers. 25. *In me omnis gratia viæ & veritatis;* vbi adest omnis gratia, nullus inest virtutis defectus, nec puritas Angelorum deficit. Ipsa in ore sanctorũ est vas nouum sine alicuius vetustate peccati, sic decebat, vt portaret Deum. Ipsa mansit in via Dei.

5 Succedat alius textus Canticor. Dicitur enim cap. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt Reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Omnia hæc verba, à principio ad finem prædicant Beatã Mariam, & immunitatem eius à peccato originali, vt ex hoc loco tenet communis sententia Patrum, vti explicat Ambrosius Catherinus lib. 3. de Immac. Conc. fol. 85. & Martinus del Rio select. 2. Indicat ergo hic locus, quod in Ecclesia sunt multi & præexcelsi sancti, multæ animæ beatæ, aliæ sicut reginæ, aliæ sicut concubinæ diuini Salomonis. Animę beatę dicuntur sponsę Christi, Apoc. 19. Et Ecclesia significatur numero sexagenario, iuxta illud: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes, &c.* Utitur in d. cap. 6. metaphora, & parabola Reginarum, & concubinarum, vt explicet maiores, & minores sanctos. Numerus enim octogenarius, & sexagenarius, cum octo, vel sex decadas vterque complectatur, multitudinis significationem insinuat. Et filas Sion pro Ecclesia accipit D. Greg. quæ dum vitam

æternam in carne contemplantur à peregrinante Ecclesiã ad regnantem eriguntur.

6 Progreditur textus: *Sed adolescentularum non est numerus.* Hoc est, in Ecclesia præter sanctos sunt alij etiam perfecti, & Catholici, quorum non est numerus. Quid ergo ex præmissis infert? Illud videlicet, quod ex omnibus Reginis, concubinis, adolescentulis, vna sola est perfecta in gradu excellentiæ, sola adæquatè perfecta. Hæc est Beata Maria; in cæteris sanctis fuit aliquando macula; in Beata Maria nunquam fuit macula, vt ibidem prædixerat: *Tota pulchra es, & macula non est in te*, & alibi: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Omnes habemus spinis peccati originalis; sed in hoc distat Deipara à cæteris, quod lilium ab spinis. Et sicut filius dicitur flos campi, & lilium conuallium; ità & mater dicitur lilium inter spinas. Ex illo pretiosissimo, & candidissimo lilio conuallium, sancta Deigenitrix fragrat, vt eadem lilium esse dicatur. Sanè ex spinis & inter spinas rosa, sine spinarum aculeo communi vsu nascitur. Dicamus ergo, Virginem solemni partu editam potuisse nascendo paternæ spinas maledictionis nescire, vt dicemus infra. Maria sola perfecta, sola benedicta adæquatè, benedicta in radice inter sponsas Agni, & ita eam beatissimam prędicant omnes animæ beatæ in d. cap. 6.

7 Igitur animæ beatæ rapiuntur in admirationem pulchritudinis Beatę Mariæ, & publicauerunt eam filiam gratiæ supra naturam: *Prædicauerunt eam vnicam matri suæ electam genitrici suæ*, id est, vnicam filiam gratiæ, vnicam filiã Dei. Prædicauerunt eam vnicam sine exemplo, sic addunt. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Recta quidem illatio ex antecedentibus. Nam præmisserant, quod Maria sola vnica, sola perfecta sola beata inter filios Adam, sola miraculum, tota prodigium, tota cœlestis sicut Sol, & Luna; ita est, cui ergo cõ-

parabimus eam? an terrę? an hominibus? an floribus? Imo cum Sole, Luna, & aurora commercium eius. Simulque affirmant, Mariam diabolo fuisse arcem armatam, ordinatã aciem, ita vt nullo vnquam modo posset rumpi ab inimico debellante, ad similitudinem ordinati exercitus, nam cũ acies bene ordinatur in prælio, tunc non patet inimici incursibus. Et Dominus custodiuit introitum, & exitum eius: *Nõ confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.* Portæ indicant introitum, & exitum animæ, & in his portis, tanquam acies ordinata non potuit confundi ab inimico.

8 Illud examinare oportet, quare Ecclesia vnam solam benedictam, & beatam prædicet Deiparam: *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt.* Hæc verba manifestè indicant Beatam Mariam, et de ipsa intelligendum locũ Cãticorum, nam eisdem verbis vtitur Deipara apud Sanctum Lucam cap. 1. *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, et eamdem beatitudinem in Virgine commẽdat Elisabeth ibidem: *Beata, quæ credidisti quoniam in te perficientur, &c.* Fuit enim beata et beatissima Deipara omni tempore, idq; Domina post salutationem Elisabeth decantat: *Magnificat anima mea Dominum*, & iterum: *Quia fecit mihi magna*, magna scilicet beneficia ab omnipotentiæ plenitudine, in quo accepit omnem beatitudinem, et benedictionem, ita explicat illustris Dominicanus Episcopus Fr. Franciscus de la Cruz in tract. de Cõcept. sect. 1. § 4. n. 26. ibi *Ait enim quia fecit mihi magna qui potens est. Agebat enim de omnipotentiæ mirabili Incarnationis opere secundum supremum, ad quod vltra pregredi non potest factum, Deum scilicet fieri hominem, in qua consideratione inquit, magna fecisse sibi omnipotentem, quibus maiora non possunt fieri. Cum autem Elisabeth duo collaudet, benedictam esse inter mulieres, & benedictum fructum eius, & per benedictam esse, intelligatur gratiæ plenitude, quæ deputat à peccatos & per benedictum fructum, vt ad Virginem refertur, dignitas matris: vtrumque tanta sublimitatis*

tatis affirmare ex Virginis verbis debemus, vt aliud maius nequeat intelligi. Et post pauca: *Ergo magna hæc, quæ Elisabeth verbis correspondent, & Virgini sunt facta, non est præter Deum aliquid, quo possint esse inferiora, nec omnipotentiæ in creaturis maior demonstratio possibilis. Ergo benedictio Virginis suprema fuit, sicut & dignitas Matris. Ergo per benedictionem donum collatum gratiæ, quod subiectum ab omni culpa purum expostulasse est fatendum.*

9 Rursus corroboratur antecedens assertum ex verbis Gabrielis Archangeli apud Lucam 1. vers. 18. *Benedicta tu in mulieribus*, in quibus explicat, Deiparam esse benedictam, vnicã, & beatã inter generationes, quãdo in Adam omnes maledicebantur: ipsa immunis in præsenti à macula & maledictione seruatur, quando omnes in Eua, & Adã maledicebantur; vt dicit B. Ildefons. lib. de laudib. Deigen. tom. 7. Biblioth. Patr. Colon. Agrip. 1622. & D. Hieron *Quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio Mariæ*, & Albert. Magnus super missus est: *Eua viro suo occasio perditionis. Maria Christo filio suo adiutoriũ Redẽptionis. Illa damnauit: ista saluauit: Illa principium mortalitatis; ista principiũ vitalis generationis. Mors per fœminam, & vita per fœminã.* Pulchrè idem Dominicanus Cruz vbi supra n. 23. *Nec omnes mulieres aliquo alio in tempore, quam in maledictione illa prima, de qua loquebatur, extiterunt maledictæ, cum semper in personis plures fuerint sanctæ; nec cum proprietate sermonis potest dici in mulieribus (suppositione facta pro omnibus) nisi accipiantur simul cum illa; & tantum in Heua omnes fuerunt simul, vt in parente maledictæ pœnali maledictione ob Parentis culpam, præter Beatam Mariam.* Nec dubito quin benedictio hæc Angelica, quæ correspondet loco Canticorum, ad exclusionem maledictionis primæ processerit; nã in illis verbis: *Benedicta tu in mulieribus*, ostenditur exclusa maledictio primæ sententiæ; cum enim deputaretur ab æterno Mater Dei, debuit tunc benedicta iudicari, idque

non

non obſcurè oſtendit ipſa Gabrielis ſalutatio: nam eam prædicat gratia plenam, deinde auget: *ecce concipies*, quo ordine oſtendit, plenitudinem benedictionis à maternitate promanare, & in illa plenitudine beatitudinem radicatam; ſic nil mirum, quod animæ Beatæ in cap. 6. Cantic. eam vnicam, & beatam prædicent.

10 Item hæc benedictio Angelica ad originalem iuſtitiam dirigitur, & excluſionem primę iræ: nam Angelus pariformiter matris benedictionem, & benedictionem fructus determinat: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*, id eſt, benedicta es eâdem benedictione, qua benedictus eſt fructus tuus. Particula & cũ ponitur copulatiuè circa eadem, debet ęqualiter terminare propoſitionem. l. cum de lanionis 18. ibi: *In idem genus rediguntur, ac deinceps in infinitum, primis quibuſque proxima copulata procedunt.* ff. de fundo inſtruct. Iaſon. volum. 2. conſ. 228. à n. 12. *De natura copulæ eſt, reducere copulata ad vniformem intellectum ſine aliquo diſcrimine, vel inæqualitate.* Et idem Dominicanus D. Fr. Franciſcus de la Cruz vbi ſupra n. 26 *Benedicta, ſcilicet, benedictione, qua benedictus fructus, nam repetitio eiuſdem vocis, media copulatiua coniunctione, idem ſignificare oportet. At benedictio, in qua conuenire poteſt filius cum matre in quantum eſt fructus ventris illius, tantum eſt immunitas ab originali, in plenitudine gratiæ, in ſuo concipi: nam fructus dicitur benedictus ſecundum primum ſui eſſe; ſi enim in hoc fuiſſet maledictus aliquo tempore, non diceretur abſolutè benedictus, cum aliquid maledictionis ſit, maledictum fuiſſe; quod maxime de fructu verificatur, quia fructus eſt talis per primum ſui eße, ergo de hoc verificatur, benedictum eſſe, & conſequenter de matre.*

11 His addi poteſt, quod hæc æqualitas benedictionis inter matrem, & filium, reſpicit radicem vtriuſque; in matre tãquam in arbore, & virga; in filio tanquam in fructu, & ſemine in quantum homo eſt, & Virginis filius; ita vt prius

fit

ſit pura, et immaculata radix, vt ab ea radicali puritate egrediatur Chriſtus fructus, vt in Eſaia 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*. Non enim ex infecta radice germen naſcitur purum, nec fructus benedictus. Beata Virgo eſt virga benedicta, ex qua egreditur flos ſalutis Chriſtus; vnde recte filij Eccleſiæ in cap. 6. Cãticor. et Angelus Grabriel, et Eliſabeth Lucæ 1. prędicant Deiparam beatam, et benedictam inter omnes. Recte benedicta, et beata dicitur inter omnes, de qua Ildefonſus intelligit locum illum Prouerbiorum: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſuperegreſſa es vniuerſas*. Et S. Gregor. Thaumat. ſerm. 1. de Annuntiat. *Conuenienter Sanctã Mariam ex omnibus generationibus ſolam gratia inuenit, nec ſimilis ei ex vniuerſis generationibus, vlla vnquam eſt reperta.*

§ 2 Proxima eſt benedictioni filiorum Eccleſiæ, eiuſdem Gabrielis ſalutatio: *Aue gratia plena*, Lucæ 1. Hæc plenitudo gratiæ commendat originalem iuſtitiam in Beata Maria; nam ſi non fuit hæc plenitudo gratię in Deipara ab inſtanti primo ſuæ conceptionis, non diceretur gratia plena, nam eſſet illa plenitudo vacua ex parte. Quod enim plenũ eſt, nullo tempore, vel parte vacuum inueniri poteſt, & ſi aliquid gratiæ defuit, non diceretur plenè gratioſa; vbi aliquid deeſt, non dicitur plenum, cap. per venerabilem, qui filij ſint leg. cap. Bene quidẽ 96. diſt. cap. ſi omnia 6. q. 1. Textus in tit. de pace Conſtant. in principio, ibi: *Ad plenitudinem gratiæ*, vbi Baldus. Plenum dicitur, quod omnes partes, & terminos completos habet, vt in cap. Apoſtolicæ §. Illud, verbo *pleno iure*. C. de ſecund. nupt. Eleganter Baldus conſ. 293. num. 3. volum. 4. ibi: *Plenum dicitur, cui nihil poteſt addi, & à quo nihil poteſt minui; vnde quando facultas conceditur pleno iure, intelligitur integrè, & ſine diminutione*. Plenitudo dicit perſeuerantiam, & principium à tunc in nunc; & deſtructo termino à quo, tota plenitudo deſtruitur, quia vt ſit plenum, ex integro debet eſſe com-

ple-

pletum. & absolutum. l. si arborem. ff. de seruit. vrban. prædior. Et sicut dicit Surdus cons. 515. plenitudo non patitur diminutionem, aut restrictionem: nescit enim plenitudo defectum, cap. bene 96. dist. Et his rationibus sacri Doctores Augustin. & Gregor. per hanc Angelicam salutationẽ, Virgini concedunt originalem gratiam, & iustificationem, ille serm. 1. de Natiu. Virg. ibi: *Quomodo gratia plena, nisi quia totaliter euacuata fuit à culpa? Quomodo benedicta in mulieribus, nisi quia maledictio Euæ in benedictionem mutatur Mariæ?* Hic in serm. de Annuntiat. ibi: *Neque fuit gratia plena, si aliquando illa caruit in originali, neque sola benedicta, si originale habuit.* Et S. Thesiph. in lib. reperto in Monte Granat. *Nequaquam Angelus Virgini diceret: Aue gratia plena, si in originali peccato fuisset concepta.* Est de fide, quod Deipara dicitur gratia plena, quomodo illi possumus denegare gratiam in primo instanti suæ Cõceptionis? Ipsa Domina reuelauit S. Briggitæ lib. 1. cap. 9. quod quando suo sacratissimo corpori anima iuncta fuit, habuit tantam lætitiam, quod impossibile sit affatu. S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 17. §. 1. addit, quod in Conceptione, vel in partu datum est B. Mariæ, vt videret Deum, circa quod videndus S. Sofronius in epistola ad Paulã, & filiam, & Petrus Comestor per hęc verba: *In Maria plus viguit gratia, quàm natura. Audio ab Angelo plenam gratiæ, non inuenio plenam naturæ, plenior fuit gratia, quam natura.*

13 Nescio an quisquam adnotauerit, quod in salutatione Angelica non designetur tempus, præsens, præteritum, vel futurum. Quid est ergo, quod sine præfinitione tẽporis, & plena gratiæ, & benedicta inter mulieres, & â Deo possessa Deipara proponatur, sicut etiam fructus eius Iesus proponitur benedictus sine temporis præfinitione? Dicimus enim *in Aue Maria* sequentia: *Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS.* Sunt quatuor in præsenti grammaticales o-

rationes, & in nulla verbum apponitur. Cur ita? Voluit enim significare, quod omni tempore fuit in Virgine plenitudo gratiæ: quod fuit semper benedicta, sicut possessa semper à Deo: & quod sicut filius eius fuit, est, & erit semper benedictus, & gratia plenus, ita & mater, arbor illius fructus, & virga illius floris, semper benedicta, & gratia plena prædicetur. Hinc est, quod ego salutationem Hispano sermone ita pronuntiē iuxta orationem latinam: *Dios te salue Maria, llena de gracia: el Señor contigo, bendita entre las mugeres, y bendito el fruto de tu vientre Iesus. Santa Maria Virgen, y Madre de Dios, ruega por nosotros pecadores agora, y en la hora de nuestra muerte, Amen.* Et rectè in græco legitur: *Cecharitomene*, id est, quæ semper fuit gratiosa, à verbo *Charitoo*. Ve infra cap. finali n. 11. ad fin.

14 Videamus nunc, qua ratione in cap. 6. Cantic. Deipara comparetur Auroræ? Existimo, & sine vlla hæsitatione, quod puritas originalis Virginis in præsenti designetur, iuxta illud: *Adiuuauit eam Dominus mane diluculo*. Est Aurora, lucis præambulum, & nulla res magis explicat oppositionem cum peccato originali, quam consurgens Aurora. Maledixit Iob nocti conceptionis suæ, & maledixit diei natiuitatis, cap. 3. *Pereat dies in qua natus sum & nox in qua dictum est, conceptus est homo*. Conceptionem appellat noctem, & natiuitatem vocat diem, & clamat in d. cap. 3. *Noctem illam tenebrosus turbo possideat*, & paulo infra: *Sit nox illa solitaria, nec laude digna*, & post pauca: *Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ*. Vides, qualiter obijciat surgentem Auroram conceptioni hominum, quia concipimur in tenebris peccati. Conceptio nostra nihil commune habet cum Aurora, quæ est lucis præambulum. Sed la Deipara est Aurora consurgens mane diluculo, vt dicunt animæ beatæ; quod etiam dicit Rupertus, & D. Bernardus serm. de Natiuit. Virg. D. Bonau. in spec. lect. 7. D. Bernard. tom. 2. serm. 51. & Petr. Dam. serm. de Assumpt.

Auro-

Aurora à lumine incipit, et semper in lumine crescit, et nunquam lumine priuatur, sicut dicit Ambrosius: *Aurora lux est, tenebras quasuis exterminans, semper crescens ad perfectionem*: ita fit in B. Maria, quæ incipiens in Conceptione sua à lumine diuinę gratiæ, nullis peccatorum tenebris fuit obscurata, sed semper in virtutum omnium claritate succrescens, cum Sole filio suo in cœlisti gloria in æternum coniungitur, & fœderatur. Cur autem comparatur Beata Virgo Soli, & Lunæ, postea videbimus cap. sequenti.

15 His quæ diximus de Aurora adiungamus aliud mirabile pro pura Virginis Conceptione ex cap. 11. Apoc. ibi: *Apertum est templum Dei in cœlo, & visa est arca.* Dubitabit quis de templo, quod est in cœlo, nam Apocal. 21. dicitur, quod in cœlo non est templum: *Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus templum illius est, & Agnus.* Dicamus ergo, quod Christus Dominus est templum hoc, iuxta illud: *Soluite templum hoc.* In hoc templo abscondita est arca Maria, vt Psalm. 26. vers. 5. *Protexit me in abscondito tabernaculi.* Per arcam significari Beatam Mariam, iam dixi supra, quod etiam confirmatur Psalm. 131. *Surge Domine in requiem tuam tu, & arca sanctificationis tuæ.* Ex quo dicit arcam sanctificationis, omnem maculam ab arca repulsat. Non enim dabit sanctum suum videre corruptionem. Alij in hoc Psalmo 131. ex Hebræo legunt: *Tu & arca fortitudinis tuæ*, ita commendant virtutem vincendi in Maria, & fortitudinem conterendi inimicum. Utramque lecturam conciliat D. Chrysostomus: *Vtraque lectura vera est, quæ enim erant ei impositæ litteræ, erant & sanctitatis effectrices, & roboris.*

16 Quid ergo legimus de arca? Illud scilicet, quod in se continebat & includebat manna; ita & Deipara est arca Christi veri manna. Quid amplius de illa arca legimus? Quod erat fabricata ex lignis incorruptibilibus, item ex auro intus, & foris. An minus ornata & pura erit arca

noui

noui testamenti? Num aliquando corruptibilis & maculata proponi debet? Absit, absit macula à Beata Maria, arca legis gratiæ. Quid item legimus de Arca veteri? Illud, quod simulachra deijciebat, & dæmones deturbabat. Dicemus minora de Deipara? Imo & maiora, quantum potes, tantum auge, quantum vales, tantum adde; maior est ista Virgo; omni dicto excellentior, & superior est. Absit, quod nostra Arca aliquando fuerit maculata, præcipuè cum D. Ioannes eam viderit in templo Dei, sanctitudo & puritas decent domum Dei, & dum mysterium hoc puritatis Virgineæ non declarauerit nostra Mater Ecclesia, potest dici, quod clausum est templum. Tunc aperietur, & ab omnibus arca videbitur, quando Beatissima Virgo declaretur sine macula. Memento, quod in diluuio vniuersali omnia perierunt; sed Arca vim diluuij euasit, & intra se liberauit aliquos. Sic in diluuio vniuersali peccati originalis, Arca sanctificationis Maria, diluuij originalis aquas superauit, cuius precibus ad securitatem perueniemus.

17 Dicamus etiam, quod diabolus nunquam potuit habere possessionem per peccatum originale in hac Arca, sicut nõ potuit habere possessionem, neque partem in tabernaculo Dei. Item neque in cœlo, postquam Lucifer deiectus est, potuit habere locum, vt dicitur in cap. 12. Apoc. Si in cœlo non potuit habere locum Lucifer, multo minus in tabernaculo, et Arca cœli, dicente Propheta in Psalm. 90. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Sed ad declarationem huius mysterij, vt dicitur in d. cap. 11. Apoc. necessarium fuit, quod præcederẽt voces, fulgura, terremotus, ibi: *Visa est arca in templo eius, & facta sunt fulgura, voces, & terremotus*, quæ omnia intelligenda sunt metaphoricè secundum stylum prophetiæ. Facta sunt fulgura, voces, et terremotus ad aperiendam, et manifestandam arcam: hoc est, disputationes magnæ, contrarietates, quæ debent præcedere ad manifestandum hoc mysterium.

Tan-

18 Tandem ſciendum eſt, quod hęc arca repreſentat mulierem illam, quæ apparuit amicta ſole in cap. 12. Apoc. nam in cap. vndecimo in fine, poſtquam dixit, quod viſa eſt arca, proſequitur prophetia, & in capite 12. in principio hæc dicit: *Et ſignum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole.* Coniungit hanc mulierem cum arca, & in originali Græco vtitur prophetia verbo *Ophte* tam in viſione arcæ, quàm mulieris, & interpres latinus diuerſimodè verbum illud verſat in vtroque capite, nam in capite 11. ly *ophte*, verſat: *viſa eſt*; & in capite 12. vbi etiam in græca origine ponitur idem verbum *ophte*, verſat pro apparere: *Apparuit.* Græcum verbum deriuatur à verbo *opheim* per ò mega, vel à verbo *opto*, vel à verbo *optomai*, quod eſt videor, vel compareo. Verbum autem *opheim*, & verbum *optomai*, idem eſt gręcê, quod verbum *eidomai* deponens, & verbum *eidomai*, latinè *videor.* Deſignat autem huiuſmodi reciprocatio in arca, & in muliere, cum identitate verbi, eãdem rem agi in arca, et in muliere amicta Sole, cũque Deipara contineatur ſub hac muliere amicta Sole, vt conſtabit ex dicendis in capite ſequenti, bene ſequitur, quod in prophetia Sancti Ioannis Arca ponitur pro Beata Maria, præcipuè, cum vtraque viſio appareat in cœlo.

Caput Octavum.

EXPLICATVR TEXTVS IN CAP. 12. Apoc. pro Conceptione.



OLIM exiſtimaui ſub hac muliere amicta Sole Eccleſiam adumbrari, ſic ſcripſi in prima mea explicatione Apocalypſis. Sed non repugnat, eumdem locum, et imaginem admittere duos ſenſus litterales; nunc vero perpen-

ſis huius imaginis ſymbolis, & characteribus, quibus depingitur in hoc capite, potius in hac muliere Deiparam ſignificari in ſua Conceptione contendo. Sunt pro hac ſententia præclariſſimi Doctores, inter quos numerantur D. Auguſtinus lib. 4. de ſymb. ad cathec. cap. 1. D. Bernardus ſerm. ſignum magn. D. Ambroſius, & alij apud Tirinum in hoc cap. 12. verſ. 1. Hinc eſt, vt conſuetudine totius Eccleſiæ, amictus huius mulieris Conceptioni ſanctæ Virginis applicetur, & in conceptæ Virginis ſimulacris, & picturis apponatur; voluntque ſacri Pontifices ita fieri, vt largitiones ſpirituales in huius myſterij gratiam fideles conſequãtur, quæ conceſſæ ſunt imaginibus huius amictus.

2 Diximus in capite antecedenti ſub Arca comprehendi Deiparam, & eamdem rem agi in Arca, & in muliere amicta Sole. Hoc confirmat prophetia in præſenti, dicens: *Signum magnum apparuit in cælo*, ſignum magnum, id eſt, illud, de quo dixerat capite antecedenti in fine, vbi viſa fuit Arca. Quid ſit in præſenti *ſignum*, controuerſum eſt per Doctores, qui ſe pungunt ſuis acuminibus. In originali Græco pro ſigno eſt *ſemiom*, quod non eſt ſignum vtcumque, ſed ſignum, quod eſt nota vel veſtigium, vt ſenſus ſit, quod in illa arca manifeſtauerit Deus Deiparam, & recapitulauerit in hac muliere omnia arcana, & myſteria ab initio: item primum caſum Luciferi ex inuidia promanantem, electa hac muliere ad Incarnationem Verbi. Proprius autem nomen *ſemiom* ponitur pro ſigno, ſiue miraculo, & ſic debet accipi in præſenti. Signum magnum, id eſt, prodigiũ, miraculum. Perbellè hoc ſignum explicat Beatam Virginem, quæ ſigni, & miraculi nomine compellatur, vt Eſai. 7. verſ. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, & ſignum ponitur pro miraculo, iuxta illud: *Gens praua ſignum quærit*; & quale miraculũ maius, quam in fœminam hanc ſuper fęminas benedictã, claritates omnes aſtrorum concurrere, tam eorum, quæ

præsunt diei, quam nocti? Rectè enim dictum *signum magnum* ad Deiparam explicandam, in qua non sunt naturæ leges scrupulosius investigandæ. Supra naturam concepta est, & nata, educata, mortua, & exaltata, quia ipsa tanquam signum magnum naturæ reputatur. Potest etiam sub signo magno comprehendi Deigenitrix, quia magnam, & liberam hanc Virginem constituit Altissimus. Magnum enim & maximum significant rem liberam, & ab omni seruitute alienam, vt explicat Celsus Iurisconsultus in l. cum venderes 59. ff. de contrah. empt. *Cum venderes fundum non dixisti, ita vt optimus, maximusque est: Verum est, quod Quinto Mucio placebat, non liberum præstari*, & in l. quod ad seruitutes 75. ff. de euict. ibi: *Nisi vt optimus, maximusque esset, traditus fuerit fundus; tunc enim liberum ab omni seruitute præstandū.* Signum itaque magnum est sancta Deigenitrix, quia ab omni seruitute libera, quia semper Domina, & nunquam ancilla, nisi solius Dei.

3 Pergamus referando mysteria huius imaginis, siue mulieris amictæ sole, et videamus quo in loco apparuit hoc signum magnum? Dicit prophetia, quod apparuit in cœlo: *Signum magnū apparuit in cœlo.* Quare in cœlo? Illa est ratio, quia Beata Virgo inter creaturas cœli computatur, sicut dictum est supra in apertura primi sigilli: locus Serenissimæ, cœlum est, vt dicitur in hoc capite, ibi: *Vt volaret in desertum, in locum suum*, et non solū locus Deiparę est cœlū, imo & ipsa cœlum animatum dicitur, ad Corint. 1. vers. 45. *Factus est primus homo Adam in animā viuentē, nouissimus Adā in animam viuificantem*, et inferius: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*, hoc loco intelligit Apostolus cœlum pro B. Maria, de qua incarnatus est nouissimus Adā. De cęlo hoc Maria factus est cęlestis, vt ad Galat 4. *factum ex muliere*, neque vt Deus factus est, neq. vt homo factus est de cœlo, nisi vt intelligamus cœlū pro sacra Virgine, et in hoc sensu accipit Concilium Francfordiense

verba Apostoli. Audi verba Concilij: *An Adā primus humani generis Pater, qui de terra virgine creatus est, liber esset conditus, siue seruus? Si seruus: quomodo tunc imago Dei? Si liber: quare & Christus quoque non ingenuus de Virgine, meliore quidem terra etiam animata & immaculata, Spiritu sancto cooperante, factus est homo? Dicente Apostolo, factus est primus homo de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis.* Clarè concilium, Virginem cœlum appellat, quod & obseruat Pater Eusebius de omnim. Deip. pur. cap. 8. fol. 75. *Vocauit cœlum synodus carnem sanctissimæ Mariæ ob eximiā puritatem suam, & perpetuam Dei habitationem in illa,* & inferius: *Idcirco notauit synodus, Christum cœlestem hominem de cœlo, id est, de purissima, & nunquā maculata Matre.* Quod etiam insinuat textus in cap. corporeum. de consecrat. dist. 2. ibi: *Perfectus autem panis de cœlo, corpus est ex Virgine natum,* & in Extrauaganti vnigenitus de pœnit. Et sacra Virgo cœlum ipsum appellata est â D. Epiphanio de laud. Virg. *Anna vero grauida effecta, cœlum & thronum Cherubicū peperit, iuxta illud Psalm. Dominus in cœlum parauit sedem suam:* & P. Fr. Benito de la Serna in Triumph. Mar. 2. p. 5. 13. affert alium locum S. Epiph. vt comprobet esse cœlum animatū, imo & perfectius cœlū, quia quē cœli capere nō poterant, hoc cœlum animatum in se cōtulit, et clausit. Et quamquam non essent tam præclara veritatis testimonia, sufficeret vnus Diuus Bonau. cap. 10. Ecclesiast. qui aperto ore Serenissimam cœlum compellauit, & ideo apparuit in cœlo in præsenti; imo & prophetia docet, esse cœlū perfectius materiali: nam hoc astra, Sol & Luna constituunt: Maria vestita est Sole, Luna & astris, et vt ait Ecclesia, ipsa excelsa est super sydera; ideo apparet in loco suo, in cœlo. Alij locum suum habent in inferno, vt de proditore legimus in Actib. Apost. 1. vers. 25. *Vt abiret in locum suum;* et damnati eumdem locum habent, locum scilicet tormentorum, vt dicebat diues ille auarus. At Beatissima Virgo semper

per habuit per gratiam locum in cœlo, locum in primo sigillo albo, vt diximus in eius explicatione, et factus est in pace locus eius, ipsa pulchra vt Ierusalem, in ea habet dominatum suum, & locum suum.

4 Ne autem sit in dubio, quod signum hoc cœleste explicet B. Mariam, addit prophetia *mulier*, legamus omnia iuncta: *Signum magnum apparuit in cœlo mulier*. Ipsa est mulier per antonomasiam. Nomen hoc *mulier* euidentius explicat Sanctissimam Mariam. Fecit Dominus primos generis humani parentes, masculũ, & fœminam, Genes. 1. vers. 27. Et Eua nomen mulieris accepit, Genes. 3, vers. 12. *Mulier quã dedisti mihi sociam*. Amisit Eua honorificum mulieris nomẽ, Mariæ reseruatum, vt Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, id est, Mariam, vt communiter receptum est eo loco. Non dixit: *inimicitias pono*, sed *inimicitias ponam*, sic explicat, sermonem non esse de muliere Eua, sed de alia muliere, quæ serpentis caput erat contritura; quæ verba necessario ad Beatã Mariam referuntur, vt dixi supra cap. 5. n. 11. cum sequentibus, quibus adde S. Cyprianũ ad Quirẽ cap. 9. & nostrum Consiliariũ D. Ferdin. de Oxeda in cap. firmissime de cõsecrat. dist. 4. in disp. 2. fundam. 2. vbi dicit hanc mulierem esse Beatam Virginẽ, & addit: *Ergo si B. Virgo caput contriuit peccati originalis, non fuit ab eo strangulata, imo illius peccati victrix euasit: nec aliquando fuit dæmonio subiecta, quia inimicitiæ absolutæ præsupponunt absolutas dissimilitudines: & nisi Virgo in primo instanti fuisset præseruata, non potuisset dici dissimilis serpenti maledicto*. Deipara est mulier per antonomasiam, mulier fortis. Nomen illud honorificentissimum positum Euæ, acquisiuit B. Maria, vt in Clement. vnica de summa Trinit. vbi glossa verbo *virginali*. Et de Græcis fontibus deriuata æthymologia, & locutio videtur, nam Græci vsurpant nomen mulieris pro honorifica cõsortis vel vxoris significatione, ex qua honorabiles filios percipiamus, vt docet Hotman, & apud

Scæ

Scæuolā in l. Lufcius 93. §. 1. mulier pro vxore dicitur; ibi: *Semproniæ mulieri meæ reddi iubeo cētum*. ff. de leg. 3. Habuit Eua honorificū mulieris nomen, id eſt, vxoris, ex qua poſſent procreari filij laudabiles; amiſit hoc nomē, ſed transfuſum eſt in Deiparam, quam deſponſauit diuina natura, & ex ea caſtam & honorificam prolem ſpiritualiter ſibi copulauit, & Dominus Ieſus in nuptijs Chanam, & in Paſſione ſua hoc nomine *mulieris* condecorauit matrem ſuā, & poſt hæc ſcripta vidi P. Hieron, de Gueuara cap. 1. Matth. p. 2. tom. 1. obſeru. 15. ſect. 11. §. 9. n. 110. qui doctiſſimus & diligentiſſimus author, ſupra dicta de muliere maxime confirmat, vnde ad explicandam B. Mariam ait textus, *Signum magnum apparuit in cælo mulier*. Et Apoſtolus ad Galat. 4. inquit, nouiſſimum Adam factum ex muliere, ibi; *Factū ex muliere*. Cur non dixit factum ex Maria? Ratio, quia mulier ſimpliciter Mariam exprimit. Perdidit ergo Eua nomē proprium mulieris, vt dixi, ſic in iure noſtro nomen quandoque propter peccatum aufertur, vt in cap. multis, diſt. 17 videndus Archidiaconus in cap. non omnes, diſt. 17. Præpoſit. in cap. qui neque 2. q. 7.

§ Proſequitur prophetia, *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim*. Si ſpiritualiter & ſimbolicè hæc intelligamus, tunc dicendū, quod Beata Maria eſt amicta ſole, & fulget ſicut ſol ad irradiandum totam multitudinem ſpirituum Beatorum, ita D. Bernardinus Senenſis tom. 3. in ſerm. 3. cap. 3. vel quando concepit in obumbratione Spiritus ſancti, fuit amicta ſole; quando peperit, fuit luna ſub pedibus eius, quia ſpiritus cœleſtes ei miniſtrabant; ſed quia habuit cuncta priuilegia Virginum, vel quia habuit duodecim fructus in ſua ſanctitate, de quibus Apoſt. ad Galat. 5. verſ. 22. ideo habet coronam duodecim ſtellarū, quod eſt de mēte Heſych. & in hunc ferè ſenſum expenditur Andreas Hieroſol. *Gratioſam dixi, quod ſtola tua ſit gratioſa, diuinorum donorum ſplen-*

ſplendore ab initio ad finem, vbi obſerua ſemper ſplendentem Mariæ ſtolam, eodem ſenſu ac in præſenti, quod ornata proponitur aſtris à capite ad calceamenta.

6 Secundo, in eodem ſenſu myſtico, poſſunt præfata verba Solis, Lunæ, & ſtellarum referri ad B. Mariam, iuxta nouiſſimam expoſitionem illuſtris Epiſcopi Fr. Franc. de la Cruz ordinis Prædicatorum tract. de purit. Concept. ſect. 1. §. 4. n. 36. vbi ille: *Mulier amicta Sole, & Luna, &c. Præter id, quod à Bernardo ibi dicitur, eſſe veſtitã Sole, denotat puritatem eius, & hanc mulierem eſſe B. Virginem: etenim ipſa eſt tabernaculũ Dei, de quo dictum eſt Pſal. 18. verſ. 6. in ſole poſuit tabernaculũ ſuũ. Sol autẽ non compatitur cum macula vlla; quia hæc eſt defectus nitoris propter receſſum à lumine; Solem enim à lumine recedere, impoſſibile eſt. Talis enim fuit conceſſa gratia B. Mariæ, vt ſicut Sol non compateretur cum macula, ita vt ſubiectum peteret purum:* et inferius: *Dicitur veſtita, quia non eſt ei gratia connaturalis, ſed ab extrinſeco, à Deo ſcilicet adueniens. Vnde verificatur, in Sole poſitum eſſe tabernaculum ſuum, id eſt, in gratia, quæ ſolis habet proprietatem, poſitam eſſe Virginẽ in primo ſui eſſe, quia poſuit, ſignificat, ædificauit; vnde neceſſe eſt dicere ſecundum hunc intellectum, eſſe liberam in Adamo, quia hæc gratia, ſicut Sol, petit omnimodam puritatem ſubiecti: & confirmat ſequens verbum: Luna ſub pedibus eius, lux enim lunæ eſt noctis, & ab alio accepta cum defectibus, & maculis, Vnde videtur repreſentari per illam, naturam humanam lumine fidei (quæ eſt obſcura, & reuelata, noctis) & ab alio illuſtratam, peccato infectam, qualis fuit in Adamo poſt peccatum, in quo fuit B. Virgo Sole veſtita, quia in eo eſt quis, quod ſub pedibus habet, ſed ſuperior & victor, ſic B. Virgo in Adamo reſpectu maculæ noſtræ:* & de corona inferius: *Corona ſtellarum duodecim, vt cognoſcatur, caput eius eſſe Chriſtum, qui duodecim ſtellis, Apoſtolis ſcilicet coronatus eſt; vel duodecim dons ipſa Beatiſſima Virgo, vt ibidem Bernardus.*

7 Conſequenter antecedentibus poſſet hic intellectus Epiſco-

piscopi Dominicani comprobari ex ipso amictu mulieris, quo proponitur vestita Sole, Luna, & stellis; in quo quidem amictu proponitur segregata ab Adami conditione, statu, & commercio; & dum Solis, Lunæ, & astrorum multitudine illustrata proponitur, originis puritas præter naturam humanam in muliere commendatur, vt non in Adamo cõputandam, sed in Christo diuino Sole numerandam credamus. Dicebat Tertulianus lib. de anima cap. 40. *Omnis anima eo vsque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur.* At Virgo nunquam in Adam receusita, vel numerata fuit, quæ Solis, Lunæ & astrorum amictu, præter conditionem filiorum Adam semper refulsit, & velut in Sole non potuit in ea, aliqua macula inueniri. Primos parentes induit Deus tunicis pelliceis, Genes. 3. Quare? Ideo vt foris pelle belluina vterentur, qui intus belluina ignorantia animum deturparunt. Amisimus in suo peccato splendida gratiæ indumenta, quæ ipsi permutarunt in tunicam maculatam, S. Iudas in Canon. epist. vers. 23. *Odientes, quæ carnis est, maculatam tunicam.* Sed Deipara nunquam deposuit vestimenta lucis, ab exordio vestitur Sole, Luna, et stellis, quia licet filia sit Adami, Mater est Christi, et gratia præualet naturæ.

8 Hi autem qui non curant de litterali sensu scripturarum nec sunt multum soliciti in aperiendo vero sensu, possunt etiam & tertiò interpretari hunc amictum Solis, Lunæ, et stellarum metaphoricè in muliere. Amictus iuxta latinam proprietatem, vestimentum illud est, quod vestibus alijs superponitur, idem apud nos, vt in l. vestis 23. & ibi glossa verbo *amiciendi*, iuncta l. argumẽto 25. ff. de auro, et arg. leg. Cujac. lib. 10. obseruat. cap. 17. & 18. quod cũ ita sit, astra in præsenti, quibus ornatur mulier designãt, Virginẽ in ipsa conceptione gratiã habuisse. Iam de singulis. Dum Sole amicta dicitur, gloria maiestatis diuinæ significatur, iuxta Bernardum hîc, & D. Thom. Matth. cap. 1. explicans hunc locum, dicit: *Et ideò dicitur mulier amicta Sole, quasi to-*

ta

ta repleta diuinitate, de qua ſcriptum eſt: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Gloria ſuper ponitur gratiæ, cumque gloria ab amictu Solis æterni proueniens, ſit immenſa, immenſam pariter & gratiam debemus iudicare; Virgo enim, amicta Sole in ſuo conceptu fuit, vt poſſet omnia tela nequiſſimi, illo amictu ſuperare. Item caput mulieris ornatur ſtellis, vbi nota, quod paulo inferius dicitur de dracone infeſto mulieri, *& cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram.* Habemus hîc diabolum potentem in cœlo, & ſtellas deturbantem; habemus & in terra illum victorem, quia inferius dicitur, quod orbem vniuerſum ſeducit. At B. Maria ſtellis coronata proponitur, vt inter communia naturæ damna, ſingularis illius de diabolo victoria celebretur. Sed quid Luna ſub pedibus ad victoriam? Repetat lector dictum Domini ad ſerpentem. Gen. 3. *Tu inſidiaberis calcaneo eius*, vt ergo Virginis pedes inter inſidias liberos credamus, Luna calceatos oſtendit; vnde merito ab ornatu calceamentorum, illam ſponſus laudat, *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis.* Fęminis noſtris in more poſitum, vt crepidas circumornent laminis argenti, at Beatiſſima non argento, ſed Lunâ pulchritudinem oſtentat, vt ſic pulchrá, ſic triumphatrix in draconem ſemper euadat.

9 Tandem in ſenſu myſtico amictus hic aſtrorum in muliere, & cõcurſus aſtrorum diei, et noctis denotant, naturæ leges in Maria ſuperatas. Non enim in hac muliere Luna & ſtellæ nocti præſunt, ſed diei; et in præſentia Solis, ſuam Joannis aſpectui oſtentant claritatem, nulla in hac Virgine nox, nec claritatis, ac tenebrarum viciſſitudo, quia quæ præeſt nocti Luna, quæ præſunt & ſtellæ, ſimul in illa cum Sole fœderantur, vt luceât; de Deo ita D. Iacobus. *Apud quê non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*, Græcè *parallage*, quæ conuerſionẽ ſonat, quo ſignificatur, Deo quõ Iaco-

Iacobus Patrem luminum appellauerat, non conuenire eam luminis, & obumbrationis alternationem, quam in Sole, et astris materialibus videmus. Deus autem, qui in se nullam habet mutationem, non recipit, nec in eum conuersio, seu reciprocatio cadere potest. Quæ B. Mariæ adaptanda sunt, sicut enim Deus, quâ pater est luminum, & fons lucis, non habet obumbrationis alternationẽ: ita & Virgo Mater Dei obumbratione caruit, quia Mater est lucis æternę, vt dicit Epiphan. serm. de laud. Virg. quia fons perennis est veri luminis, vt dicit Damasc. orat. 1. de Natiu. Virg. Nil ergo mirum, quod in ea simul appareant astra noctis, & diei.

10 Fateor ingeniosas esse antecedentes interpretationes non tamen eas agnosco, vt litterales, sed vt accomodatitias, & allegoricas. Quare existimo in sensu litterali, Beatam Mariam explicari per hanc mulierem, quia serenissima eleuata est per diuinam gratiam ad naturam cœlestem, vt dictum est in cap. 5. & est cœlum animatum nouum, vt ex Taumaturgo diximus cap. 2. cœlum, cui respondent luminarium fulgores. Tota prophetia Ioannis cum loquitur de B. Virgine, hoc intendit, hoc demonstrat, hoc ipsum agit: vnde in præsenti proponitur tota Cœlestis, vt diximus hoc capite n. 3. proponitur tota à pedibus ad caput amicta indumentis lucis, & â capite ad calcem proponitur astris ornata, & omnia cęli astra eam circumdãt, per quod significatur, eam esse immunem à tenebris; & sicut filium eius tenebræ non comprehenderunt Ioan. 1. quia vnxit eum Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis Psalm. 44. in quo eum prædicamus peccati expertem, & alienum à sorde, ita Matrem depingit hoc caput alienam à tenebris per gratiã, & proponit matrem possessam à luce, â fundamentis, ab initio, & ideo ponitur super Lunam, per quod manifestat Conceptionem eius in pedibus significatam, & est significatio eius sententiæ Genesis: *Et tu insidiaberis calcaneo eius*

ius, calcaneo Mariæ, quæ conteret caput Draconis, & cum proponit draconem mulieri insidiantem, deinde verò ab ipsa prostratum, et sub Mariæ pedibus deuictum, cognoscimus triumphalẽ victoriam mulieris. Alluditq; Apostolus ad Roman. 16. vers. 20. *Dominus conteret Sathanam sub pedibus vestris*. Ad intentum Diuus Bern. *Vnicus ille stultus, & totius stultitiæ Princeps, sub Mariæ pedibus concultatus, & contritus, miseram patitur seruitutem*, deinde addit: *Ipsa est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput, virtutis pede contritura*.

11 Igitur in pedibus significa est Conceptio B. Mariæ; quia sicut pedes sunt principium motus totius corporis, ita principium creaturæ & conceptionis eius, per pedes significatur; & per calcaneum, peccatum naturæ exprimitur, vt Psalm. 48. vers. 6. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*. Quod expressit Saluator noster in die Cœnæ: *Qui lotus est nõ indiget nisi vt pedes lauet*. Lauit ergo pedes discipulorũ, vt eam hominis partem expiaret, quæ erat telorum inimici scopus. Pedes prius serpentis veneno patent, quam cætera corporis membra; et diabolus conceptioni nostræ prius insidiatur; id est, principio, ideo dixit: *Tu insidiaberis calcaneo*. Igitur in discipulis suis pedes Dominus expiauit, quia erat illa pars, nostræ ruinæ suggestus; illam partem penitus mundauit, & extersit; vt absque illius mali timore, corporis Dominici suauitatem percepissent. Quam ad rem D. Ambros. in Psalm. *Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri; in quo Adam dente serpentis est vulneratus; & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ, suo vulnere dereliquit, vt omnes illo vulnere claudicemus. Vnde Dominus discipulis pedes lauit, vt lauaret venena serpentis*. Rectè pedes Mariæ super Lunam, vt significetur pulchra & lucida in pedibus, in calcaneo, vt significetur eius puritas in Conceptione.

12 Fuit pulchra sacra Maria à pedibus, à fundamentis; fundata est in saphiris apud Esaiam, fuit pulchra à calcaneo, ideo

ideo calcat Lunam: quam ad rem loca Canticorum : *Pulchra vt Luna*, & iterum : *Quam pulchri sunt gressus tui*, hoc est, quam pulchri sunt gressus tui in tuo initio; quia dixit, pulchra vt Luna, addidit, pulchra in calceamentis, pulchra initio viarum tuarum; pulchritudo calcanei tui, & conceptionis, maior pulchritudine Lunæ, nam triumphas super Lunam; ideo sub pedibus tuis, sub tua conceptione est Luna. Est enim B. Maria pulchra, non solum vt Luna, sed vt Sol, et vt stellæ; ipsa sola pulchra inter mulieres Cant. 1. *Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres*. Est Mater, et sponsa pulchri Salomonis. Cant. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus, lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina*. Uterque incorruptibilis, sicut cedrus : lectulus eorũ nõ vermes, & putredo, sicut in alijs filijs Adã, sed lectulus eorũ cedrinus, floridus, et cęlestis. Maria tota pulchra, Cãt. 4. Habet enim pulchritudinem totius cœli; tota amicta est astris, Sole, et Luna: pulchrè D. Bern. *In muliere amicta Sole figuratur Maria, quæ & stellis apparuit coronata, quia omnibus gratijs, virtutibus, & donis insignita fuit, quæ enim cæteris per partes, Mariæ omnia abundantissimè collata sunt*. Sol, Luna, et stellæ in præsenti significant, ornatam fuisse hanc Dominam, sicut cęlum, et maiori claritate, et prærrogatiuis, et vt intelligamus, in ea non fuisse tenebras vllo tempore, vt sicut in astris non est dare tenebras, ita neque in B. Virgine, significata in hac muliere.

3 Metaphoricè accipienda sunt, quæ referuntur de ornatu, amictu Solis, Lunæ, et stellarum in hac muliere, sicut etiã in libro Esther cap. 10. vers. 6. legimus: *Fons paruus creuit in fluuiũ, & in lucem, solemque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit*, quæ verba de Esther dicta indicat sacrum elogium: fuit enim typus Beatę Marię, de qua maiora proculdubio dicenda, nam Deipara est fons hortorũ, et puteus aquarũ viuentium. Cant. cap. 4. Est fons signatus, quæ meliori iure, quam Esther, in lucẽ & Solẽ cõuersa est, de qua dixit

dixit Damianus, quod tota in candorem lucis conuersa est, & in aquas plurimas, velut mare redundauit. Vel intelligenda spiritualiter, non quod hæc astra materialia eam circumdarent, sed tantum, vt per hæc signa significemus, Deiparam esse Reginam cœli, & cœlum quoddã animatũ, Coronatur stellis, vt credamus esse Reginã cœli; sed quare duodecim stellis? Non alia ratione, nisi quia per numerum duodenarium, qui est multitudinis, omnia astra significantur; vel quia proportione ad duodecim signa cœli, omnem astrorum multitudinem significamus. Vestita est sole, quia in ea non est dare maculam, sicut nõ datur in sole. Ponitur super Lunam, quia conceptio eius fundatur in luce, participata à Sole Diuino, & superat Lunam claritate, & pulchritudine. Dicitur *amicta Sole*, propter maternitatem, quia Sol iustitiæ descendens in vterum eius, eam clarificauit, vt esset perfectior sole materiali, & induit eam vestimentis lucis, vt esset sola inter puras creaturas: & sicut Sol dicitur ab eo quod solus sit, ita Maria sola est, libera ab omni macula, est electa vt Sol, vt sola sit sine maculis.

14 Videamus nunc quantum communicet Beata Maria in vestimentis, & ornatu lucis de perfectionibus Christi. Ipse Saluator noster cœlum dicitur, Ioann. 1. vers. 51. *Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium Dei.* B. Virgo cœlum etiam dicitur, vt hoc cap. n. 3. Filius excelsior cœlis ad Hebr. 7. vers. 26. Maria excelsa super sydera, vt canit Ecclesia. Christus dicitur vestiri lumine, sicut vestimento, in psalmis: Maria vestita est Sole, & astris in præsenti; & nostro idiomate possumus dicere: *Que Maria se parece a su hijo, hasta en el vestido.* Christus in ore Prophetæ Psal. 88. vers. 37. *Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum.* Maria in præsenti habet thronũ suũ in Sole, Luna, et astris. Christus in Canticis cap. 5. dicitur *Electus ex millibus*, id est; ex omni-

omnibus. Maria *electa vt Sol*, vt sola inter omnes, vt pulcherrima inter creaturas. Cant. 1. *Si ignoras te ò pulcherrima.* Tandem ipsa sacratissima in conceptione, fuit pulchra vt Luna; in maternitate electa vt Sol; in Assumptione coronata stellis, & toto cœlo. Tota cœlestis; tota pulchra, tota lucida, & luminibus decora.

15 Perpendebam etiam, & magis ad litteram, quod B. Maria amicta est Sole, Luna, & astris, quia in splendoribus Sãctorũ cõcepta, nata, & assumpta est in cœlũ. Quid est cõcipi in splendoribus sanctorum, nisi in gloria concipi, & generari? splendores sanctorum, gloria est, & Dei claritas, & visio beatifica, nam in ipsa visione beatifica sancti splendores accipiunt, & ipsa gloria Dei est fluuius claritate inundans Beatos, Apoc. 21. *Et ostendit mihi Ciuitatem sanctã Ierusalem, descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei*, & cap. 22. *Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ splendidum tãquam crystallum procedentem de sede Dei, & Agni.* Et sicut filius genitus dicitur in splendoribus sanctorum; id est, in gloria, quæ causat splendores sanctorum: ita & Mater genita est in splendoribus gloriæ, in claritate cœli, & incipit initium eius super claritatem Lunæ, vt dixi supra in apertura primi sigilli, vbi probo, quod fuit concepta in gloria, & addendus pater Fr. Syluester de Saauedra de sacra Deipara, et eius immunitate disp. 21. sect. 5.

Mecum ipse cogitabam, quod conceptio hominis per noctem significatur; natiuitas eius per diem, dicente Iob cap. 3. *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo:* coniungit natiuitatem cum die, & conceptionem cum nocte: & rectè, nam concipimur in ventre, in tenebris, et tumulo matris; nascimur ad lucẽ, recta similitudo natiuitatis ad diem, conceptionis ad noctem. Cur ergo in pedibus Beatæ Mariæ ponitur Luna? Dic quod in pedibus conceptio significatur, vt n. 11. huius capitis; cur ergo in ea parte Luna? Dic quod ea ratione fit, quia Luna

nocti

nocti præest, vt in Genesi. *Luminare minus, vt præesset nocti.* Nox, vt diximus ex sancto Iobo, conceptionem hominis insinuat. Ponatur ergo in conceptione, in pedibus Beatæ Virginis Luna, ne illam conceptionem obscuritas aliqua contaminare possit; sit conceptio illa in splendoribus. Illuminet noctem, id est, conceptionem vnius Virginis Marię Luna. Non sit nox, conceptio illa; per Diuinam gratiam habeat claritatem, & lunam sub pedibus; incipiat super lunam, & serpens ad pedes Virginis prostratus, insidiatus calcaneo Virginis ingemiscat, quia ipse degit in tenebris, & in nocte, impotens videre claritatem Solis, et Lunæ, et astrorum, ex vaporibus claritatis Dei. Videat Lucifer conceptiones cæterorum hominum, quæ sunt semina noctis; noctes nostras videat serpens, frustra insidiatur calcaneo possidentis lunam; frustra iacit tela in Uirginem, astris ornatam à suo fundamento; frustra incit rete ante pedes argentatæ Dianæ; præcipuè cum simul interueniant Sol, et astra noctis, & diei, præter naturæ ordinem, ad clarificandam Uirginis conceptionem.

Noto, signum hoc apparere in cœlo, & omnigeno mulierem splendore vestiri; sed quid? An ob hoc dicendum, quod sit in cœlo cõcepta? Ita quidem, dum modo in bono accipiatur sensu: concepta est ex volũtate, qua ad esse Dei Matrem fuerat prædestinata; quæ quidem dignitas iam in Maria primordialiter resplendens, cœlestem eam faciebat, quia filius totus erat cœlestis, cui mater dignissima præparabatur, Extrauag. vnigenitus de pœnitent. & remis. Quia ergo cœlestis ob dignitatem matris, ideo Sole, Luna, et stellis amicta, et vestita est. Debentur cœlo cõnaturaliter astrorum fulgores, quia cœlũ est: sic Mariæ splẽdores gratiæ debiti, quia Dei erat futura mater, propterea cœlestis asseritur prius, & statim ornamenta Solis, Lunæ, et stellarum in amictu & ornatu eius commonstrãtur

Sole.

Sole apparet amicta, quia vt ait Bernardus, Solem Christum vestit, & rursus vestitur ab eo. Assueuerant mulieres ad ornatum vestimentorum, omnem curam adhibere; nihil aliud, quàm ornatus in mulierum consideratione desigitur, Ierem. 2. *Nunquid obliuiscetur Virgo ornamenti sui, & sponsa fasciæ pectoralis*, & ibi Hieronymus ostendit, Christum esse sponsum, de quo loquitur Ieremias; circa quod vide textum in cap. debitum de Big. Si ergo Christus Virginem vestit, & vt ait Bernardus, *vestit illam gloria suæ maiestatis*: quid aliud, quam omnimodam puritatem, & in origine sanctitatem in Virgine considerabimus? Virum supra mulierem extendere amictum, signum erat vinculi coniugalis, vt dicunt Doctores in cap. fœminæ 30. q. 5. sic Ruth ad Booz: *Expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es*, Ruth. 3. in quo sibi maritum deposcebat; & Ezech. 16. *Expandi amictum meum super te, & facta es mihi*, scilicet, vxor. Amictus Dei est lumen, vt Psalm. 103. *Amictus lumine sicut vestimento*; cum autem in hoc cap. 12. Apoc Virgo Sole amicta, Luna & astris ornata perhibeatur, Deo propinqua & nupta intelligi debet, qui super Mariam splẽdidissimum amictum extendit, ne inimicus pedes eius maculet, quos cernit lunâ calceatos. In pedibus conceptio est vt diximus.

17 Ego vero, qui in primo sigillo Apoc. 6. inueni typum B. Mariæ sedentis in equo albo, consequenter existimo, quod in hoc cap. 12. designantur corona, arcus, & victoria, quibus ibi draconem deuicit. In eo cap. 6. condecoratur Beatissima armis triumphalibus, arcu, coronâ, & gloriâ vincẽdi. In hoc cap. 12. ornatur coronâ, Sole, et Luna. In Sole arcus, in luna triumphus, in stellis corona. Sed incipiamus à victoria in luna significata, præcipuè in sua conceptione, in pedibus super Lunam præfigurata supra num. 11. In Græco pro luna est *Selene*, nomẽ autem *Selene* propriè significat Lunam, non quando protuberat, sed quando cor-

nibus

nibus arcuitur. Hæc Lunæ cornua seruiant fugandis nubibus, ventilandis tenebris, ex D. Synes. Hymn. 5. ad Deum: *Tibi taurina fronte luna, noctis tenebras pellit.* Bene ergo in conceptione sua, Deipara armata in luna procedit, quia noctis primæuæ vmbras, id est, originalis culpæ tenebras ventilauit. Descripsit lunam Ecclesiasticus cap. 43. vers. 7. *A Luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consummatione mensis, secundum nomen est crescens mirabiliter in consummatione: Vas castrorum in excelsis,* Quare autem vocet lunam vas castrorum, non est facile aperire: existimo in luna significari fortitudinem vincendi, quia fugat nubes, depellit tenebras, est ventilabrum tempestatis, vt nuper dixi, est vas castrorum, id est, ineundis fœliciter prælijs, castrẽsis apparatus. Unde in Canticis appellat Mariam, pulchrã vt lunam terribilem vt castrorum aciem ordinatam. Bene ergo commendatur victoria eius de Lucifero in possessionẽ pedum super lunam. Sol est, arcus cœli, radios igneos exsuflans, & splendores communicans cæteris luminaribus: Ecclesiast. 43. vers. 4. & in hoc cap. 12. in originali Græco legimus *Peribeblemene ton ilion*, à verbo *periballo*, id est, *circumamicta sole*, quasi arcu circumdata sole, complexa sole circum. Fęlix quidem bellandi ratio Mariæ contra dæmones, & culpam exhibetur, dum in luna victrice arcũ solis, in splendoribus induit, & arma lucis arripiẽs, nequissimi tela retundit: est enim arcus fortitudinis schemma, vt dixi in cap. 5. in explicatione primi sigilli; & dum Sole Maria proponitur amicta, victrix, & triumphatrix euadit, igneos radios eiaculans in communem inimicum; maxime cum appareat coronata stellis, vt in diademate lucis victoriam de serpente videatur reportasse. Sic benè consonat hæc mulier cum sedente in equo albo.

18 Aperiamus amplius mysterium huius mulieris amictæ Sole. Post illa verba: *Et in capite eius corona stellarum duodecim,* addit prophetia: *Et in vtero habẽs*. Hæc posteriora verba

ba non videntur habere nexum cum antecedentibus, neque per se aliquid significare in hac muliere. Num tã pulchra, quia in vtero habens, sicut pulchra in amictu solis, lunæ, & stellarum? Hoc videtur innuere prophetia, nam vtitur particula & in suo contextu. Dicendum, huic mulieri conuenire antecedentes splendores, quia est in vtero habens: et si verum amamus, hæc vltima pars prophetię magis explicat B. Mariam, cui eadem verba tribuunt Euangelistæ in Incarnatione, Matth. 1. vers. 18. *Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, inuenta est in vtero habens.* Apud Ioannem in præsenti: *In vtero habens.* Apud Matthæũ, *In vtero habens;* verba ipsa vtroque loco indicant B. Mariam; & ita in hac muliere exprimitur sacratissima Virgo. Ex quo dicitur: *In vtero habens*, arcus eius ad vincendum designatur, sicut explicatum est in d. cap. 5. in apertura primi sigilli.

19 Superiora satis demonstrant, hanc mulierem typum esse B. Mariæ; quia tamen desidero, nullam de re ista manere hæsitationem, ideo verba sequentia cap. 12. explicanda suscipio. Inquit textus, quod hæc mulier *Peperit filiũ masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius;* quæ verba Iesum filium, & Mariam Matrem apertissimè demonstrant, filius masculus Christus est. Primum hominem creauit Deus masculum Genes. 1. vers. 27. Secundum, & nouissimum Adam masculum peperit Maria, & sicut nomen *mulier* honorificentissimum Euæ, translatum est in B. Mariam, vt supra n. 4. Ita clarissimum *masculi* nomen, positum Adamo meliori iure transfertur in Christum. Non sine re masculus proponitur hic filius Virginis in præsenti. Est enim nomen masculi, fortitudinis, et victoriæ significatio; vtpote cum recturus sit filius natus omnes gentes in virga ferrea; & hoc nomen masculi adeò familiare sibi vindicauit Christus, vt etiam in his rebus, quæ eum præfigurabant in lege

veteri

veteri, non sine mysterio masculi nomine designarentur, vt accidit in Phase, vbi sanguis Agni super postes fuit liberatio filiorum Israel, vt Exod. 12. vers. 5. *Erit autem Agnus absque macula, masculus:* est enim Christus inter homines masculus, ita Isai. cap. 66. vers. 7. *Ante quam parturiret, peperit*, scilicet B. Maria, sicut explicabimus infra, *Antequā veniret partus eius, peperit masculum*, hunc scilicet, quem peperit mulier amicta Sole in pręsenti.

20 Si nomen *masculi* vos non conuincit, ex quo eliciatis nomen Iesu, conuincant verba sequentia: *Qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.* Natus ex hac muliere dicitur recturus omnes gentes in virga ferrea. Nonne hic Christus? Cui alij data potestas in omnes gentes? Ipsi dictum: *Dabo tibi gentes.* Quid de eo scriptum Apoc. 19? *Et de ore eius procedit gladius acutus, vt in ipso percutiat gentes, & ipse reget eas in virga ferrea,* & Psalm. 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te, postula à me, & dabo tibi gentes.* & inferius: *Reges eos in virga ferrea,* & Esai. 63. vers. 3. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecū; calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea;* & infra: *Conculcaui populos in furore meo*, & Malach. 4. *De Sion egredietur lex, & Verbum Domini de Ierusalem, & iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes.*

21 Si mascula hæc fundamenta non sufficiunt, pręstò sint gratia Dei, & verba sequentia prophetiæ: *Et raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius.* Quis alius nisi Christus ad thronum æterni Patris ascendere potuit? Ipse Christus ex vtero in Patrem proiectus est, psalm. 21. vers. 10. *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre,* & inferius. *In te proiectus sum ex vtero.* Quis enim alius ad thronum Patris, quam Filius vnigenitus, iuxta illud, *sede à dextris meis?* Ex quo in præsenti dicitur, *ad Deū, & ad thronū eius*, de speciali throno Patris loquitur Ioannes, non solum de cœlo, quod etiam dicitur thronus Dei, Matth. 5. vers. 34. Loquitur Ioannes

 de

de magnifica ſede Patris, in qua inſeparabiliter eſt Chriſtus per vnionem hypoſtaticam ad Verbum, vnde B. Ambroſius hunc raptum filij ad Deum, & thronũ, ita explicat: *Et raptus eſt filius eius, nempe Chriſtus, ad Deum, id eſt, ad æqualitatem Dei Patris*. vt refert Haye hoc cap. 12. Apoc. n. 157. Itẽ in quantũ homo ab inſtanti ſuæ conceptionis per viſionẽ beatificam dicitur raptus ad Deũ, cũ enim ſit ſimul Deus & homo, non potuit natura illa humana non eſſe cũ Deo. Nec tantum poſt partũ raptus intelligi debet: fuit enim cũ Deo ab inſtanti ſuæ conceptionis, & potentia diuinitatis rapuit naturam illam humanam; per quod manſit ſtupefacta omnis creatura. Etenim cum Diuina ſapientia filius, ſit Verbum Patris, & procedat per intellectionem à fęcũdo Patris intellectu, cuius conceptus, mens, & ratio eſt; ideo ex illo inſtanti conceptionis dicitur raptus ad Deum in quantum homo. Falluntur qui dicunt, poſt partũ fuiſſe raptum: hoc minimè exprimit prophetia, nec aperit, an poſt partum vel ante, fuerit raptus, ſic ſupplendum eſt ex d. Pſalm. 21. *In te proiectus ſum ex vtero*. Nõ probat hoc eſſe quod ab hoc contingit abeſſe. l. neque natales. C. de probat. cap. nonne de præſumpt. Indefinitè dicit in præſenti prophetia: *raptus eſt*, ſed credendum, quod fuit raptus ab vtero, maximè cum Ieſus in vtero natus dicatur, Matth. 1. verſ. 20. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, & Eſai. 66. *Antequam veniret partus eius, peperit maſculum*.

22 Sequitur ex dictis, Eccleſiam non poſſe intelligi ſub hac muliere: nam cum filius natus, Chriſtus ſit, minimè poteſt dici filius Eccleſiæ, qui eſt Pater & fundamentum eius, ad Epheſ. 1. verſ. 22. *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius*, & cap. 5. *Sicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ*, & ex textu in cap. veniens de pręsb. non bapt. Neque Eccleſia vnius tantum filij mater eſt, ſed multorum, nec tantum maſculi ſunt, ſed & fæminæ. Nec Eccleſia ſemel vt hæc mulier peperit

rit, sed partus eius multiplex, & quotidiè filios spiritualiter parit, iuxta illud: *Filioli, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Sequitur ergo Deiparam repræsentari per hanc mulierem, vt notat Pater Naxera in suo Mariali serm. de Expect. §. 5. ibi: *Que essa señal grande fuesse Maria, es comun sentir de los Padres, y que el hijo fuesse Christo, no admite duda.*

PONVNTVR ARGVMENTA CONTRA NOStram interpretationem Mulieris amictæ Sole.

23 PRimum dubium suboritur ex illis verbis nostri capitis: *Clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat.* Ex his verbis apparet, mulierem hanc Apocalypticam habuisse dolores partus, & parturitionem, ergo non est Beata Maria, quia Sanctissima Domina non peperit in doloribus, nec eã tetigit communis lex indicta mulieribus, *In dolore paries filios*, & sicut notatur in Clem. vnica de summ. Trin. nullum sensum doloris in partu perpessa est.

24 Obstat secundo difficultas, quæ nascitur ex illis verbis cap. 12. vers. 3. *Visum est aliud signum in cœlo, & ecce draco rufus, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli*, in quibus designatur prima ruina, & casus Luciferi de cœlo, quando traxit tertiam partem Angelorum, vt notat Viegas in præsenti, & P. Ioannes Anton. Velasq. de Concept. lib. 2, dissert. 1. adnot. 2. n. 4. At tunc non existebat Beata Virgo Maria. Ergo cum huic mulieri obuiam occurrit draco rufus in prima sua ruina, de alia muliere, quam de Deigenitrice, sit sermo.

24 Tertium dubium elicitur ex nostro capite 12. in illis verbis: *Et Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperisset, filium eius deuoraret*, quæ non videntur posse accipi de partu Virginis Sacratissimæ: nã inquit Beatus Ignatius Martyr, quod partus Deiparæ fuit celatus diabolo,

&

& ipsi ignotus, alludit textus in cap. pudor, & ibi glossa verbo *falleret* 32.q.2.

26 Quarto dubitationem mouent illa verba dicti capitis 12. *Mulier fugit in solitudinem, vbi habet locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta*, quæ quanam ratione possint Beatissimæ Mariæ accommodari, est difficilis inuestigationis: neque enim expressè legimus, quod Deipara fuerit in solitudine per hoc tempus.

27 Quintum dubium desumitur ex eodem capite 12. vers. 14. *Et datæ sunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ, vt volaret in desertum, in locum suum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis*; & addit prophetia, quod serpens misit fluuium post mulierem, vt aquis ipsam involueret, & ad se traduceret; item quod terra adiuuit mulierem, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo: quibus verbis si litteraliter hæreamus, operosum erit Virgini verba applicare, de qua non legimus, quod acceperit alas, nec quod volauerit in desertum, sicut non legimus de adiumento terræ in fauorem ipsius, nec de fluuio misso à serpente.

SOLVTIONES ARGVMENTORVM antecedentium.

28 SICUT existimo, antecedentia argumenta adeò fuerunt laboriosa Doctoribus, vt facilè declinauerint à via, & ad Ecclesiam confugerint in hac symbolica muliere. Sed interpretes Conceptionis, cum ex hac imagine Apocalyptica id capiant, quod congruit suo proposito, & mysterio Conceptionis Beatæ Mariæ, sibi satis indulgent, dum vnam, vel aliam clausulam prophetiæ accommodant purissimæ eius conceptioni, minimè soliciti de explicatione totius litteræ. Fateor, quod ex antecedentibus quinque dubijs erumpit mare magnũ, in quo omnis humana sapientia

pientia deuoratur. Sed faue Beatissima, & fac me transfretare hoc mare, spaciosum quinque manibus: hoc mare plenum procellis, quod nullus interpres transfretauit. Scio tuo auxilio, opus hoc à me esse conscriptum: cæpisse sat est, vt ipsa perficias: argumento textus in cap. 1. de Donation. Plena, & redundantia sunt tua beneficia, sancta Deigenitrix, plena, neque exiguo constricta numero, sed potius vberi bonorum coaceruata congestu.

29 Non obstat primum dubium de dolore partus: nam clamor in præsenti, & cruciatus non prouenit à partu. Unde ergo venit? An propter filium nasciturum? Absit, nam quēadmodum mater immunis erat à culpa, multo magis filius, cuius humanitas secundum se considerata, & à Verbo per impossibile seiuncta, non posset contrahere hanc maculam originalem ex miraculosa conceptione, vt cap. 1. in verbo *miraculo*, de consecrat. dist. 4. Sed prout Verbo vnita est humanitas, etiam de absoluta potentia non posset contrahere hanc maculam; neque potuit ad hominem illum de Virgine conceptum vlla ratione descendere peccatum, vt dicit Anselmus de Concept. Virg. cap. 20. Et immunitas in Filio non liberalis, et gratuita, sed necessaria fuit, ut probat P. Granatus tract. de Concept. disp. 2. cap. 2. & sic non poterat mater in partu cruciari ex hoc motiuo. *Solut. ad 1.*

30 Quid ergo dicemus? Num cruciatur Sancta Maria, quia reuelatione agnouerat astutiam diaboli ad deuorandum filium? Hoc innuere videtur textus Apocalypsis, ibi: *Et draco stetit ante mulierem, vt cum peperisset, filium eius deuoraret*, sicut Herodes, draconis suggestione, iam natum deuorare tentabat. Procederet solutio, ni obstaret dictum Beati Ignatij, quod partus occultabatur diabolo, ni mauis dicere, quod in veritate partus occultabatur diabolo, sed semper fuit dubius. Habemus etiam textus canonicos, & glossas, in quibus dicitur, quod multa diabolo occultantur

ex diuina prouidentia, vt in cap. inuenta 27. q. 2. ibi: *Vt diabolo virginitatem eius occultem*, & in cap. pudor 32. q. 2. vbi glossa verbo *Falleret*, ibi: *Hîc patet, quod multa latent diabolum.*

31 Tentari posset, hæc verba: *Clamabat parturiens*, non esse referenda ad dolores partus, sed ad angustias illas, quibus Virgo premebatur, cum vidit sponsum Ioseph turbari cognito vtero. Item cruciabatur, quia videbat filium suum nasci tam incommodo loco & tempore: Clamabat ergo, quod non haberet decens habitaculum filio Deo. Sed hæc spiritualia sunt, non litteralia.

32 Dicamus ergo, quod clamor, & cruciatus Virginis in partu, & parturigine proueniebat ab Expectatione nasciturі, quem edere optabat, et lumen mundo effundere: sic Ecclesia Expectationem Virginis ante partum celebrat, & desideria pariendi in Virgine commendat: vnde cruciatus hic Virginis in parturiendo significat intensum eius desiderium manifestandi id, quod habebat in vtero. Eleganter P. Naxera in Mariali. serm. de Expect. §. 5. ibi: *Que essa señal grande fuesse Maria, es comun sentir de los Padres, y que el Hijo fuesse Christo, no admite duda; pero haze dificultad este clamar, no quando pare, sino para dar el parto. No dixo, que clamaua en el parto, sino para parir. Este parto, dize la glossa, no es de la calidad de los otros: los demas al desprender causan ansias; avara la naturaleza quisiera detenerlos, aun quando ella misma està diligenciando parirlos. Pero este hijo es muy de otra calidad, no ha de ocasionar al parir dolores, sino gozos; pero quando habita el pecho, causa ansias tales, que equivalen a dolores: no cabe en el pecho, y assi dichosamente le oprime, no es el ansia por ahuyentarlo, sino antes es ansia de repartirle.* Alludit S. Ioannes Damascenus lib. 1. super cap. 14. Apoc. ibi: *Quid exercitium, nisi desiderij spes, quæ in Virginis vtero tunc manebat, & in spem contra spem luctabatur?*

Existi-

33 Existimabam posse etiam dici, quod hic clamor Virginis proueniebat à reuelatione, quam habuit tempore Conceptionis de Passione, & morte Christi, ita Rich. de Sancto Laur. lib. 4. de laud. Virg. *Tanta fuit Mariæ charitas ad nos, quod ex quo filium concepit, ipsum pro mundi salute pati desiderauit*, *sicut videtur velle Ambrosius*, Uerè Christum peperit sine dolore, sine cruciatibus parturientium, sine violatione suæ puritatis, sicut dicit Esaias cap. 66. *Antequam parturiret, peperit*, quem locum de Deipara interpretatur S. Ioannes Damascenus lib. 4. de ortod. fid, cap. 15. de part. Virg. *Quod autem sine dolore supra legem partus est; cuius enim voluptas non præcessit, neque parturiendo dolor subsequutus est, secundum Prophetam dicentem: prius quam dolores partus senserit, peperit filium masculum. Natus est igitur ex ea filius Dei, & Deus incarnatus*. Parturire est ante partum, & in partu laborare. Quid est ergo apud Esaiam, Virginē parere ante quam parturiret? Quid aliud est, nisi quod non præcedente dolore partum edidit? Lex data est mulieribus, quod in dolore pariant filios. Lex est naturæ humanæ, quod mulier primo parturiat, deinde pariat. Sed Deipara non est subiecta communi legi, quia sine dolore, & sine læssione peperit: at conscia passionis, naturaliter in partu cruciabatur, quia dabat filium crucifigendum. Partus Virginis in duplici habetur consideratione, verus partus fuit extra cruciatum, mysticus partus circa filium crucifigendum habuit parturitionem. Parturiuit temoore Passionis filium, & dolores parturientis, quos habuit in Passione filij, prius mente concepit in vtero, & partu eius, ad quod alludit Haye in hoc cap. 12. n. 88. *Cum in Bethleem peperit suum vnigenitum, nequaquam cruciatibus partus detenta. Quando nam cruciata, vt pareret? Tunc cum filium patientem conspexit*; aliter enim interpretatur idem Haye ibidem num. 85. ibi: *Non de partu Christi loquitur, quem constat sine vllo dolore peperisse, sed de peccatorum*

rum parturitione, quia Virgo Dei Mater facta, peccatores Deo parturiuit. Alij dicunt, quod ſeparatio naſcituri, mentem pariturӕ diuexabat, ex qua dimidium cordis ſeparabatur, vt reuelatum eſt ſanctӕ Birgittӕ lib. 1. cap. 35. ibi: *Cum naſceretur ex me filius, ſenſi ego, quod quaſi dimidium cordis mei naſceretur, & exiret ex me, & cum ipſe pateretur, ſenſi quod quaſi cor meum patiebatur*: & in hac ſententia cruciatus & dolor non proueniebant à communi lege parturientium, ſed à ſeparatione filij ab vtero, in quo prӕſumitur eſſe portio viſcerum matris, l. 1. §. ex hoc reſcripto. ff. de inſpic. ventr.

34 Non obſtat ſecunda difficultas de prima ruina draconis, quando non exiſtebat Beata Maria, nam dicendum eſt, quod euidentius explicat, ſub hac muliere contineri Deiparam; nam illa prima ruina Luciferi propter Deiparam, & filium eius contigit, vt dicit ſanctus Cyrillus Alexandrinus homil. 6. quӕ Epheſi dicta fuit contra Neſtorium. ibi: *O Maria, per quam dæmones fugantur; per quam diabolus tentator cœlo decidit; per quam prolapſum plaſma in cœlum recipitur*! Ecce caſus Luciferi propter Mariam. Dixit Doctor ſacer verbum illud *tentator*, id eſt, in deſtinatione, malitia, & inuidia, quӕ in illo inuenta fuit à principio, & etiam, quia tunc fuit tentator, quia ſua ſuggeſtione traxit tertiam partem Angelorum, ſic explicat Sanctus Bernardinus Senenſis in prӕſenti hӕc verba: *Trahebat tertiam partem Angelorum*, vt ſint intelligenda de primo caſu Luciferi, dicens: *Hoc ad litteram intelligitur de Lucifero, qui magnam multitudinem Angelorum ex voluntate arbitrij ſibi tanquam Principi conſentientium, traxit de cœlo*, & notatur etiam in cap. fin. de pœnit. diſt. 2. Illa ergo prima ruina Angelorum fuit ex ſuperbia, vt dicunt gloſſӕ in d. cap. fin. ſicut ex inuidia in Deiparam. Superbia & inuidia non adorandi filium Ieſum, neque matrem eius, in cauſa fuere, vt tertia pars Angelorum cum Lucifero iret in ruinam, & perditionem, & lapſi

Solut. ad 2.

ſunt

ſunt, eo quod viderunt exaltationem humanitatis in Chriſto Deo, & in Matre ad locum, quo pertingere non poterat ſuperbus.

35 Certum eſt apud Patres, Lucifero fuiſſe reuelatum Incarnationis myſteriũ in cœlo, ante caſum, & ruinam eius. Sed ipſe ſuperbus ægrê per ſuperbiam tulit decretum Dei, non electa natura Angelica ad Incarnationem Verbi; quo circa in ſuperbia ſua deſtinauit inteſtinum odium contra naturam humanam, ſpecialiter in Deiparam: & inſtituit in ſuo affectu, non adorare filium eius, ambiens ſedem Chriſti, ſecundum illud Eſai. 14. *Similis ero Altiſſimo*, id eſt, Deo humanâto, Chriſto filio Virginis, cuius ſedem ſibi appetebat, non ſedem Dei independenter ab vnione alterius naturæ, quia hoc erat impoſſibile, neque id ignorabat Lucifer. Voluit ſuperbus æquari Chriſto ex propriæ naturæ excellentia, conſiderans humanæ naturæ inferioritatem: cumque in illa ſuperbia eſſet deturbatus de cœlo, ſtatuit ex tũc illum Chriſtum occidere; & hac de cauſa Dominus hunc Luciferum vocat homicidam ab initio, et licet tunc non eſſet homicida in effectu, fuit homicida Chriſti, et humanę naturæ in affectu, quod & Dominus explicat Ioan. 8. *Deſideria Patris veſtri vultis facere: ille homicida fuit ab initio*, id eſt, in affectu & deſiderijs, ſicut eruditè explicat Fr. Frãciſc. de la Cruz de purit. Concept. ſect. 1. §. 4. n 9. vbi probat, hanc primam ruinam Luciferi proueniſſe ab inuidia erga Deiparam & filium, ibi: *Confirmatur hæc veritas verbis Apoc, 13. Agnus, qui occiſus eſt ab origine mundi, de Chriſto Domino dictum, qui cum non ſit occiſus effectu, affectu diaboli occiſus intelligendus eſt in ipſa origine mundi, ideoque ei reuelatum myſterium Incarnationis, noluiſſeque exhibere cultum, & occidere ſanxiſſe*, & ibidem reprobat eos, qui hunc locum cap. 13, Apoc. accipiunt de morte Abel, in quo dicunt occiſum eſſe Chriſtum in origine mundi: præterquam Abel non fuit occiſus in origine mundi, ſed multis annis à mundo

condito

condito, nisi origo, latissima acceptione sumatur, nulla causa cogente.

36 Constat ergo ex dictis, casum & ruinam primam Luciferi accidisse propter mysterium Incarnationis: & quia ei fuit reuelata B. Maria, & eius filius: et simul quia cognouit, ita magnam futuram gloriam, & dignitatem Matris, et Filij, vt sine mensura excederet dignitatem Luciferi in primo sui esse collatam; quapropter magis cruciari, inuidiaque torqueri Luciferum, fuit necesse, cognoscens, se à pura creatura Maria superatum, et à Christo in quantum homine. Quæ cum ita sint, maxime consonum est, cum agitur de Deipara sub hac muliere Apoc. quod repetatur prima ruina Luciferi, quę prouenit propter Incarnationis diuinũ mysterium; et cum ad videndam hanc imaginem, apertum fuerit templum Dei in cœlo, vt diximus cap. antecedenti, in eo, & in Verbo visa sunt omnia, quæ fuerunt ab initio circa matrem, & ostenditur Maria existens in mente diuina, & etiam pugna, & casus Luciferi, qui ex tunc cognouit quod futura erat Mater Dei: nam semper fuit mater, ita Chrysolog. serm. 146. *Maria Mater vocatur, & quando Maria non mater?* Et D. Bern. serm. de signo magno: *Ipsa est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput, virtutis pede contritura.* Idem dicitur in cap. inuenta 27. q. 2. vbi dicitur vnigeniti Dei Mater æterna, in editione Lutetiæ.

37 Sed licet hæc solutio videatur genuina, adhuc obstat textus Apoc. d. cap. 12. vers. 10. ibi: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei die ac nocte, & ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni.* Videtur enim ex his verbis, quod in hoc cap. 12. Apoc. non loquatur prophetia de prima ruina Luciferi, quia tunc non erat accusator hominum, neque homines tunc existebant, nec tunc vicerunt eum in sanguine Agni, & licet Lucifer in figura serpentis seduxerit vniuersum orbem in primis parentibus; cum ipsis peccãtibus, omnem hominem peccare feci-

fecisset: tamen adhuc ruina Luciferi erat antecedens, neque potuit homines ante ruinam suam accusare, vt inquit hic textus. Sed huic difficultati espondetur, quod diabolus vocatur accusator ante primam ruinam, non in effectu, sed in affectu; sicut etiam ex tunc dicitur homicida supra n. 37. vnde nil mirum quod ex tunc tribuantur ei proprietates, & effectus posteriores in cognitione Dei, et Angelorum, qui omnia vident in Deo.

38 Ego existimabam in hoc cap. 12. Apoc. tractari de triplici ruina Luciferi. Prima fuit, cum proiectus est de cœlo materiali. Secunda, quia proiectus fuit de cœlo animato Mariæ, & in conceptione eius cæpit deficere à dominatu, quem habebat in hominibus per peccatum originale. Tertia in Incarnatione Domini, vbi cæpit cadere à dominatu, quem acquisierat per officium tentandi; quia Saluator venit eijcere foras Principem tenebrarum. Et in his duabus vltimis ruinis iam erat accusator. Tres has deiectiones è cœlo complectitur textus Apocalyp. Pro prima ibi: *Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est amplius in cœlo.* Deinde additur, & est secũda ruina, *& proiectus est draco ille magnus*, quæ deiectio est de cœlo illo animato Mariæ: nam quamuis in Adam seduxit vniuersum orbẽ, fractũ tamen est caput draconis in Maria, & in illa proiectus est. Tandẽ fit mentio tertiæ ruinę: *& proiectus est in terrã, & Angeli eius cũ eo*, quæ pertinẽt ad Incarnationẽ Christi, vitam, & Passionẽ eius, in quibus superatus est infernus; & dæmones cognouerunt, quod Saluator venit comprimere, & deijcere eos, *Quid venisti ante tẽpus torquere nos?* Ex quo dicitur in hoc c. 12. Apoc. quod diabolo in illa prima ruina nõ fuit amplius locus in cœlo, sequitur, quod eadẽ deiectio ei designabatur in Maria, & Iesu, iuxta illud: *Et in me non habet quidquam.* Idem in Deipara, quæ Christi anima dicitur, & tota in toto corpore Saluaroris

residebat, & tota in quolibet eius membro commorabatur, vt dicit Haye hoc cap. 12. Apoc. n. 88. Ex quo deiectus est Lucifer à cœlo, non potuit locum habere in Cōceptione B. Mariæ, quam constat esse cœlo perfectiorem, sup. n. 3. Ex quo dicit textus, quod Lucifero non fuit amplius aditus ad cœlum: *Neque locus inventus est amplius in cœlo* sequitur, non habuisse aditum ad Mariam, quæ est cœlum nitidissimum, ornatum Sole, Luna, & astris. Do verba S. Patris Andreæ Ierosolym. ex Græco translata: *Congratulamini mihi* (verba sunt sanctissimæ Annæ in ore huius Doctoris) *omnes omnino tribus Israel. Concepi in vtero cœlum nouum, ex quo breui orietur salutis astrum, nempe verus largitor lucis, magna vocis contentione iubilabat Anna.* Est Deipara cœlū nouum, purum, & nitidum, sine tenebris ab vtero matris, à conceptione, cum dicat: *Concepi in vtero cœlum nouum.* Lucifer à prima deiectione, vt dicitur in hoc capite, non potuit amplius habere aditum ad cœlū, ergo nec in illa cœlesti Cōceptione Mariæ, quę nitidissimo cœlo comparatur. Et hanc rationem commendat P. Ioannes Anton. Velasq. de Concept. lib. 2. dissert. 1. adnot. 2. n. 4. & ex ea depromit puritatem Conceptionis Beatæ Mariæ, et vide supra.

39 Non obstat tertia difficultas. Nam quamuis dubitabile sit, an partus Virginis celatus fuerit diabolo, nec mediocrē difficultatem locus ille Sancti Ignatij Martyris doctoribus generauerit, vt dicit Reuer. Fr. Benedict. de la Serna in suo triumpho Mariali §. 11. n. 11. cum diabolus non amiserit naturalem scientiam, & actiones exteriores & visibiles ipsi pateant, & aliquando ex corporeis motibus circa interiora coniectetur, vt in cap. sciendum. §. aliquando, & in cap. fin. 26. q. 4. Nihilominus standum est sententiæ sancti Martyris, & dicendum, quod virtute diuina occultatus est diabolo partus, sicut etiam occulta fuit diabolo Virginitas Mariæ, vt dicit textus in cap. pudor 32. q. 2. ibi: *Vt Virginitas Mariæ falleret Principem mundi*; nam cum videbat Ma-

Solut. ad 3.

riam

riam habere Filium, credebat, eam non esse Virginem. Dicebat enim Origines relatus in cap. inuenta 27. q. 2. *Dico coniugem propterea, vt diabolo virginitatem eius occultem.* Restat ergo, quod diabolo celatus fuerit partus Virginis, vt etiam fatetur Serna vbi proxime. Quomodo ergo in præsenti diabolus stetit ad deuorandum nasciturum? Dico, quod in veritate fuit celatus partus diabolo, sed erat dubius, considerans Angelicam illam puritatem Deiparæ, & sanctissimi Sponsi Ioseph; & in hac dubietate nasciturum deuorare tentabat, sicut etiam fuit dubius quando tẽtauit Saluatorem: *Si filius Dei es*, & propter hanc dubietatem diabolus suggerebat in corde Herodis, vt interficeret puerum, quod est de mente sancti Ambrosij relati à glossa Ordinaria in hoc capite 12. Apoc. ibi: *Possumus per mulierem, Beatam Mariam intelligere. Draco stetit ante eam, vt filium eius deuoraret, quia in exordio natiuitatis Christi, eum per Herodem ministrum suum interficere voluit.* Vel dicamus, quod diabolus non ignorabat, humanam naturam à Verbo assumendam; hinc illi venit ruina, & ex tunc in mente habuit, hominem Christum deuorare. Stetit ergo ab illo tempore ruinę per suam malitiam, in suo affectu, in sua destinatione ad deuorandum filium, quem adorare recusauit: & cum in præsenti referatur ille primus casus Luciferi, in quo proper matrem, & filium deiectus est de cœlo; ex tunc in suo affectu stetit ad deuorãdum filiũ, sed in effectu non potuit deuorare, quia fuit celatus, & etiam quia non potuit lumen apprehendere. Dicendum etiam, quod diabolus stetit ad deuorandum filium, non physicè, sed moraliter, vt in Zachar. cap. 3. vers. 1. *Et ostendit mihi Dominum Iesum, Sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini, & Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.* Eodẽ modo in hoc cap. 12. Apoc. stabat, vt deuoraret, id est, vt aduersaretur ei. Stabat, ne Dominus Iesus prævaleret in redẽptione nostra; et hoc est *deuorare* moraliter, non physicè.

Non

40 Non obstat difficultas quarta de fuga mulieris in solitudinem, vbi pascitur à Deo diebus mille ducentis sexaginta; Propter summam difficultatem horum verborum fecerunt Doctores fugam ad Ecclesiam, quam repræsentari in hac muliere contendunt, & aduersus eam, Antichristi tyrannidem instituendam, duraturamque affirmant diebus mille ducentis sexaginta, & eo tempore Ecclesiam migraturam in desertum. Sed verius est expressam esse prophetiam de fuga Beatæ Mariæ; nec potest hæc fuga per dies mille ducentos sexaginta referri ad Antichristum à cuius conspectu fugiet Ecclesia; quia tyrannis huius impij perdurabit tres annos & dimidium, vel quadraginta duos mẽses, vt dicitur Apoc. 13. vers. 2. Dies autem mille ducenti sexaginta non efficiunt tres annos & dimidium, nam annus ex antiqua computatione constat diebus trecentis sexaginta quinque; ex cap. quadragesima, de consecrat. dist. 5. & l. 4. §. stichus, ff. de statu lib. et facto calculo, dies mille ducenti sexaginta nõ explent tres annos & dimidium. Eruditissimus Maluenda lib. 8. cap. 12. existimat, dies decẽ & septem, vel viginti, detractos in præsenti ex numero trium annorum, & semissis anni, computandos esse in eundo & redeundo Ecclesiam de deserto. Eximius Doctor Franciscus Suarius tom. 2. disp. 55. sect. 2. ea ratione dicit detractos, quod Elias, et Enoch post viginti dies persecutionis, suam prædicationem instituent. Sed hoc coniecturale est, nec egemus hac coniectura in præsenti.

Solut. ad 4.

41 Quod si quis contendat, in præsenti fieri computationẽ anni iuxta ritum & mores Hebræorum, vt constet trecentis sexaginta diebus, vt voluit Eusebius Pamphilus Chronic. priore lib. conuincetur ex eo, quod in lege Gratiæ nõ vtimur mensibus, nec ritibus Iudæorum, vt in cap. Peruenit de consecrat. dist. 3. & in cap. sæpè 28. q. 1. Rursus quia grauissimi Doctores tenent, annum Hebræorum constitisse ex trecentis sexaginta diebus: ita Arias Montanus in libello

bello Danielis, siue de seculis. Ioseph Scalig. lib. 3. de emẽdat. temp. priscor. Heb. Tornielus in Annal. sacr. ann. 1656 & sic omni ex parte claudicat computatio dierum 1260. relata ad tres annos & dimidium persecutionis Antichristi. Scio, hanc fugam in solitudinem à quibusdam applicari Beatæ Mariæ, quam Diuus Ildefonsus solitudinem Dei appellat in libro de Virgine Maria cap. 7. Aliter Ambrosius in præsenti, ibi: *Vnus enim masculus, quem Virgo Maria peperit, & mulier fugit in solitudinem, solitudinem Christum vocat.*

42 Cur ergo diuersamur per ambages? Clara est hæc prophetia de fuga Virginis in Ægyptum: id acoluthia & series prophetiæ demonstrat: nam post partum dicit: *Et mulier fugit in solitudinem.* Nonnè hæc eadem fuga, quæ expressa est in Euangelio, et antea prædicta à Prophetis? Dicitur enim Matth. 2. vers. 13. *Fuge in Ægyptum*, & vers. 14. *Et secessit in Ægyptum.* Esai. 19. *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingreditur Ægyptum.* Oseas cap. 11. *Ex Ægypto vocaui filium meũ*, & vt ait D. Chrysostomus 2. Matth. *Ista quæ domum suam nunquam egressa fuerat, ærumnosa itinera conficere iubetur propter partum mirabilem, & spirituales parturigines.* Dices, ergo Beata Maria habitauit in Ægypto diebus mille ducentis sexaginta? Ita est ex verbis huius capitis 12. Habent Doctores arduum, intricabile, variumque certamen, quot annis Deipara Ægypti fuerit incola. S. Epiphanius hæresi 51. dicit habitasse duobus annis. Pater Tyrinus in Chron. cap. 49. contendit, minori tempore habitasse, quamquam anno tertio fuisse regressam in Israel ex communi sententia referat, ibi: *Anno tertio suo, monente Angelo, ex Ægypto in terram Israel regreditur, in quo & antiqua martyrologia, & moderni chronologi conueniunt.* Inuenio etiam antiquum Nicephorum lib. 1. cap. 14. item Druthmarum 2. Matth. existimare, tribus annis paulo amplius incolam fuisse Ægypti, P. Barradas tom. 1. lib. 10. cap. 9. de

fuga

fuga in Ægypt. fol. 422. ad quinque annos extendit incolatum. Tandem D. Bonauentura de vita Christi ad septem annos incolatum extendit. Sed hanc varietatem componit textus Apocalypsis, dum dicit, quod habitauit diebus mille ducentis sexaginta, id est, tribus annis, & quinque mensibus paulo plus, in quo conueniunt Nicephorus, et Druthmarus vbi proximè: et si est aliquis excessus in computatione, hic tribuendus dilationi factæ in eundo, et redeundo in Ægyptum, et ad Nazareth; & ne amplius hæsitemus, series ipsa, & contextus prophetiæ, partus mulieris, & post cum secuta fuga, rem patefaciunt, & interpretationem commẽdant. Expressa est in sacris litteris hæc fuga tam in filio, quam in Matre, et in Ioseph. De filio. Cant. 8. *Fuge super montes aromatum*, id est, ad Ægyptum iuxta hortos balsami, vt dicemus infra. De matre iuxta nostrum textum: *Et mulier fugit in solitudinem.* De sponso, Matth. 2. vers. 13. *Fuge in Ægyptum.*

43 Videamus nunc, in qua parte Ægypti Virgo habitauerit? S. Thomas, & S. Anselmus Matth. 2. dicunt habitasse in Ciuitate Heliopolis. Doctissimus Abulẽsis ibidem in quęst. 6.. affirmat, incolatum, et domicilium Virginis fuisse in Heliopoli, & Babylone Ægypti. Borchardus in Geographia Ægypti scribit, domiciliũ Deiparæ fuisse iuxta hortũ balsami, in situ, quem vocant Mathaream, inter Heliopolim, et Cairum. Sed Frater Antonius del Castillo in suo Itinerario Terræ sanctæ constantissimê tenet, Virginem habitasse in Babylone Ægypti, quæ hodie dicitur Cairus, sed in Matharea habitasse duos menses; additque in his partibus loca ostendi, in quibus Beata Maria vixit, fontem prę terea durare in situ Mathareæ, quo rigatur hortus balsami, qui dicitur hortus Iesu. Demonstrat idem Castillo, duplicem esse viam à Cairo ad Ierusalem, aliam per desertum, aliam per mare, quæ solet magis frequentari, & quod Beata Maria per viam deserti incessit in Ægyptum. Notissimum

mum est plagam Ægypti esse terram desertã & inuiam: et si vera est sententia Borchardi, quod Virgo degit iuxta hortum balsami, benè comprobatur, quod fugit in solitudinem: et idem Borchardus notat, locum illum Mathareæ iuxta hortum balsami, tunc fuisse desertum.

44 Esto quod Deipara habitauerit in Heliopoli, & Babylone Ægypti: adhuc dicendum est, quod fugit in solitudinem: nam Ægyptus vocatur solitudo, Jerem. 46. *Vasa trãsmigrationis fac tibi, habitatrix filia Ægypti, quia Memphis in solitudinem erit.* Memphis est hodie Babylon Ægypti. Item apud Ezech. cap. 29. *Et erit terra Ægypti in desertum, & in solitudinem:* & inferius: *Daboque terram Ægypti in solitudines gladio dissipatam;* & post pauca: *Daboque terram Ægypti desertam in medio terrarum desertarum.* Nec de alia Regione hæc legimus. Verbum est Domini, et quidem iuratum, quod Ægyptus erit solitudo, vnde in sensu scripturarum benè appellatur solitudo, & hoc est epitheton eius. Idem est fugere in solitudinem, quod fugere in Ægyptum in stylo Dei, cuius verba non possunt frustrari. Dicitur etiam Ægyptus solitudo, quia est populus barbarus, iuxta illud: ***In exitu Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro.*** Populus barbarus & Gentilium dicitur solitudo & desertum, vt dicit Fr. Alphonsus Orosco in Cantic. cap. 8. ibi. ***Et peculiariter gentilitas ipsa desertum vocatur.*** Hinc Ieremias Ierusalem deplorabat solam & solitariam, & rectè: nam typus erat Ægypti, et spiritualiter Ierusalem nuncupatur Ægyptus in cap. 11. Apoc. Habemus etiam in iure nostro textum & glossam in cap. 1. de verbor. significat. lib. 6. præcipuè in §. illum, vbi loca infidelium appellantur desertum, & solitudo.

45 Restat explicare, qualiter dicatur Ægyptus locus paratus Beatæ Mariæ in d. cap. 12. ibi: *Vbi habet locum paratũ à Deo, vt ibi pascant eam.* Dicendum paratum fuisse locũ à Deo in decretis suis, quod iam olim manifestatum erat per

N Pro-

Prophetas, Isai. 19. *Ecce ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum*, qui locus in sententia Patrum est de Beata Maria, & de fuga in Ægyptum cũ Domino Iesu. Paratum locum dicimus locum destinatum antecedenter; Ioan. 14. *Quia vado parare vobis locum*, & in Psalm. 96. *Parata sedes tua Deus ex tunc*, & Matth. 26. *Vbi vis paremus tibi comedere pascha?* Rectè etiam dicitur, quod eo tempore quo mulier fugit in solitudinem, pauit eam Deus: cum enim mandato Dei fugisset, cura alimentorum ad Deũ spectabat, & erga matrem suam maiora beneficia impendit in alimentis præstandis, idque summa cum eruditione demonstrat Pater Ioannes de la Cerda, de excellent. cœlest. spirit. cap, 41. n. 24. & n. 25. vbi affirmat, Deiparam nutritã ab Angelo, tam in Ægypto, quam in templo, & D. Bonauẽtura in medit. vit. Christ. cap. 3. ex Diuo Hieronymo dicit de Virgine; *De esca, quam de manu Angeli accipiebat, ipsa reficiebatur*. Et leges seculi hanc curam alimentorum erga matrem maximè commendant. l. si quis à liberis §. vtrum ff. de liber. agnosc. & maiori prouidentia, quam habuit olim cum filijs Israel, quos eduxit de Ægypto, vt Exod. cap. 19. *Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptijs: quomodo portauerim vos super alas Aquilarum, & assumpserim mihi*. Et Esdras lib. 2. cap. 9. *Quadraginta annis pauisti eos in deserto*, vbi vtitur verbo *pascere*, sicut in prophetia Apocalypsis. Quæ, quantave gaudia spiritualia perceperit Beata Virgo Maria (in hoc exilio), nec dici, nec explicari poterit; satis sit notare, quod pauerit eam Deus, cuius spiritus suauis super mel & fauum: suauis in omnibus, vt dicitur Sapient. 12. & in Psalm. 42. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*, & Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos*. Et Esai. cap. 66. *Declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam*, & alibi: *Gustate & videte, quã suauis sit Dominus* Manet ergo ex dictis firma propositio, quod hęc fuga mulieris designet fugam Virginis in Ægyptum. Ul-

46 Illud libet ad notare pro his, qui hæc verba, *Et mulier fugit in solitudinem*, explicant de Assumptione Beatæ Mariæ in cœlum, quod possunt etiam se expedire à contrarijs, si solitudinem interpretentur pro cœlo; item tempus mille ducentorum sexaginta dierum possunt explicare pro tempore indeterminato cum Diuo Bernardino Senensi in præsenti: *Mulier fugit in solitudinem, id est, in cœlum per contemplationem, quod dicitur solitudo, & terra deserta propter certam tumultus carentiam, & quia derelictum fuit à Lucifero & socijs eius*; & paulo infra: *Vt ibi pascant eam Angelorum esca inæstimabili, diebus mille ducentis sexaginta, id est, duratione interminabili.* Et soluitur quartum dubium.

47 Non obstat vltima difficultas circa alas Aquilæ mag- *Solut.*
næ, quæ datæ sunt mulieri, vt volaret in desertum, in locũ *ad 5.*
suum, quæ non videntur conuenire B. Mariæ; sicut neque flumen illud, quod misit draco post mulierem, nec cætera, quæ expendimus supra n. 27. Verum antequam meã sentẽtiam proferam, illud adnotabo, quod eruditissimi viri Episcopus D. Fr. Franc. de la Cruz, & P. Didacus de Auẽdaño Societatis Iesu in hac Antartica Peruuij plaga, in prædictis alis, & in hoc flumine promanante de ore draconis, constituunt præcipuum fundamentum immaculatæ Virginis Conceptionis. Ille in suo tract. de purit. Concept. sect. 1. §. 4. n. 39. sic ait: *Illud autem flumen ex ore draconis egrediens, peccatum originale, quod ex ore eius tentantis habuit principium, significat, quod Virginem non tetigit, vt dicitur cap. 12.* Hic in suo Epithalamio eruditissimo, siue in suo carmine nuptiali fol. 445. ita loquitur: *Dictum præterea verissime à Damasceno lib. 4. de fide cap. 15. Gratia Dominã parit. An non illa naturæ filia? Non vtique. Naturam à natura supra naturæ consuetudinem assequitur, vt non tam naturæ filia, quam gratiæ sit. Quid autem gratia nisi gratiosum, purum, & ab omni sorde alienissimum parturiret? Dicamus ergo illi cum*

Sancto

Sancto Ephren. orat. de illius laudibus: Aue præstantissimum totius orbis terræ miraculum. Facessant procul, & absistant, qui miraculum omnium præstantissimum, naturæ legibus communibus contendunt emetiri; hi non aliter mihi videntur philosophari, quam si quis obstinatè assereret, nullum corpus ex materia terrestri formatum posse se supra aera librare, & naturali motu per supernas regiones euagari, sicque argueret: terrenum est, debet ergo more aliorum terrestrium corporum super terram moueri. Hic non conueniendus aliter, quam volatilium complurium ostensione, quæ terrena cum sint, supra terram assurgunt, & cœlestem quodammodo obtinent conditionem. Ita profecto illorum procedit discursus, qui Virginem, eo quod filia terreni Adami sit, volunt per terram repere, & maledicto teneri serpentis, cui dictum: super pectus tuum gradieris, Genes. 3. Leuate capita vestra, quæso vos, docti viri, & alitem (attendite) *considerate Deiparam; nec alas solum, sed Aquilæ Magnæ alas ipsi diuinitus attributas; filia est Adami veteris, sed mater noui: inde terrena; hinc aligera, & cœlestis, quod circa citatum Apocalypsis locum aduertisse iuuabit: Quæ peperit masculum, & datæ sunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ: partus masculi in causa fuit, vt alæ ingentes ipsi tribuerentur. Vnde aligera? quia mater; vnde cœlestis? quia secundus Adam de cœlo cœlestis, 1. Corit. 15.* Hactenus eximius P. Auendaño, cuius verba pulchra, sensus profundus, eloquentia aurea, et penè diuina, pro immaculata Deiparę Conceptione, quę maximè commendant nostrum assertum, quod B. Virgo computanda sit inter creaturas cœlestes potentia gratiæ, vt diximus cap. 5. in primo sigillo, & in principio huius capitis.

48 Addit idem eximius P. Auendaño vbi proxime, quod B. Maria mutata fuit in Conceptione; neque illa à culpa originali volauit ad gratiam, sed sine fœdaretur culpa, supra naturæ conditionem vsque ad Deum aduolauit: vbi alij cadunt, et capiuntur, volat Maria; et frustra tenditur,

aut-

aut iacitur rete inimici, infestantis conceptiones hominū, ante oculos pennatæ Aquilæ, vt dicitur Prouerb. cap. 1. vers. 17. ibi: *Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorū.* Non est cur in Virginis Conceptione, naturæ iura requiramus: illa Conceptio Beatæ Mariæ fuit negotium gratiæ: est mulier cum alis gratiæ, quæ ab initio volauit à facie serpentis: est mulier â capite ad pedes facta in luce, neque possunt lucem tenebræ comprehendere. In hac muliere tota se occupauit plenitudo gratiæ. In hac muliere videmus multas, & mirabiles in natura vniuersa mutationes, idque notat idem P. Auendaño: *Multæ & mirabiles in natura vniuersa mutationes, terra mota est, Psal. 67. Montes exultauerunt, vt arictes. Psalm. 113. Stetit vnda fluens Exod. 15. Et erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, Exod. 14. Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris: sed quomodo siccum esse tam cito potuit? Flante vento vehementi, & vrenti tota nocte. Ibidem vides mutationes circa omnem naturam mirabiles. Cum ergo similis prædicatur victoria Virginis, iura in ipsa natura innuuntur exclusa, vt ipsa pede sicco originalis pelagi vada pertransiret.* Quæ maximè conducunt ad roboranda ea, quæ scripsi cap. 4. *et* 5.

49 Doctus P. Syluester de Saauedra in sacra Deipara disput. 16. sect. 10. n. 588. constanter habet, in his alis, et volatu mulieris in desertum, significari purissimam Virginis Conceptionem, volatumque illum in desertum adumbrare immunitatem originalem Virginis, ita vt idem sit volare in desertum, quod volare in sanctitatem, et iustitiam originalem. Do verba Doctoris: *Sperabat draco Apoc. 12. parientem mulierem, circumamictam Sole, vt illam, & filiū inuaderet, suæque ditioni subijceret; sed datæ sunt ei alæ duæ, vt desertum peteret ocius, vel etiam ocissimè: vestita itaque plumis, & alis Maria Sanctissima à dextris filij vbique regnantis monstrat, non obscuræ nubis caligine, sed luce clarissima filium in sua Conceptione regnasse, & decorem induisse, vt deco-*

rem etiam induerct matrem, illumque fulgentissimum, & gloriosissimum. Verum diligenter aduerte, quod vt Maria abiret in locum suum, id est, in sanctitatem (exaltata enim est in Cades, hoc est in sanctitate) datæ sunt ei alæ duæ Aquilæ magnæ, quæ tamen masculo infanti, id est, Christo Domino non sunt concessæ quia cum hæ alæ mulieri darentur, vt serpentem fugeret, etiam ne traheretur à flumine originalis piaculi, necesse non fuit; alæ darentur infanti; ex eo etenim, quod mulier, & Virgo esset, & præseruaretur à peccato originali, præseruatus masculus censebatur, quia ab hac margarita eduxit Verbum omnes virtutes, vt aiebat sancta Hildegardis; imo Christus præseruatus à noxa communi (vt ostendit ex Damasceno Doctor Angelicus superius non semel citatus) quia ex Virgine Sanctissima prodijt. Verba quidem mirabilia, & memoriæ mandanda, quibus illud addi poterat, quod huic mulieri, quia ipsa ex natura sua fugere non poterat, cum sit filia Adam, ex gratiæ priuilegio alæ datæ sunt, quibus à conspectu draconis euolare posset. Draco iste noster, id est, peccatum originale, non potuit matrem nec filium deuorare; filium nō potuit propter diuinitatem; matrem non inuasit propter priuilegium. Christus vicit draconem alis propriæ virtutis, sed mater alis gratiæ & diuini fauoris; ideo dicitur: *Datæ sunt mulieri alæ.*

FRAGMENTVM.

50 EGo in manuscriptis meis inueni fragmentum meum, exaratum sermone hispano circa has alas, & fugam in desertum, quod placuit in præsenti transcribere. O Maria soberana, Señora nuestra! Que podrè dezir en tu alabança, quando las de los Angeles no llenan tu grandeza? Pero eres objeto tan supremo, que redundan glorias para alabarte, aun en las lenguas de los infantes. Quien pudo poner en ti manchas, que recapitulas las luzes de todos,

los

los Astros, de que te vio vestida Juan desde el principio tuyo hasta el fin: desde tu cabeça a los pies? Defecto es de la vista representarse manchas en el Sol, assi sucede con los que te las ponen. Tu eres la escritura exterior del libro sellado del Apocalypsi, que estaua escrito en lo exterior, e interior: *Intus & foris*. Por la escritura interior se explica el Verbo tu Hijo, que como Dios, es necessario se ocul-te, y tambien por su sabiduria, que se esconde a todas las criaturas, sino se la reuela. Por la escritura exterior se manifestò el Verbo en ti (Señora) al mundo, siendo tu y el vna carne, y aquel Verbo Dios escondido, en ti se hizo carne, como dize Iuan en su Euangelio: *Et Verbum caro factum est*; y Pablo vsando del mismo verbo *factum*, dize ad Galat. 4. *Factũ ex muliere*. Y en ti Señora aparecio su gloria, y Magestad, y se vio aquel libro Verbo diuino manifestando su exterior escritura, y assi se aparecio primero a los Pastores. Como pues, siendo tu la escritura exterior de aquel libro, auias de tener mancha? Nunca esta cae en el libro vniuersal Dios; y estando tu compaginada en dicho libro, seria cosa monstruosa el verte manchada, lo qual era impossible: porque no llegan las tinieblas a comprehender la luz; y siendolo tu de aquel libro, nunca pudieron tener en ti parte, como ni en tu hijo la culpa, ni el autor della; ni pudo romper los sellos de aquel libro para tocar a su escritura exterior. Tu eres la escritura exterior de este libro, y mirandote por esta parte, bien dizen los Doctores, que este libro sellado te representa. Bien se, Diuina, que el fruto, que pariste fue bendito, y que virgen pariste el Santo: no dà fruto deste genero el arbol que fuesse amargo en la raiz, ni pare a la luz la causa que tuuiesse ascos, y negreguras en su fuente. Yo me acuerdo que tu hijo quando subio a los cielos, su primer entrada, y nacimiento en quanto Dios hombre a aquella region lucida, fue ponerse sobre ellos: *Ascendit super omnes cœlos*: quizà, porque los cielos

los tuuieron a Luzbel pecador, y a ſus ſequazes. Acuerdome tambien, que para el cuerpo difunto de tu Hijo, ſe buſcò ſepulcro nueuo, en que nadie huuieſſe entrado; y aſſi no creo q̃ entràra en tu vientre, ſi alguna vez huuieſſe ſido bituminado con la brea del pecado. Bien ſè, q̃ ſe eſpãta la naturaleza de ver, que de la maſſa mãchada de Adan, de quiẽ eres deſcendiente, pueda ſalir pan floreado, candido, y lucido, qual tu lo eres. Pero no te han de medir con las leyes de naturaleza, puesto que en ti ſe anticipò la gracia, y te vio Iuan en el Apocalypſi, que volabas al deſierto, y que para ello te dieron alas de Aguila, y que en ellas venciſte el rio, diluuio vniuerſal, en que nos anegamos todos, el rio que ſalio de la boca del engañador; en que anegò a nueſtros primeros Padres, y a noſotros; apartando Dios de ti la agua hedionda, que ſalio de aquella ſentina y bomba infernal; que a todos nos pudre, y nos llena de lepra, y tiña. Diote alas de gracia y miſericordia, que ſon las dos con que te defendio, como ſe dize en el Cantico. *Magnificat*, ibi: *quia fecit mihi magna*; & ibi: *& miſericordia eius à progenie in progenies*. Diote alas para ſignificar, que no te han de tener por criatura terrena, ſino celeſte, y en eſtas no ay culpa original. Diote alas para que pudieras huir al deſierto, eſto es, al camino de la juſticia original en tu Cõcepcion: al camino de la ſantidad, que dexò Adan, y todos noſotros en el. Quedó el camino de la gracia original deſierto: *Omnes declinauerunt à via, ſimul inutiles facti ſunt:* Pero tu, Señora, con alas de gracia volaſte a el en tu Concepcion, que por eſſo ſe dize que es tu lugar: *Volauit in deſertum in locum ſuum*: volaſte del rio del pecado original en que nos anegamos todos los que ſomos cõcebidos ſin alas al lugar tuyo, que es la gracia. A ti ſola te ponen alas para ſignificar tu pureza Angelica. Aora entiendo yo viendote con alas, que eres el Angel, que ſube del orto del Sol, y tiene la ſeñal de Dios viuo para ſeñalar todos los que ſe han

de

de ſaluar, como ſe nota en el capitulo ſeptimo del Apocalypſi. Angel por el miniſterio, *& Seraphim incomprehenſæ viſionis* te llamó Epiphanio de laud. Deiparæ. Cherubin, y Trono te llama Coſme Hieroſol. Carm. de theog. y Damaſceno orat. 1. de Natiu. Deip. Ya ſé que el orto del Sol es la luz; porque a eſte ſe le agregó la que Dios tenia antes criada: de eſſa luz es tu aſcendencia, porque nadie confieſſe en ti tinieblas: *Aſcendentem ab ortu Solis.* Bien diſcurrieron los que preuinieron tu Concepcion con la miſma creacion de la luz, pues alli ſe radicó por Dios, para que quando tu fueras concebida, por mas prieſa que ſe diera la naturaleza, prefeſtinara la gracia en la vnion del alma, y tu cuerpo, que era donde ſe auia de contraer el pecado original. Hizo Dios, Hortelano diuino, vn ingerto ſoberano, y eſſa planta tuya terrena la ingertó en la luz, y en el candor de los cielos, para que fueſſe toda celeſtial, y el amargor de la ſemilla de tus primogenitores quedaſſe euaquado, y tu tranſuſtanciada en la luz, que por eſto te vio Iuan veſtida de Sol, Luna y eſtrellas. Sino es que diga, que aſciendes en el orto y oriente del Sol, porque eres aſcendiente, y Madre del Dios humanado, que ſe llama Oriente y Sol, que por eſto eſtàs como arco Iris ſobre ſu cabeça, toda Sol en el capitulo diez del Apocalypſi. Todos los demas Santos ſignificados por la ſanta Ieruſalen, ſe dize que deſcienden de Dios, y de ſu claridad. Apoc. 21. *Vidi ſanctam Ciuitatem Ieruſalem deſcendentem de cœlo*: pero tu eres Angel que aſciendes en la luz: *Angelum aſcendentem ab ortu Solis*; los Santos alli ſe dize, que tienen la claridad de Dios, *Habentem claritatem Dei.* Tu aqui, que tienes la ſeñal de Dios, que aunque ſe puede entender por ſu claridad, *Habentem ſignum Dei viui*: con todo explican mas; porque la palabra, *ſphragis*, del original Griego, que el interprete boluio en *ſignum*, no ſolo ſignifica ſeñal, ſino tambien ſignifica ſemejança y forma: *Signaculum ſimilitudinis*; y eſta a nadie le

con-

conuiene como a la Madre de Dios, de quien dixo la luz de la Iglesia Augustino, *Si formam Dei te appellem, digna existis; & in præsenti idem est dicere: habentem signum Dei viui,* que si dixera: *Habentem formam Dei viui*, y de este signo tomó motiuo la profecia de San Ioan en el cap. 12. para dezir: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole*. Hactenus in meo manuscripto.

51 Sed quanquam quatuor superiores interpretationes benè conueniant Beatæ Virgini, & eius originali præseruationi, nihilominus quantum ad sensum litteralem illorum verborum: *Et datæ sunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum*; & sequentium prophetiæ, his interpretationibus non acquiesco. Quare dicendum est, in præfatis verbis & in sequenti contextura cap. 12. tractari de fœlici Assumptione B. Mariæ in cœlũ, et communiter interpretes circa Psalm. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Ita P. Naxera in Mariali serm. de Assumpt. §. 7. vbi probat in hoc volatu mulieris in desertum explicari Virginis Assumptionem, in cuius comprobationem expendit verba Diui Ambrosij; dicit Sanctus Doctor. *Per Aquilam Christum possumus intelligere; duæ igitur alæ datæ sunt mulieri, vt diabolum euadat, & ad cœlestem patriam quotidie conscendat. Hanc namque patriã, desertum vocat, quemadmodum & Dominus dicit in Euangelio, cum se nonaginta nouem oues in deserto dixit dimisisse.* Super quæ verba idem Naxera. *El mismo Ambrosio dize, que essas alas fueron Christo, y que en ellas volô Maria hasta los cielos,* & inferius: *Llamase el cielo desierto, dize Ambrosio, hasta que suba Maria, que sin ella, aun el cielo pudo parecer desierto,* & ante ingressum Virginis, quantum ad creaturas humanas fuit desertum, quantum ad corpora.

Sunt etiam pro hac Assumptionis interpretatione in his alis Pater Ioannes Antonius Velasquez de Concept. lib. 1. dissert. 2. adnot. 3. n. 7. & Archiepiscopus Genuensis Iacobus

cobus de Voragine ferm.9.de Aſſumpt.his verbis: *Alij ſanƈti volauerunt in cœlum cum vna ala, id eſt, cum dote animæ; iſta autem eſt mulier, quæ volauit cum duabus alis, id eſt, cum glorificatione corporis, & animæ, vt habetur Apoc.12.*

53 Ultimo loco expendo locum Sanƈti Epiphanij contra hæreſes lib.3. tom.2. hæreſi 78. vbi ſe dubium fatetur circa duo loca ſacræ ſcripturæ, quæ in ſe non leuem habent antilogiam circa veritatem, an B. Maria mortua fuerit, vel ſine morte volauerit in cœlum. Primò tentat S. Doƈtor, quod mortua fuit, iuxta illud: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Tentat ſecundò, non fuiſſe mortuam, ſed tranſlatam in cœlum ſine morte, per verba huius cap. 12. Apoc. ſic ille: *Et ſi videntur quidam erraſſe, quærant veſtigia ſcripturarum, & inuenerint vtique, neque Mariæ mortem, neque an mortua ſit, aut non mortua, neque an ſepulta ſit, aut non ſepulta, & quidem cum Ioannes in Aſiam inſtituerit profeƈtionem, & nuſquam dicit ſcriptura, quod abduxerit ſecum Sanƈtam Virginem, ſed ſimpliciter ſiluit propter miraculi excellentiam, vt ne ad ſtuporem perduceret hominum mentem. Ego enim non audeo dicere, ſed cogitans, ſilentium mihi impero. Fortaſis enim alicubi etiam veſtigia inuenerimus ſanƈtæ illius ac beatæ; ſicut nec inuenire datur mortem ipſius; alicubi enim Simeon dicit de ipſa, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, quo reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Alicubi verò Apocalypſis Ioannis dicit, quod draco feſtinauit ad mulierem, quæ genuit maſculum, & datæ ſunt illi alæ Aquilæ, & aſſumpta eſt in deſertum, vt ne ipſam arriperet draco. Non autem defimio hoc; & non dico, quod immortalis manſit; ſed neque affirmo, an mortua ſit.* Expreſſe inducit hunc volatum mulieris in deſertũ, et alas eius, pro ſententia, quod aſſumpta fuit B. Maria in cœlum ſine morte. Mihi autem ſufficit locũ intelligere tantum de Aſſumptione Deiparæ in cœlum, vti expreſſa eſt in prophetia: de altero autẽ articulo, an mortua fuerit, vel nõ minime diſputo, præcipuè cum in cap. ſanƈta Romana

dist. 15. apocryphus habeatur quidam liber, qui tempore Gelasij currebat, & appellabatur transitus Sanctæ Mariæ, quanquam non aperiat textus, qua ratione apocryphus dicatur, vel ratione materiæ, vel ratione authoris, vel ratione doctrinæ, in qua miscuisset aliquid reprobatum.

54 Explicamus iam verba prophetiæ, & videamus, qualiter Assumptioni B. Virginis in cœlum conueniant. Dico per alas significari fortitudinem ad vincendum, Isai. 40. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ, current, & non laborabunt.* Ita cum draco festinabat ad Mariam, ad detinendum corpus illius intra terram, iuxta legem communem: *Puluis es, & in puluerem reuerteris,* præfestinauit gratia Dei, dando alas serenissimæ: sic mutauit fragilitatem humanam in cœlestem fortitudinem, & agilitatem, vt esset pennata Aquila, & splendida, quòd non posset à Principe tenebrarum comprehendi. Uel per alas in præsenti possumus intelligere Dei fortitudinem, cuius alæ sunt Aquilæ magnæ. Ezech. 17. vers. 3. *Hæc dicit Dominus Deus Aquila grandis magnarum alarum.* Et Deuteron. 32. *Expandit alas suas, & assumpsit eum.* Verius videtur, quòd assumpta est manibus Filij sui, quæ sunt alæ magnæ, non tantum quâ Deus est, sed quâ homo Malach. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Et vt supra ex Ambrosio aduertimus: *Per Aquilam Christum possumus intelligere.* Assumpta est in alis, in manibus filij. Cãtic. 8. *Læua eius sub capite meo, & dextera ipsius amplexabitur me,* & inferius: *Innixa super dilectũ suum.* Hæ sine dubio sunt alæ Aquilæ magnæ, quæ datæ sunt mulieri in sua Assumptione, vt volaret in cœlum.

55 Prosequitur: *Vt volaret in desertum,* id est, in cœlum, vt supra n. 51. Sed quare nomine deserti cœlum exprimitur? Appellatur desertum propter certam tumultus carentiam, quæ est in cœlo, ita D. Bernardinus Senensis cap. 12. Apoc. Consideremus verba Cantic. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per de-*

desertum, in quibus agitur de Assumptione B. Mariæ in cœlum. Ita Alphons. Orosco in Cantica annot. 14. *Faustissimo illo die veniente, alma mater assumpta est in cœlum, in cuius Assumptione Angeli ipsi demirati inuicem loquebantur, dicentes: quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* Quæ ascendit per desertum, id est, per cœlos. Conducit locus Esaiæ cap. 16. vers. 1. *Emitte Agnum, Domine, dominatorē terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion*: de petra deserti, id est, de cœlo, vt contra communem interpretationem inquit Benonius de nominibus sacræ scripturæ, cap. 3. contendens, hunc locum Isaiæ concordare cum cap. 45. eiusdē Prophetę. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum.* Per desertum sacri Doctores cœlum intelligunt, & ita cum Diuo Gregor. & alijs tenet Aloysius Nouarinus in vmbra Virg. num. 547. & 1725. Richardus de sancto Laur. lib. 4. de laud. Virg. S. Ambros. supra num. 51. Silua allegoriarū, verbo *desertum*, vbi notat, ideo cœlum dici desertum, quia caret peccantibus, & propter alia: de quo etiam nos admonuit P. Velasquez de Concept. lib. 1. dissert. 2. adnotatione 3. n. 7. & ex quo cœlum dicitur desertum quia caret peccantibus, sequitur, quod B. Maria fuit extra omne peccatum, quia cœlum dicitur locus eius, *in desertum, locum suum*. Vide infra in miscellanea.

56 Non prætereas, quod etiam Virgo Beata dicitur desertum, siue petra deserti, de qua mittendus erat Agnus. Ita Guerrico serm. 2. de Assumpt. & id etiam indicat Vigilius lib. 3. contra Eutychem, tom. 5. Biblioth. Hugo Cardin. in cap. 16. Isai. P. Velasquez de Concept. lib. 2. dissert. 6. adnot. 5. num. 1. Ita dum dicitur, quod volauit in desertū, locum suum, demonstrat prophetia, de muliere Virgine Maria loqui, quæ est desertum, id est, cœlū: petra deserti adeó densata, quod non potuit inimicus eam mordere. Idē Guerricus hoc explicat sermone 2. de Annūtiat. ibi: *Emitte Agnum de petra deserti, id est, abscinde petram de petra. Si ergo*

petra

petra Christus est, non degenerat à matre filius, quando & ipsa petræ nomine censetur. Volet igitur in locum suum, quia est tota cœlestis: est desertum, id est, cœlum, & excelsior cœlo: nam sola præter naturam electa est, vt dixit Andreas Crecensis, de Dormit. Virg. ideo in hoc cap. 12. Apoc. apparuit in cœlo; ipsa est cœlestis Ierusalem: locus Mariæ factus in pace, id est, in cœlo; parauit enim Deus in cœlo Maria sedem suam, & de cœlo isto factus est secundus Adam cœlestis. Bene ergo dicitur, quod in Assumptione volauit S. Deigenitrix in cœlum, in locum suum. Alij locum suum habent in inferno, vt Lucifer, damnati, & proditor Iudas, in Act. Apost. cap, 1 *Vt abiret in locum suum.* At locus B. Mariæ cœlum; nam per diuinam gratiam intelligimus, non habendam vt naturæ humanæ filiam, sed eam esse totam cœlestem, ita operante gratia supra naturam; & sicut centrum est locus lapidis, terra hominum, mare piscium, infernus damnatorum: ita Beatæ Mariæ locus cœlum est, non repit per terram; ideo in sua Assumptione volauit in cœlum, locum suum; & sicut ascendens Christus dicitur intrare in gloriam suam: ita Maria per assumptionẽ ingreditur in locum suum, in cœlũ. Posset etiam dici, quod desertum est locus Mariæ, quia ipsa sola mansit in deserto, id est, in via gratiæ originalis, quæ deserta mansit in generatione Adam.

57 Progreditur prophetia: *Vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Verba quidem amara, & quæ magnopere turbare videntur supra traditam interpretationem assumptæ Virginis in cœlum. Interpretes Apocalypsis hærent his verbis, vt in hac muliere explicetur Ecclesia, non B. Maria; & præfata verba contorquent ad tres annos, & dimidium persecutionis Antichristi, vt ly *tempus* significet annum, ly *tempora* duos annos, & ly *dimidium temporis*; semissem vnius anni; & se muniunt locis Danielis cap. 7. vers. 25. & cap. 12. vers. 9. *Quia in tempus, & tempora, & dimium tem-*

temporis: quæ verba expressa sunt de tyrannide Antichristi. Sed vtinam tam certè, sicut accomodatè loquerentur. Examinemus prius valorem illorum verborum Apocalypsis. *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, & eis adiũgamus originalia græca. In græco habemus: *Ecei cairon, cai cairois, cai imisu cairon*. Fateor, nomen *cairos* significare tempus, & sic recta est translatio vulgatæ. Interpretes vero Apocalypsis tempus pro anno habent, de quo nihil vulgata edixit; ipsi vero sic intelligunt, vt tempus pro anno sit, parum soliciti de proprietate nominis *cairos*, quod non significat tempus vtcumque, sed tempus metaphoricè, id est, tempus quatenus est occasio, vel opportunitas, vel ipsum punctum, vel momentũ, in quo res peragitur, vt apud Terẽtium: *En cairo par autom, tom cairon*: Tempus ipsum, prout est duratio mundi, annus, mensis, dies, vel hora, non per nomen *cairos*, sed per nomen *chronos* explicant Græci: et hanc differentiam nominis *chronos*, et nominis *cairos* expresse colligimus Actor. cap. 1. vers. 7. nam vbi nostra Vulgata habet: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta*, origo Græca pro tempore habet *chronos*, pro momento, & opportunitate *cairos*, ibi: *Chronois è cairois*, id est, tempora momenta, siue opportunitates: & ideo in alio sensu accipienda est vulgata, sicut originale, *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis*: non pro anno, sicut meditantur interpretes Apocalypsis.

58 Illud superioribus adiungamus, quod verba illa, *& dimidium temporis*, mysterium habent in gręca origine, vbi pro dimidio est *imisus*, quod componitur ex aduerbio *amà*, & nomine *isos*; aduerbium idem sonat, quod latinè *simul*; nomen *isos*, idem quod *æqualis*; quasi ponatur simul æqualitas in illa intercapedine temporis; sicut æternitas, quæ dicitur esse tota simul, quanquam nostro modo intelligendi etiam Deum introducamus antiquum dierum, etsi non habeat principium, & finem. Et nomen *imisus* Græcum multoties

ponitur

ponitur pro toto; vel pro eo, quod dicitur exaggeratiuè esse plus toto, vt apud Plautum: *Pleon imisu pantos*. Dicamus ergo, quod alitur mulier per tempus, & tempora, et dimidium temporis, id est, per totam æternitatem, quæ per tempus, & tempora, et intermedium temporis significatur, vt apud Isai. cap. vltimo: *Erit mensis ex mense, & Sabbathum ex Sabbatho*, et iuxta illud, *in sæculum sæculi*, id est, per æternitatem; quia in repetitione temporis, & temporum, et intermedij, significatur tempus interminatum, vt ipsa gloria sine finitione temporis ipsi Virgini opportunè obveniat, quasi debita in loco suo. Vel intelligamus tempus illud, & tempora, pro puncto illo interminabili fruitionis B. Mariæ in sede maiestatis gloriæ, de quo inferius patebit in hac explicatione temporis: sic Vulgata cum Græca origine in omnibus consonat.

59 Ponamus, vt volunt interpretes Apocalypsis, quod nomen *cairos* simpliciter significet tempus, vt nomen *chronos*: ex hoc ne statim dicemus, quod tẽpus significat annũ? Cur nomen ambiguum, & varium ad vnam temporis speciem contrahamus? Tempus simpliciter sumptum refertur, vel ad totam terminationem huius sæculi, vel ad mille annos, vel ad centum; sic etiam ad annum ad mensem, ad diem, vel ad horam, vt habent lexica græca, et latina, verbo *tempus*, verbo *chronos*; & Calepinus ibidem, tempus accipit indefinitè, vt sit pars quædam æternitatis. Et apud nos tempus indefinitè sumptum, & sine præfinitione significat vetustatem, siue diuturnitatem, cuius non extat memoria, vt l. 1. §. fin. l. 2. in princ. l. fin. cum glossis. ff. de aqua pluv. arc. Similiter in tota Apocalypsi Ioannis *tempus* modò largè, modò strictè accipitur cap. 1. *Tempus enim prope est*, cap. 10. *Tempus non erit amplius*, cap. 12. *Sciens, quia modicum tempus habet*; cap. 20. *Oportet eum solui modico tempore:* quæ loca interpretantur Doctores cum magna temporis latitudine, vt etiam *tempus* in pluribus ex præfatis locis recipiant

pro

pro duratione huius mundi. Hanc temporis ambiguitatem explicant chronographi, & hi, qui speciales tractatus ediderũt circa computationem anni magni, vel maximi, quos congerit eruditissimus Carranza. de legit. part. cap. 12. §. 1. Nobis autem sat est referre verba Chalcidij, qui ita de tempore, & anno magno commentatur: *Est tamen intellectu facile, quod perfectus temporis numerus perfectum annum compleat, tum demum, cum octo circumactionum cursus peracti, velut ad originem & caput circumactionis alterius reuertentur, quam semper idem, atque vniformis motus dimetietur.* Quæ cum ita sint, cur ad annum solarem, vel vulgarem, tempus retorquent, & verba prophetiæ? Tolerabilius esset, si acciperetur tempus pro anno magno, qui secundum Aristarchum est annorum vertentium 2484. & secundum Aretem Dyrrachinum annorum 5552.

60 Instant pro sua opinione Apocalypsis interpretes testimonijs Danielis, de quibus infra, quibus locis *tempus* computatur iuxta formam anni solaris, & vulgaris. Sed certè ea loca Danielis nil commune habent cum hoc cap. 12. Apoc. nec sunt translata de Græco in latinum, sed versa sunt de origine Hebræa in vulgatam latinam. In Daniele communis opinio *tempus* pro anno habet, ibi: *Tradentur in manus eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Sed inspecta origine hebræa, multum dubitat de hac communi interpretatione Doctissimus P. Franciscus de Ribera ibidem, quanquam ipse acquiescat communi opinioni, forsan, quia in explicatione Apocalypsis sub hac muliere intelligit Ecclesiam. Inspecta autem radice hebræa, verba sonant multitudinem annorum sine limitatione, apud Danielem; cum cap. 7. legatur *ghidanim* numero multitudinis; similiter cap. 12. Dan. vbi legitur *moghadim*: vtrumque nomen in hebræo non habet limitationem annorum: nisi iam interpretes se velint defendere cũ versione sancti Doctoris Hieronymi: nã vtroque loco pro *ghidanim*, quod

O modo

modo habemus in textu in duali numero legit *ghidanaim:* & pro *moghadim* legit *moghadiam*, etiam in duali, id est, duo tempora; stando itaque radici, & origini nulla efficacior aduersus interpretes probatio, quam ea, quæ deducitur ex dictis locis Danielis.

61 Probemus nunc nostrum assertum, quod in his verbis Apocalypsis, *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, non annus vulgaris, sed multitudo annorum intelligatur. Et primo inuenio S. Augustinum tom. 9. in sua explicatione Apoc. homil. 10. tempus hoc in hac muliere accipere pro centum annis. Cardinalis Hugo *tempus* in præsenti accipit pro toto tẽpore præsentis vitæ. S. Ambrosius, & Primasius accipiunt *tempus* hoc loco Apoc. pro toto tempore, quod currit à Christo Domino vsque ad consummationẽ sæculi. Dionysius Carthusianus in hoc cap. 12. Apoc. super illa verba: *Diebus mille ducentis*, commẽtatur *tempus* pro toto tempore christianitatis. D. Bernardinus Senensis in præsenti extra dubium habet, *tempus* intelligi pro re indeterminata, & sine vlla finitione, ibi: *Vt ibi pascat eam Angelorum esca inæstimabili, diebus mille ducentis sexaginta, id est, duratione interminabili.* Esto, quod præfata verba, *Per tempus, & tempora*, intelligerentur pro duratione mundi ex mente plurimorum, foret dicendum, corpus B. Mariæ assumptum fuisse in cœlum, & volauisse à facie serpẽtis ante communẽ resurrectionem, vel per tempus, & tempora, et dimidium temporis, quod est terminus ante finẽ mundi; & de hoc fuit necessarium edicere: nam ratio dubitandi militabat in Virgine ante vniuersalẽ resurrectionẽ; prophetia igitur determinat, quod ante illam resurrectionem assumpta est in cœlum; & quod datum est ei ante omnes creaturas, & ante resurrectionem vniuersalem hoc priuilegium. Sed verius est, quod tempus, et tempora accipiantur in præsenti sine finitione; vel esto, quod finitionem haberent, dicendum cum D. Bernardino, quod habentur pro duratione

interminabili, more ſcripturarum, quæ multoties ponunt tempus determinatum pro indeterminato,

62 Illud etiam aduertendum eſt, quod quamuis prædicta verba, *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, explicarent tres annos, & dimidium; adhuc non eſſet recedendum à repreſentatione Virginis in hac muliere; imo dicendum erat, in hoc volatu per tempus, & tempora, et dimidium tēporis repeti, et iterum inculcari ſuperiorem fugam in Ægyptum: nam repetitio eſt vſitatiſſima in hac prophetia, de quo iam admonui principio huius capitis, et antecedentis; & dicendum, quod fiat repetitio cum circunſtantia perſecutionis Luciferi, qui flumen miſit poſt Mariam & filium; *flumen*, id eſt, ſatellites, et miniſtros Herodis. Communis eſt Doctorum ſententia, quod res eadem agitur in cap. 12. Apoc. tam in fuga mulieris, quam in volatu in deſertū. Quod ſi hæc placent, textum ſic interpretere: *Datæ ſunt mulieri alæ*, id eſt, fauor diuinus: *Vt volaret in deſertum*, id eſt, in Ægyptum, vt ſupra dixi, quia Ægyptus ſolitudo dicitur, & deſertum: *In locum ſuum*, vel quia Deigenitrix eſt mundi Regina, vel quia Ægyptus interpretatur amaritudo, ſicut Maria interpretatur exaltata, vel amaritudinis mare; vnde volauit in Ægyptum, locum ſuum, quia ipſa etiam interpretatur amaritudo: *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, pro tempore illo, quo habitauit B. Virgo in Ægypto, id eſt, per tres annos, & dimidium, vt ſupra dixi. Sed verior eſt prima ſententia.

63 Addit prophetia: *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen.* Videamus, quod, quale ve ſit hoc flumen, et an accipiēdum ſit vere, vel metaphorice? Legimus de Behemoth, Iob 40: *Ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius.* Hinc videtur, quod vere emittit ex ore flumen, vel quod extollit tumentes fluctus maris in mulierem volantem per aera, vt trahat eam. Sed hic ſenſus eſt multum materialis. Accipiamus

go flumen metaphoricè, sed an pro peccato originali, quo omnes inundamur? Videtur quod sic, vt Psalm. 68. *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*, & Psalm. 123. *Torrentem per transiuit anima nostra*, Idque graues Doctores affirmant, vt dictum est supra, & probat F. Franc. de la Cruz de purit. Cõcept. sect. 1. §. 4. n. 39. & P. Saauedra, vbi sup. n. 59. Ego existimo, per hoc flumen significari furorẽ, iram, superbiã, & indignationem draconis, & conatum capiendi eã mulierem, quæ volabat à facie eius. Ducor Psalm. 123. *Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos*, & Psal. 68. *Non me demergat tempestas aquæ*, quibus locis furor ipse persequẽtium per aquam designatur. Recte ergo persecutionem draconis, per aquam tanquam flumen describit prophetia; sed frustra mittit rete diabolus ad capiendũ corpus B. Mariæ in sua Assumptione; volat enim super alas filij sui, illius fortis armati, qui uicit inimicum. Ita superbia diaboli plusquam fortitudo.

64 Progreditur textus Apocalypsis: *Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.* Sunt qui putent, per terram istam significari B. Mariam, cuius puritas præualuit contra potentias draconis; & imperio virgineæ vocis deiectus fuit, quando assumpta est in cœlũ. Quod sit terra B. Virgo, probant Isai 65. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, & Psalm. 84. *Veritas de terra orta est*. Quod est de mẽte S. Brunon. in Psal. 105: *Hæc est enim incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus ab omni contagione peccati libera, per quam vitæ vitam agnouimus.* Eodem modo terram istam interpretatur glossa in hoc cap. 12. Apoc. *Et aperuit terra, id est, Virgo Maria, de qua dicitur Isai. cap. 65. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem:* præcipuè, cum sancti Patres nomine terræ virginem salutauerint: Arnobius in Psalm. 84. eã vocat terrã benedictã, et terrã nouã, Tertullianus de carne Christi cap. 17. eã appellat terram nouam. Cretensis homil. 2. de Assumptione

ne, terram desiderabilem conclamat. S. Bonauentura in spec. Virg. cap. 2. eam dicit terram gloriæ Dei: ac tandem S. Ildef. de Virg. cap. 10. appellat eam, terram, quæ germinat Saluatorem. Unde illa met Domina fuit terra ista in ore horum Doctorum, quæ absorbuit imperio suæ maiestatis, et claritatis, flumen draconis missum ad detinendam eam in terra; cum quibus transit glossa verb. *orta est* in cap. quis aliquando. de pœnit. dist. 1. ibi: *Veritas de terra orta est id est, Christus de Maria*, per textum expressum in cap. Fraternitatis 35. q. 10. in §. deinde.

65 Sed obstat, quod sub muliere intelligitur B. Maria, ergo terra, quę eam adiuuit non est eadem Virgo Maria, ne cõcurrant actio & passio circa eamdem rem. l. Uranius. ff. de fideiusor. Quare verius dicendum, quod terra in pręsenti est Christus, qui modo terra, modo lapis, modo petra dicitur; & in hoc cap. 12. iuxta glossam Ordinariam, Christus significatus est in hac terra, quæ aperuit os suum ad deuorandum flumen inimici contra matrem; & hoc comprobat prædicta glossa authoritate Sancti Ambrosij. Gaudentius item tract. 18. & Damianus in epistola ad Blancam, hanc terram esse Christum constanter affirmant. Item Hugo Cardinalis in hoc cap. 12. Apocal. hanc terram dicit esse Christum, quod comprobat Psalm. 84. vers. 1. *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob*. Dicendum itaque, quod misit draco flumen post Mariam assumptam Christi manibus; sed illud flumen deuorauit terra benedicta Christus, aperiens os imperij sui, cohibens, & conterens inimici potentiã, quæ vibrabat in Matrem. Deuorauit hoc flumen draconis, sicut deuorauit mortem, sicut deturbauit infernũ. Absorbuit Dñs Iesus flumen, id est, deuorauit; est metaphora diuinæ scripturæ, vt Oseas 4. *Peccata populi mei comedent*. In illa prima præuaricatione, per quam omnes tradendi sunt pulveri, fluminis impetum deuorauit terra benedicta, ne appropiaquaret matri suæ. Et sicut in præ-

O2 senti

ſenti fluuius, id eſt, peccatum. Dicitur exire ab ore draconis, id eſt, ab eius iuſſu, & ſuggeſtione, vt Apoc. 16. verſ. 13. ita ab ore Chriſti venit auxilium erga Deiparam. Non potuit flumen pertingere matrem. Victus eſt diabolus, non tantum in Conceptione Beatæ Virginis, ſed etiam in eius Aſſumptione in cœlum; ſic diabolus deceptus eſt, quando tentauit ex lege communi detinere corpus B. Mariȩ in terra: neque enim poterat dari corruptioni, aut incinerationi corpus illud benedictum.

66 In hac vltima clauſula cap. 12. Apoc. vt videmus, reperiũtur tres modi probandi puritatem Conceptionis B. Uirginis. Primò in alis, iuxta interpretationes Patris Auendaño, & Patris Saauedra. Secundo in flumine, ſecundum interpretationem Patris Cruz. Tertio iuxta meam interpretationem, quia volauit in cœlum, in locum ſuum; peccatum enim originale non tangit creaturas cœleſtes: & B. Virgo eſt eius ordinis per gratiam, ſicuti pleniſſimê probatum eſt, & quod eſt cœlum animatum, in quo locum habere non potuit draco à prima ſua deiectione.

67 Duo obiter adnotabo. Primò, quod deſertum poteſt accipi pro paradiſo, qui manſit locus deſertus ob præuaricationem Adami: ſic colliges ex verbis Eſdr. lib. 4. cap. 4. verſ 7. Datæ ſunt Mariæ alæ, id eſt, plenitudo gratiæ, vt in ſua Conceptione volaret in paradiſum, vbi creatus eſt Adam in gratia originali, & à quo relegati ſumus propter prȩuaricationem illam. Sola Maria ſub arbore malo exaltata eſt, ſicut eſt exaltata in *cades*, id eſt, in *ſanctitate*. Nunquam creditur relegata à paradiſo. Per gratiam, in conceptione ſua retinuit locum iuſtitiæ originalis. Volauit igitur in paradiſum locum ſuum; quia ipſa ſola retinuit locum in paradiſo, eleuata ne caderet ſub arbore malo, Cantic. 8. *Sub arbore malo ſuſcitaui te; ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua*, vt dicimus ſupra cap. 7. Uel paradiſus dicitur locus Mariæ, quia ipſa in ſcriptura pa-


radiſus

radisus vocatur, Cantic. 4. vers. 13. *Emissiones tuæ paradisus:* & paradisum eam appellant S. Ephren, orat. de laud. Virg. Bernard. deprec. ad Virg. Dionys. Alex. in epistola contra Paul. Bonau. in spec. cap. 2. Ambros. de instit. Virg. c. 12. Hesych. orat. 2. de Virg. Rupert. lib. 4. in Cãtic. Iacob in Liturg. And. Hieros. orat. 2. de Assumpt.

68 Secundo illud noto, quod non dantur Mariæ sex alæ, sicut Seraphinis apud Isaiam: Mariæ duæ tantũ dantur. Sed in promptu discrimen est. Vide in Seraphinis ad quid deseruiant quator ex illis sex alis: dicitur apud Isaiam, quod duabus velabant faciem, & duabus velabant pedes, quod de facie, & pedibus Seraphinorum, non Dei intelligit Hieronymus ibidem, & ita plures Doctores magno cum fundamento exponunt. Ad quid ergo velabant pedes & faciẽ suam Seraphini? Audi Chrisostomum homilia 1. de hac visione: *Num ita defectum circumtegunt? quia enim non assequuntur quod expetunt, quod deest affectui, hoc velo obtegunt.* Quo supposito, iam video, cur non egeat Virgo Beata quatuor restantibus alis, quibus faciem velet, vel pedes: ipsa nõ habet defectum, quem tegat in pedibus, neque in facie; nec deest affectui, quod velo sit obtegendũ. Hinc est, vt cælestis sponsus faciem eius videre cupiat. Cantic. 2. *Ostende mihi faciem tuam:* sic & pedum Virginis pulchritudinẽ laudat Cantic. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis!* & de primo dicto causam reddit, *facies tua decora:* decora inquam, sine defectu. Quomodo enim defectũ habeat, quæ gratia plena salutatur? Nescit plenitudo defectũ cap. si omnia 6. q. 1. In ea se tota infudit gratiæ plenitudo, vt dicit Hieronymus. De secundo autem sic ait Guillelmus: *Pulchri gressus non pernicitate pedum, sed puritate affectuum:* nõ ergo obtegitur à Virgine aliquid quod deesset affectui: ipsa pedũ suorum gressibus, diuini sponsi oculos suauissimè feriebat. Possunt Seraphini in suo defectu consolari, quia assequuntur per Virginem illud, quod suæ excellentiæ denegatur,

sic Maria duabus: illi sex alis indigebunt: nec alæ Mariæ necessariæ ad pedes tegendos, cum ipsa peccati originalis in pedibus significati sit aliena, vt dictum est supra.

69 Sed neque illud præteribo, quod in sententia Ambrosij in hoc cap. 12. simul agitur de Ascensione Christi in cœlum, & de Assumptione Beatæ Mariæ: vtrumque probat ex textu; de Ascensione in illis verbis: *Raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius*, quod sic explicat; *Hoc tunc impletum est, quando quadragesimo die postquam resurrexit, ascendit in cœlum*; de Assumptione in illis: *Datæ sunt mulieri alæ*, vt diximus supra num. 51. vbi retulimus verba sacri Doctoris; sed vtroque casu sæuit indignatio draconis propter inimicitias, de quibus supra. Ascendēte filio, draco stetit, vt deuoraret. In Assumptione Matris misit flumen, vt eam aquis involueret, & ad se perduceret; sed festinauit potentia, item gratia ad illudendum ei: & quamuis subtilis sit hæc interpretatio Ambrosij quo ad Ascensionē Domini: verior tamen illa videtur, & magis genuina, & litteralis, quam supra tradidimus ad illa verba: *Raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius*. Quibus sic explicatis, textuque Apocalypsis in cap. 12. enodato, & à dubijs expurgato, manet perpetua illa propositio, quod sub ea muliere, Virgo Maria intelligatur: sic in plenitudine lucis concepta, vmbræ, & maculæ originalis pericula euasit.



CA-

CAPUT NONUM.

EXPENDITVR PRO IMMACVLAta Virginis Conceptione locus S. Lucæ cap. 1.

1 VERBA Euangelistæ: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Expendo illa verba, *quod nascetur ex te sanctum,* quæ ad Virginem relata illud explicant, scilicet, non solum Christum Dominum ex se habere sanctitatem; sed sanctum etiam dici, quod ex Maria Virgine nasceretur; vt sensus sit: *Ex te nascetur sanctum,* id est, quatenus ex te, & ex tua substantia vt dependente ab Spiritu sancto per illam operante. Vel iterum dicamus, Christum Dominum, præterquam ratione vnionis ad Verbum sit omnis peccati expers, et impotens, & omni gratia plenus: habuisse etiam conceptionem plenê sanctam, quatenus Beatæ Mariæ ea gratia fuit, vt ex illa conceptione non nisi sanctus concipi potuisset, quod est de mente Patris Toleti, ibi: *Conceptio sancta, scilicet Christi, ita vt etiam si gratiam ex vnione non habuisset, eam obtinuisset ex vi conceptionis.* Sanctitas in Christo etiam ponenda, quatenus conceptus est ex Maria: sic nõ tantum dicitur beatus à natura, sed etiam beatus dicitur ex ventre, dicente Marcella: *Beatus venter, qui te portauit.* Vbi obiter aduertas, quod quando rbæ Christum peccatorem proclamabant, Marcella sanatem filij ex ventre commendabat; & vice versa, cum 'esia celebrat diem Conceptionis Beatæ Mariæ, et exnem eius à peccato, ad sanctitatem filij properat, i 1. ibi: *Mariæ, de qua natus est Iesus.* Currit Ecclearternitatem, vt statuat Mariæ in columnitatem.

Ergo

Ergo Maria est sanctum quid sanctificans Saluatorem in sensu iam dicto. Neque enim sanctum illud potuit aliquando videre corruptionem, ex illo: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionē.* Pulchrè hoc percepit Doctor Luzero 1. p. discurs. 2. cap. 6. ibi: *Non solum ex vi vnionis hypostaticæ, sed etiam ex vi suæ Conceptionis; non solum, quatenus processit à Spiritu sancto illam operante, sed etiam quatenus procedebat à Virgine illum concipiente, habuit communicatam sanctitatem.* Pro qua sententia expendo locum Apostoli ad Hebræos cap. 9. ibi: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Sed quale sit hoc tabernaculum, quod Apostolus dicit, non esse huius creationis, non aperit: sed mysterium reserauit Lombardus ibidem per hæc verba: *Carnem vero de vtero Virginis accepit, vt mundam offerret pro immundis; hanc vocat tabernaculum.* Proculdubio alludit ad verba Prouerbiorum, ibi: *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*; quo loco etiam fit mētio duplicis creationis; primò inquit: *Et dixit mihi creator omnium*; demum addit: *Et qui creauit me.* Non est computanda creatio omnium cum creatione Mariæ, quia vt dicit Apostolus d. cap. 9. est tabernaculum non huius creationis communis. Introiuit Saluator in Sancta, quia Maria est sanctum sanctificans; non est tabernaculum huius creationis, quia per diuinam gratiam, vt esset Mater Dei, eleuata est super naturam Angelicam: & ideo Sancti Euangelistæ in natiuitate sua prætereunt gradus per lineas Ioachim, & Annæ, & per cognationes & gradus Sanctissimi Ioseph sponsi arborem consanguinitatis eius ab Abraham traxerunt, Matth. 1. ibi: *Genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus;* & quia in hoc Euangelio non trahebatur origo ab Adam, sed solum ab Abraham:

ideo

ideo mentionem Virginis fecit S. Matthæus. Non sic S. Lucas in cap. 3. vbi fit descripto eiusdem arboris, & tamen silentio omittit Mariæ nomen, quia trahebatur narratio ab Adamo; & ne aliquis crederet, Mariam in carne peccatrice ab eo descendere, ideo nomen eius prætermittitur. Sic reuerentur S. Euangelistæ Marię nomen.

2 Sed diuersimodè consideranda est hæc sanctitas in Christo, & in B. Maria; hæc per gratiam semper fuit sancta: ille per naturam propter vnionem ad Verbum. Vnde dicamus, quod sancta sanctum peperit, & secundum carnem vterque sanctus, ita vt vna sit, cum dicta distinctione, Mariæ, & Christi caro, dicente Arnoldo Carnotensi in Biblioth. Patr. *Vna est Mariæ, & Christi caro, vnus spiritus, & vna charitas*; vt gloria Filij cum Matre non tam communis (ex Fulgentio Carnotensi in eadem Biblioth.) quam eadē prędicetur. Est enim eadem caro: dicit enim Ambrosius de Incarnat. Dom. sacr. cap. 9. *Habuit ergo de suo Virgo, quod traderet. Non enim alienum dedit mater, sed proprium è visceribus suis contulit inusitato modo, sed vsitato munere. Habuit igitur carnem Virgo, quam naturæ solemni iure transcripsit in fœtum. Eadem igitur secundum carnem generantis Mariæ, genitique natura.* Est enim Beata Maria sancta per gratiam, sicut Christus Dominus per naturam; dicit enim Diuus Gregor. *Cæteris sanctis datur gratia per partes. Beatæ Virgini tota se infudit plenitudo gratiæ, quæ fuit in Christo, quanquam aliter, & aliter, quia in Christo fuit tanquam in homine personaliter diffinito: in Maria vero vt in templo singulariter consecrato; vel aliter: fuit plenitudo gratiæ in Christo sicut in capite influente, in Maria vero sicut in collo transfundente*; & sicut sanguis, qui est vita carnis, occultè recurrit per venas; ita Christus, qui vita, & sanctificatio est nostra, venit ad nos per B. Mariam, in qua datur plenitudo abundantiæ, & excellentiæ in gratia. Cæteris sanctis datur plenitudo gratiæ, tantum quoad sufficien-

tiam

tiam. Quomodo enim vna esset Mariæ, & Christi caro, vel qua ratione diceretur gratiosa in plenitudine abundantiæ, vel sancta sanctificans Saluatorem, si aliquando habuisset peccatum? Absit, vt quid inhonestum & minus decorosum gestiamus in Matre Dei, sed neque cogitemus maculas in Sole. Dixit Saluator, quod Princeps huius mundi in eo nihil inuenit, nec cum eo partẽ habuit: sed quid? haberet ne partem in matre per peccatum originale? Absit, absit; est enim eadem Christi, & Mariæ caro: est Maria sanctum sanctificans, semper sancta, dicente Luca: *Quod nascetur ex te sanctum.* Hæc mecum volvens, existimo, B. Mariam esse sacrarium Dei, medicinam nostram, & terram benedictam; ad quod expendo Psalm. 77. à n. 68. ibi: *Sed elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit, & ædificauit, sicut vnicorniũ sanctificium suum in terra, quam fundauit in secula.*

§ Corroboratur assertum ex textu in cap. accesserunt. §. item de consecrat. dist. 2. ibi: *De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem ad manducandum ad salutem dedit.* Quomodo ministraretur caro illa Beatæ Mariæ in sacramento vitę, si aliquando fuisset infecta peccati veneno? ipsam carnem, quam accepit à Beata Maria, inquit textus, quod dedit nobis ad manducandum Redemptor noster; iniuriam facit sacramento, qui carnem in eo aliquando maculatam ponit. Non potest segregari caro Mariæ à carne Christi in hoc sacramento; sic debemus illam Mariæ carnem omni tempore sanctam, & immaculatam prædicare, ex qua etiã conficitur sacramentum. Non debet in hostia pura aliquid considerari, quod fuerit aliquo tempore infectum: & sicut ad salutem nostram necessarium fuit, vt Dominus Iesus esset Sanctus, innocens, impollutus & segregatus à peccatis, vt dicit Apostolus ad Hebræos cap. 7. ita in hoc vitę sacramento non aliud, quam sanctitatem, & puritatem ex integro considerare debemus in carne Christi, & Mariæ.

CA-

CAPUT DECIMUM.

FVNDATVR IMMVNITAS CONceptionis B. Mariæ in eo quod sit complementum Sanctissimæ Trinitatis.

SACRI Doctores cum Patre Hesichio orat. 2. appellant Beatam Mariam complementum totius Trinitatis; in qua propositione illud grauiter obstat, quod in Beatissima Trinitate nihil diminutum vnquam fuit, neque superest aliquid addendum suæ perfectioni; quare in sensu possibili Sanctorum sententia debet admitti, & in bono sensu. Quod vt intelligatur, præmittendum est, quod licet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnius, eiusdemque substantiæ inseparabili æqualitate diuinam insinuent vnitatem, tamen multa tribuuntur singulis personis, quæ non attribuuntur Trinitati. Ita diffinitum est in cap. fin. de consecrat. dist. 3. ibi: *Omnes, quos potui legere, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, diuinorum librorum, veterum, & nouorum, Catholici authores tractantes, hoc intenderunt secundum scripturas docere, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnius eiusdemque substantiæ, inseparabili æqualitate, diuinam insinuent vnitatem; ideoque non sunt tres Dij, sed vnus Deus, quamuis Pater Filium genuerit, & ideo Pater non sit, qui Filius: Spiritus sanctus, neque Pater sit, neque Filius, sed tantummodo Patris, & Filij spiritus, & Patri, & Filio etiam ipse coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem. Non tamen eamdem Trinitatem natam de Virgine Maria, & sub Pontio Pilato crucifixam, sed tantummodo Filium. Neque eamdem Trinitatem descendisse in specie columbæ, sed tantummodo Spiritum sanctum. Nec eamdẽ Tri-*

nitatem dixisse de cœlo, tu es Filius meus dilectus, sed tantummodo Patris vocem fuisse ad filium factam. Sequitur ex hoc textu, quod quamuis Trinitas inseparabiliter operetur, tamen opera aliqua attribuuntur singulis personis Trinitatis, vt explicat glossa, ibi: *Licet istæ tres Personæ sint eadem essentia; quædam tamen singulariter attribuuntur personis, quæ Trinitati non attribuuntur.* Unde Incognitus super Psalm. 39. ibi: *Sapientia quamuis communis tribus personis: Filio tamen appropriatur, sicut potentia Patri, & charitas Spiritui sancto.* Et licet opera ad extra totius sint Trinitatis, quæ indiuisè tota Trinitas efficit; tamen quædam opera appropriãtur vni Personæ, quæ alteri non attribuuntur, aut appropriantur.

2 Ex præmissis numero antecedenti infertur, aliqua opera singulariter appropriari Personis singulis Trinitatis. Hinc est, quod formatio primi hominis Adam singulariter appropriatur æterno Patri à Tertulliano; sic dicit egregius Doctor Pater Gueuara tom. 1. p. 2. de purif. Concept. cap. 1. in Matth. obseruat. 15. sect. 1. §. 3. num. 14. *Hinc est quod Tertullianus primi parentis formationem Patri singulariter appropriat, lib. de Trinitate cap.* 21. Quod etiam ex Genesi cõprobatur, nam prius dicitur: *Faciamus hominem;* deinde concludit: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem, & similitudinem Dei fecit illum,* primò *faciamus*, deinde *fecit*, vt ita primæ personæ virtus, & potestas in primo homine efformãdo emineret, è cuius manibus purus Adam in gratia originali prodijt, vt notat idem P. Gueuara loco præcitato. Itẽ temporalis Christi generatio appropriatur Spiritui sancto Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te*, super quæ verba idem P. Gueuara: *Virtute Spiritus sancti fabricata est secunda persona Verbi in Mariæ vtero, quæ quidem primi hominis respicit formationem, cum è Sancti Spiritus ministerio, & virtutis operatione secundus prodeat Adamus, quemadmodum è Dei Patris manibus primus natiua, & ingenita gratia in ipsa sui prima origine præditus.* Ha-

Habemus duas creationes, & generationes; primi, & secundi Adami factas in gratia originali: prima tribuitur singulariter Patri; secunda Spiritui sancto; quid ergo? Nulla creatio, aut generatio facta in gratia originali attribuetur Filio? Numquid manebunt incōpletæ operationes ad extra in tribus Personis? Nihil etenim actum esse credimus, dum aliquid addendum superest. l. cum Syllanianum in fine. C. de his quibus vt indign. Etenim si secundæ Personæ non appropriamus aliquam creaturam, cuius origo pura sit; incompleta quoad efficaciam operationis Trinitas videretur; & licet Beata Trinitas in se perfectissima sit, in qua nihil vacuum considerari possit; tamen quo ad nos, tūc dicimus perfectam Trinitatem, cum tres personæ opera expleuerint, quibus virtutem suam, & operationem mânifestant; quia tunc illarum cognitio quasi suum complemētum in nostro intellectu habet, taliter, vt tunc Trinitatis cognitio in nobis ex eius operibus complementum accipiat, cum nobis fuerit manifestata, vt quasi ex resultu quodam tunc Trias completa prædicetur. Quam eruditè hoc percepit idem P. Gueuara vbi supra, ibi: *Igitur cum Maria totius Trinitatis complementum sit nuncupata; reliquum est, vt sentiamus, secundæ Personæ Trinitatis operatricem & effectricem virtutem in Mariæ generatione demonstratam, quæ quidem similis illi promicuit, quam Pater in Adamo perfecit; nempe, gratiæ muneribus, & dono iustitiæ originalis ornatam; sic triplicis humani corporis trinam formationem gratia originali concretam tres Diuinæ Personæ inter se partitæ sunt, vt formatio Adami Patri, Mariæ Filio, Christi Domini Spiritui sancto responderet; eoque modo totius trinæ virtutis ostensio manifestata compleretur.*

4 Restat nnnc, vti probemus, generationem Beatę Marię, & creationem in sensu iam dicto, propriam esse secundæ personæ Trinitatis, & ei personaliter attribui. Habemus pro hac parte authoritatem antecedentem, cui fauet Ec-

clesia

clesia iuxta illud: *O gloriosa Virginum, sublimis inter sydera, qui te creauit, paruulum lactente nutris vbere*; & iterum: *Genuisti qui te fecit*. Audiamus D. Bernardum serm. 2. de Natiu. Mariæ: *Quod arcam veterem fecit Bezeleel: sed Beatam Mariam condidit Emanuel*. Audi hac de re Augustinum lib. de quinque heres. cap. 5. *Hanc, quam despicis, Manichæe, mater est mea, manu est fabricata mea; si potui inquinari cum illam facerem, potui inquinari cũ ex illa nascerer*. Et D. Anselmus in deprecat. ad Virg. *Maria Sãctissima, mater sui Patris*. Quod etiam ego confirmo ex Psalm. 86. *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus*. Quis est homo hic, nisi Christus natus de Ciuitate Dei, de Siõ, de qua psalmus loquitur? Quam pulchrè hoc percepit Petrus Comestor lib. de Immac. Concept. ibi: *Intellige quod ait, ipse fundauit eam; non alius, non vetus Adam; sed nouus nouum iecit fundamentum, super quod tam præclarum, tam insigne surgeret ædificium. Alioquin si veteris ruinæ mansere vestigia: si veteri superædificatum est, non diceret propheta, ipse fundauit; quod enim fundatur, non ab alio, sed à se ipso inchoat*. Nouus Adam in Maria, vt dicit Petrus Comestor vbi proxime, nouum iecit fundamentum, eam ædificando; & vt dixi cap. antecedenti, Maria est tabernaculum, non creationis communis, sed nouum à filio fabricatum. Habemus etiam verba Sancti Thomæ, qui apparuit Episcopo Patauino, vt authenticis testimonijs constat, quę referunt frequenter interpretes; & verba ipsa D. Thomæ refert Doctor Bustos serm. 7. de Concept. & Hieronymus de Cardona de Concept. cap. 9. *Scias Episcope, quod quando contrariam opinionem tenui, solum habui respectum ad diuinum statutum, quod Beata Virgo originale contrahere debuerat, nisi per filium fuisset præseruata; sed Dei filius matrem suam ab originali præseruauit macula*. Ex quibus verbis hæc duo habes, quod creatio Mariæ appropriatur secundæ Personæ Trinitatis, & quod matrem suam à macula præseruauit.

CA-

CAPUT VNDECIMUM.

FVNDATVR IMMVNITAS ORIGInalis Beatæ Mariæ in eo, quod sit Mater Diuini Saluatoris.

1 SApientissimus Pater Martinus Becano, summ. Theolog. scholast. de beatitud. 2. part. tract. 2. cap. 9. de peccato origin. conclus. 4. asserit quod Sanctissima Virgo immunis fuit à contagio originalis peccati, *quia decuit ita fieri, cum esset futura mater Dei.* Desunt verba, tempus & numerus ad referendas laudes quibus Beata Virgo propter maternitatem à sacris Doctoribus commendatur. S. Ignatius Martyr in epist. ad Ioan. propter hanc maternitatem dicit eam esse cœleste prodigium, S. Chrisostomus in homil. in Sypopan. dicit, magnũ re vera esse mundi miraculũ. S. Damascenus in orat. 1. de Beat. Virg. dicit, esse miraculorum miraculũ, & rerum admirandarum maximè admirãdã. Referam verba Sancti Anselmi lib. de excellent. Virg. cap. 3. *Intendat mens humana, & contempletur, videãt & admirentur: vnũ filium sibi consubstantialem Deus Pater genuit: hunc sibi tã vnicum, & in omnibus omnino æqualem, non passus est remanere solummodo suum, sed eumdem ipsum voluit in veritate esse Beatæ Mariæ vnicum, & naturalem filium; neque ita vt duo essent, vnus videlicet filius Dei, alius Virginis; sed vnus idem ipse, qui filius Dei, in vna persona, esset Filius Virginis; & qui filius Virginis, vnus & idem ipse esset in vna persona filius Dei. Quis hæc audiens non obstupescit? & quod Deus tale quid velle potuerit, nõ vltra omne quod dici potest, admirabile ducat?* & in cap. qui Episcopus 23. dist. ibi: *Vt qui erat in diuinitate Dei Patris filius, Deus verus ex patre, esset & verus homo ex matre,*

carnem ex matris visceribus habens. Vnde Maria Sanctissima verè dicitur Theotocos apud Græcos, id est, Deum pariens; & damnata fuit hæresis Nestorij, qui Beatam Mariã non Dei, sed hominis tantummodo matrem asseruit. vt refertur in cap. quidã 24. q. 3. in vers. Nestoriani; est enim vere Mater Dei, vt dicitur in eodem textu. Contemplatur D. Basilius hanc Reginam electam, & præparatam, vt esset mater Diuini Verbi, & in serm. de Assumpt. inquit: *Hæc est quæ fuit in vterô matris absque originali peccato concepta, & generata priuilegio filij*. Noster Iurisconsultus D. Ferdinandus de Oxeda in cap. firmissimè, de consecrat. dist. 4. hoc mirabiliter penetrauit, ibi: *Cum ad dignitatem filij non tantum pertineat puritas matris eo tempore, quo illum concepit, sed simpliciter toto tempore vitæ*: & inferius: *Virginem, quam Deus ex sua Conceptione in Matrem præparabat, & condebat, oportuit in omnibus filio esse simillimam; licet non æqualem; præcipuè in moribus, & carentia peccati, cum peccatum originale sit habitus dissimilitudinis ad Deum in homine ingenitus, vt ait Dionysius in cap. 2. de Ecclesiast. Hierarch*. Mater Dei, & culpa in ea, malè vtrumque connectitur. Video Dei curam, et diligentiam in præseruanda matre ab ærumna & doloribus partus; item à corruptione corporis; & crediturus sum, quod curauit de corpore matris, & neglexit decorem illius animæ sanctissimæ, nec liberauit ab incendio peccati? Anima pretiotior corpore, cap. solite de maiorit. et obed. Tanta diligentia in Deo circa decorem, & pulchritudinem matris suæ, ita vt dicat Dionysius: *Nisi ex ratione naturali, ac fide nouissem, esse aliam Deitatem; non putassem præter hanc esse aliam*, & S. Epiphanius: *Deiformis species fulgebat in illa, quæ aspicientium ad se affectus traheret*. Quàm diligenter se gerit Deus in tuenda pulchritudine corporis matris suæ! sed quid? Obliuioni tradidit decorem animæ eius, quando infundebatur corpori? Nullus id cogitet, aut admittat; est enim tentatio manife-

sta.

sta. Dicit enim Augustinus contra Manichæum: *Ego matrem, de qua nascerer, feci; ego viam meo itineri præparaui, atque mundaui. Hæc, quam tu despicis, Manichæe, Mater est mea, & manu fabricata est mea. Si potui inquinari cum illam facerem, potui inquinari, cum ex illa nascor.* Et D. Anselmus: *Decuit, vt Virgo, quam Deus vnigenito suo præparauit, ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Hîc iterum repetamus Arnoldi Carnotensis sententiam: *Vna est Mariæ, & Christi caro, vnus spiritus, & vna charitas; & Filij gloriam cum Matre, non tam communem dico, quam eamdem.* Antequam formaretur in vtero Virgo Maria Domina nostra, fuit destinata, vt esset Mater Dei; & cum in visceribus matris Annæ formabatur, tunc domus illa tanquam domus Dei fabricabatur, non tanquam spelunca Satanæ, vt dicit textus in cap. nasci 56. dist. in §. ipse.

2 Accedat authoritas sancti Iustini Martyris quæst. 136. ad Orthodoxos, ibi: *Perspicuum est, Christi matrem debuisse hac maternitate beatam prædicari*; & inferius: *Christus volebat ob hanc virtutem prædicari matrem suam, per quam virtutem, illa id assequuta fuisset, vt Virgo mater fieret.* Cui adiungo sanctum Anastasium Synaitam lib. 6. anagogic. per hæc verba: *Quis mihi dic, quæso, aut ex hominibus, aut ex dæmonibus, audebit dicere, quod ea quæ est eiusdem simul cum Deo essentiæ, quod ad carnem attinet, non sit ad imaginem, & similitudinem eius, qui est ex ipsa natus? Quomodo est enim mater eiusmodi Filij, non ferens in se integram, & illæsam fœtus sui imaginem?* Item ponderemus verba Diui Thomæ Angelici Doctoris in 3. p. summæ, ponderemus etiam eius rationes, quæ sunt insuperabiles. Inquit enim, quod quando Deus aliquos eligit ad aliquod ministerium, ita eos præparat, & disponit, vt inueniantur idonei ad illud, ad quod eliguntur; sed Beata Virgo ab æterno fuit electa, vt esset Mater Dei; ergo illã Deus per gratiam suam ad hoc opus idoneã præseruauit; & subdit, quod non fuisset idonea mater Dei, si

tempore, vel etiam in momento, fuiſſet per peccatum ancilla diaboli, quia dedecus filij pater ſine honore: vnde infert, quod per diuinam gratiam fuit immunis ab originali, & actuali. Tribuamus aliquid ex iure noſtro, et propoſitæ theſi deſeruiat textus in l. Princeps. ff. de legibus, vbi Auguſta, id eſt, mater, vel vxor Principis, licet non ſit ſoluta à lege, tamen ex filij priuilegio manet immunis, ibi: *Auguſta tamen licet legibus ſoluta non ſit, Princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit, quæ & ipſe habet.* Chriſtus cœli, terræque Dominus illi legi Adamo indictæ nulla fuit ratione ſubiectus; Beata autem Virgo eius mater ſemper Auguſta, totius Orbis Regina, illius legis maledictum, ſi non per naturam, per Filij gratiam excuſſauit. Adeò grauis fuit hæc ponderatio maternitatis ſancto Cirillo Alexandrino, vt apertè dicat ſcribens contra Neſtorium: *Propter Filium, temerariū eſt, in Maria Virgine ponere culpam aliquam, vel peccatum.* Spero autem in Domino, quod breuiter à ſancta Sede diffinietur de fide, quod Beata Maria fuit immunis à peccato originali, & tunc dicemus, non tantum eſſe temerarium, vt dicit Cirillus, ſed etiam, quod ſit hæreticum.

Caput Dvodecimum.

CONTINVATVR MATERIA capitis antecedentis ex honore debito parentibus.

1 Egimus Deuteron. cap. 27. *Maledictus qui non honorat Patrem ſuum, & matrem; & dicit omnis populus, amen:* & apud Iob c. 4. *Honorē habebis matri tuæ omnibus diebus eius. Memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te.* Sic Eccleſ. cap. 7. *Honora Patrem tuum, & gemitus matris*

tuæ

tuæ ne obliuiſcaris, & retribue illis, quomodo illi tibi. Hæc pręcepit Dominus in lege, hoc ipſum præcipit ius naturale. Iuſtitia enim clamat pro reuerentia parentibus debita; vnde Apoſtolus ad Epheſ. cap. 6. *Filij, obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim iuſtum eſt, honora patrem tuum, & matrem tuam; quod eſt mandatum primum in promiſſione*. Ad iuſtitiam refert, ibi: *Hoc iuſtum eſt*. Scio Chriſtum matri fuiſſe ſubditum, iuxta illud: *Et erat ſubditus illis*. Scio, Chriſtum habuiſſe poteſtatem liberandi matrem ab illa indignatione in Adam; quid reſtat, niſi quod eam liberauit? Quis enim adeò inſanus, & ſtolidus, qui non illuſtrem matrem eligeret, & priuilegijs non decoraret, ex l. inſolitum. C. de fall. ? Inquiro, an honor patri reddatur à filio, qui cum videret, ruinam imminere caſuro parenti, illi manum non porrigeret, imo permitteret, illum in foueam cadere? Hoc nõ eſſet diligere eam, ſed odio habere, quod de Chriſto non eſt credendum; filius enim tenetur diligere parentes ſuos ex l. nemine. ff. de religioſ. & ſumpt. funer. l. veluti. ff. de iuſt. & iur. l. ſi quis à liberis, §. ſi impubes. ff. de liber. agnoſc. Deshoneſtaret enim matrem ſuam, ſi eam tradidiſſet inimico communi, ſiue ſeruituti peccati in Conceptione. Qui enim offendit matris decus, et pietatem, filij officium depoſuiſſe creditur, vt dicitur in extrauaganti *Infidelis* de furt. Chriſtus autem non ſoluit legem circa honorem parentibus pręſtandum, imo in exhibendo honore matri primum ſe præſtitit. Dicit enim Argentinenſis: *Hoc decuit filium Dei in propria matre obſeruare, ad quod obligatur quilibet purus homo ex præcepto diuino; & quicumque poſſet matrem ſuam præſeruare, etiam à minore malo, quam fuerit originalis culpa, ipſe ad hoc teneretur ex præcepto diuino: quia alias non honoraret matrem, nec in neceſſitate ſubueniret*. Et Rota apud Farin. deciſ. 267. maculam in matre appellat acerbiſſimam notam.

2 In memoriam reuocemus dictum Domini in Euangelio Matthęi cap. 15. verſ. 4. & verſ. 7. vbi ille, qui non honorat

patrem, & matrem, nec subvenit in necessitatibus, censetur hypocrita, & aliud gerit verbo, aliud facto. Obsecro vos, hæc meditemini. Filius sapiens (vt dicitur Prouerb. 15.) lætificat patrem, & stultus despicit matrem suam. Certum est filios parentibus omnem reuerentiam, & subsidium debere. l. filia. C. de patr. pot. & iustum est parentibus succurrere. l. 1. C. de alend. lib. & par. Et libentius pro matre admittunt iura interpretationes fauorabiles, vt inquit Bartolus in l. precibus. C. de impub. & alijs subst. Ponderanda sunt verba Partitarum in principio, titulo 19. part. 4. ibi: *Los hijos tenudos son naturalmente de amar a sus Padres, e hazerles honra, e seruicio, e ayuda en todas aquellas maneras que lo pudiessen hazer*: maior obligatio iniungitur in l. 1. §. *E otro si el fijo*, dict. tit. 19. part. 4. Et qui potest prohibere damnum & ruinam, si non prohibet, damnum dedisse videtur. l. quid ergo 13. in principio. vers. certè. ff. de his qui notantur infamia, & ibi glossa verbo constituisse, per hæc verba: *Qui patitur quod potest prohibere, ipse facere videtur.* Rursus qui omittit facere id, quod potest, perinde iudicatur, ac si contempsisset. l. si bona fide. ff. de Noxal. act. Conducit l. fin. ibi: *Et non auxilium ad prohibendum periculum præbuerunt*. C. ad Syllan. & post pauca: *Oportet enim eos vbicumque senserint Dominum periclitantem, ad prohibendas insidias concurrere.* Ex his apparet, quod esset offensa matris, si filius cum posset, non liberaret, quod neque pagani faciunt. l. congruentius. C. de patr. pot. ibi: *Reuerentiam debitam exhibere matri filios coget, & læsam pietatem seuerius vindicabit.* In cap. inter cætera vers. foueat 22. q. 4. dicitur, quod filius foueat matrem, & defleat si in aliquo defuit. Æqualiter filius matri, sicut & patri debet reuerentiam. l. 4. ff. de curat. fur. & creditur omnia honorifica, & conuenientia maternitati filius præstitisse, argumento textus in l. vnica. §. sed & si quis homini Cod. de Latina lib. toll. l. 1. C. de domest. lib. 12. Tiraq. de No-

bilit.cap.6.à n.9.l.quidam consulebat.ff.de re iudic. Addo Bernardum Laurentium de Reg.potest. cap.35. n.43. ibi: *Et cum Dominus Imperator omnia, de quibus controuersia est, poterat matri conferre, absurdum est, de voluntate disceptare: nam verosimiliter quidquid filius potest, genitrici non denegat, & contraria præsumptio videtur vtique simul offendere naturam, magnitudinem, & pietatem.* De potestate matris erga filios in his, quæ concernunt ad pietatem & reuerentiam naturalem, videndus Ascanius in tract. de patr. pot. cap. 4. n. 18. & Innocentius in cap. 2. de Regular.

3 Illud addendum, quod foret magnum dedecus filij Saluatoris, si mater in peccati contumelia conciperetur, vt ex D. Thoma probaui in capite superiori. Esset enim in illo esse primo Conceptionis sine honore, si tunc haberet peccatum; audi verba Ecclesiastici cap. 3. *Gloria enim hominis ex honore Patris; & dedecus filij Pater sine honore.* Si peccatum Adami descendisset ad Virginem, esset in illo primo esse abominabilis, vt dicit textus in cap. Cœnomanensem 56. dist. ibi: *Vt illi dicantur esse abominatio Domino, ad quos paterna flagitia, hæreditaria successione transcendunt.* Solent boni Filij parentes honorare, & Christus in Matre decoranda se præstantissimum exhibuit: sic Bernardus serm. de Assumptione. *Denique Mater est vnigeniti Filij Dei; nihil enim sic potest potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare: nisi forte, aut non creditur Dei Filius honorare matrem, aut dubitare quis potest in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, quibus ipsa, quæ ex Deo est charitas nouem mensibus corporaliter requieuit.* Certum est enim, quod honor vel infamia matris in filium deriuetur; ergo quo honor in Maria excellentior, eo Christus condignior apparebit, et ipse de matre concepta sub ignobili, & maculato sanguine, minus luceret, & indecens appareret: quod ne sequatur, dicendum est, quod immaculatæ nobilitatis sanguinem in matre conseruauit. Rursus impuritas, quæ fuit in paren-

parentibus quoad existimationem hominum redundat in prolem. Farinac. decis. 335. à n. 2. Lara de anniv. lib. 2. cap. 4. n. 28. & cum filius dicatur vna caro cum patre, cap. contradicimus. §. 1. 35. q. 3. eadem sanguinis qualitas in parente existens, erit in filio; nam quod inest causæ, causato etiã hæret, Baldus in l. nominationes. C. de appellat. l. 1. §. pen. ff. de inspic. ventr. & vt dicit Macrobius: *Potens est ad similitudines formandas vis, & natura seminis*. Et præsumitur impurus, qui ab origine viciosa deriuatur, Bald. in l. fin. n. 11. C. de suis, et legit. hær.

4 Dicamus etiam, quod si Maria iuxta communes regulas propagationis Adam conciperetur, ridiculum spectaculũ esset Angelis, et hominibus, dum viderent, lucem Christũ oriri ex fonte in origine maculato; defectus etiam amoris inueniretur in filio, qui permisisset, diabolum de matre in Conceptione triumphare, contra illud Psalmi: *In hoc cognoui, quod dilexisti me, quia non gaudebit inimicus meus super me*. Etenim cum Deus sic festinaret, vt Maria ex stirpe Regali nasceretur, non est credendum, quod voluerit, eam in origine infecta, diaboli vinculo subiugare; fuit enim primus in obsequio præstando matri suæ, in cuius comprobationem occurrit mihi locus singularis sancti Luc. cap. 2. vers. 49. ibi: *Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Vbi sibi oportere, rem Patris illæsam, illibatamque seruari, affirmat Saluator vitę, et curare de illa: addit Euangelista: *Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos*. Quid autem dixerat, quod non intellexerunt, nisi illud tantum: *Nesciebatis quia in his quæ Patris sunt, oportet me esse?* Hęc clara sunt quoad litteram, sed non quoad sensum, & ideo immediate subiungit Euangelista: *Et mater eius cõseruabat omnia verba hæc in corde suo*; & bene conseruabat; quia filius dixerat de cura, quam habebat circa rem Patris per verbum illud *oportet*, eamdem curam obseruabat Virgo circa rem suam: & ideo non dicit, et Maria conserua-

bat,

bat, sed *mater conseruabat*. In iure æqualis pietas exhibetur patri, & matri. l. 4. ff. de curat. furios.

5 Dices, Christum nondum filium cum mater eius Maria concipiebatur, vnde nec debitam prouidentiam, nec amorem illi denegauit. Difficultas adeò leuis est, vt nec solutione egeat. Qui sic argumentantur, non aliter conueniendi, quam primis elementis sacræ Scripturæ; nam Maria quando non mater? Vt supra diximus cum D. Anselmo, & habemus textum expressum in cap. inuenta 27. q. 2. iuxta editionem Lutetiæ Parisiorum, anno 1561. vbi Virgo Beatissima appellatur *Vnigeniti Dei mater æterna*. Ex argumento illud elicitur, quod aut Deus potuit ignorare futura, vel quod non habuit curam, & prouidentiam de dilectissima Matre; vtrumque insolentissimum est. Referam verba sapientissimi Patris Pinto de Concept. antilogia 18. §. 5. n. 1266. ibi: *Si Verbum solum post Incarnationem Mariæ tanquam Matris res curauit, frustra ex dignitate matris concludit Diuus Thomas & docet fides, etiam ante Incarnationem à leuissima culpa præseruatam. Si vero hoc ad prouidentiam & amorem optimi futuri filij pertinuit, cur non & illud, tam matri necessarium? Si Maria vere Theotocos poterat postea dolens filio obijcere, quod cum esset Deus & potens, illam à venialibus non præseruaret: quanto iustius doleret & obijceret, quod illam à fœdissima origine non eriperet?* Verba quidem grauissima, & omnino ponderanda. Affirmat Ulpianus in l. si quis à liberis §. non tantum. vers. si impubes. ff. de liber. agnosc. *Iniquissimum esse parentem egere, cum filius sit in facultatibus*; ergo non permisit Christus matrem suam in miseria peccati originalis laborare, cum ipse habeat facultatem, vt posset eam à miseria inquinamenti originalis liberare.

6 Qui contra Deiparam hac de re philosophantur, procul dubio sibi persuadent, maiorem dari in legibus humanis prouidentiam, quam in lege diuina; & præstantiores esse homines in obsequijs paternis præstandis, quam sit ipse

Deus. Leges sæculi decreuerunt, parentibus omnem obedientiam, & honorem esse præstandum, ex tit. ff. de obsequijs præstandis, et si non agnoscunt reuerentiæ debitæ munus, non immerito videntur ipsi aduersus se prouocare omniũ notam, & seueritatem, l. etiam 5. C. de obseq. præst. Ita vt dicat Vlpianus in l. libetto 9. ff. de obsequijs parent. præst. *Filio semper honesta & sancta persona Patris haberi debet*. Aliter ergo de Christo dubitare erga matrem suam, impium, temerarium & indecorum est. Quis ferat, filium potentem liberare matrem ab ignominia peccati originalis, circa Mariam insorduisse, ac permisisse eam in tenebris versari tempore Conceptionis, vt sic possideretur tunc à diabolo? Concipimur in tenebris, & in nobis tunc possessio nẽ recipit Princeps tenebrarum cap. nulla præter. de cõsecrat. dist. 4. cap. maiores §. sed adhuc de Baptismo, vbi glossa verbo carentia. Non sic concipitur B. Maria, sed amicta Sole in Cõceptione resplendet, vt dicit S. Ioannes in cap. 12. Apoc. iuxta nostram explicationem supra cap. 8. Quod cum ita sit, quis dicere audebit, quod ille princeps tenebrarum habuit partem in matre sui creatoris? Dicit enim D. Augustinus in libro contra duas hæreses: *Vnde sordes in domo, in qua nullus habitator terræ accessit? solus ad eam eius fabricator & Dominus venit.*

7 Sed neque illud ferendum, quod aduersarij tentant, videlicet, paulo post animationem fuisse Deiparam sanctificatam, non tamen in vnione ipsa animæ & corporis. Cur ergo quæso, Deum sic liberalem prædicant in sanctificanda Matre etiam in vtero Annæ, hancque præstantiam Mariæ denegant in vnione corporis & animæ eius? Certe nulla differentiæ ratio congrua reddi valet; imo res ipsa efflagitat, & dignitas maternitatis expostulat, in ipsa vnione corporis & animæ interfuisse sanctificationem illam: & sicut in ore aduersariorum gratia Deiparam sanctificauit post animationem, eadem gratia sanctificauit

in vnione animæ, & corporis ob dignitatem maternitatis, in qua radicatur omne possibile exaltationis eius, sicut dictum est. Insuper primum esse Mariæ Virginis respiciebat Christum filium futurum, ergo in primo sui esse habuit gratiam, quia per illam constituitur mater virtualis Christi, etiam ante Incarnationem Verbi, per quam vera tunc Dei Mater extitit. Rursus Angeli creati sunt in gratia in primo eorum esse, ergo potiori iure Virgo Maria creata fuit in gratia in primo instanti suæ Conceptionis, cum sit Regina Angelorum; dicit enim Diuus Gregorius: *Quæ cæteris per partes, Mariæ omnia perfectissimè collata sunt*. Ergo etiam Maria habuit gratiam, in qua creati fuerunt Angeli in primo eorum esse, ac per consequens in primo esse suæ Conceptionis creata fuit in gratia, & non tantum habuit eam post animationem, vt contendunt aduersarij.

8 Item illud non est ferendum, quod deterior credatur pietas Dei in Matrem suam, quam hominum in parentes suos. Coniectantur leges humanæ, filios parentibus suis relinquere integram liberationem debiti, cum agitur de eis liberandis, et simul omne id parentibus concessisse, quod filij illis præstare potuerunt, de quo habemus elegantem textum in l. Aurelius 28. §. Titius. ff. de liberat. legat. vbi quidam filius reliquit in testamento liberationem patri suo, reliquit ergo ei liberationem tutelæ, quam administrauerat; ita enim filius in testamento suo cauit: *Seium Patrem meum liberatum esse volo ab actione tutelæ*. Quærebatur, an hæc liberatio, siue quitantia patri relicta, deberet accipi strictè, vel interpretaretur largè pro omni debito, quo pater filio esset obnoxius per actionem tutelæ; & primo tentat legislator, rem relinquendam iudicis arbitrio; sed finaliter concludit in hæc verba: *Præsumptio enim propter naturalem affectum facit, omnia patri videri concessa*. Uide qualiter affectio naturalis mi-

litet in amorem filiorum erga parentes, vt sic patri videatur omne illud remissum, quod ex quacumque causa debeatur. Cur diuersum causeris in Deo, vt dicas non remisisse matri, quod ei debebat in primo homine peccãte? Cur etiã illud causeris in Deo, quod sic strictè præter naturalis affectionis conditionem, se gesserit cum matre, quod eam post animationem fecerit gratam, non etiam in ipsa animatione? Imo quantum potes, tantum auge, audi iurisconsulti verba proxime relata, *Omnia Patri videri concessa propter naturalem affectum*. Cur peccatum tantum actuale matri remisisset, qui potuit etiam remittere originale? Omnia videntur parentibus à filijs concessa, quæ possunt filij remittere. Planè Christus potuit remittere matri originale, & voluit; quod si voluit, & fecit in obsequium matris. Si hoc negas, veniamus ad consequentias: nam vel hæreticè dicis, quod non potuit matrem præseruare Deus; vel dicis, quod potuit & noluit: in primo dicto denegas Dei omnipotentiam, quod est manifesta hæresis: si dicis quod potuit, & noluit, necesse est confitearis, quod Christus erga matrem boni filij officium non peregit. Bonus etenim filius matrem debet diligere, & eam ab infamia liberare. Cum ergo originalis macula claudat cœlestis gloriæ portas, & visionem Dei eripiat maculatis, ex cap. maiores. §. illi vero. de baptismo, & nihil sit turpius peccati ignominia, horribile videretur, quod Dominus permisserit in tantam ignominiam, & infamiam corruere eam, quam ab æterno elegit. Non inferamus ignominiam gloriæ nostræ. Cogitemus de Christo meliora, ad cuius existimationem spectat, ne matri inferatur iniuria peccati, nam quæ fit parenti, pudorem filij pertingit; ex l. 1. ff. de iniur. Neque modica filij ignominia est si parentem seruum habuisset aliquando. l. 1. ff. de liberali causa, ad lit. l. 2. *Quoniam seruitus eorum ad dolorem, iniuriamque nostram porrigitur*, & reliquiæ, seu memoria pristinæ seruitutis, etiam maculant in statu libertatis. l. 5. in fine. ff.

de

de natalibus restituendis: adiungas textum in l. moris 9. §. parentes. ff. de pœnis, vbi si filius remouetur ab ignominia, pater quoque remouetur: vnde credendum est, quod filius qui non venit soluere legem, voluit ex præcepto legis matrem honorare.

9 Deprompsi etiam aliud fundamentum ex legibus ciuilibus, ex textu scilicet in l. si quis ingenuam 21. ff. de captiu. & postlim. reuers. vbi dicitur, quod mulier quædā capta fuit ab hostibus & in seruitutem redacta: quidam homo, forte mercator eam mulierem ab hostibus redemit, & ex ea liberos suscepit: dubitatur in textu, an hi filij ingenui nascantur? Erat ratio dubitandi, quod mater redempta in causam pignoris deducitur, & quasi serua reputatur ex l. qui testamento §. 1. ff. de testam. vnde tam ipsa, quam liberi videbantur in statu seruitutis permanere l. fin. C. commun. de manum. & sic non poterant dici ingenui. §. 1. inst. de ingenuis. Sed contrarium decernit Iurisconsultus in d. l. si quis ingenuam, & respondet, filios ingenuos nasci, & matrem atiam dici ingenuam, & adiungit illam mirabilem rationem nostro proposito consentaneam, ibi: *Intelligi oportet, remissum matri pignoris vinculum, ex quo de ea suscipere liberos optauerat.* Verba ipsa satis se commendant: si enim omne debitū creditur remissum, & omne pignus, aut debitum, quod habetur contra matrem, sublatum intelligitur, quanto fortius hoc debet admitti in matre Saluatoris? Quid faceret rerum conditor cum Maria, de qua natus est Iesus? Nonne remitteret ei omne pignus, & omnem seruitutem, quam contraxisset, vel contrahere potuisset in Adamo? Maximè cum Virginis gloria non tam communis sit cum Filio, quā eadem, vt dicit S. Aponius, & addit D. Hierony. in epist. ad Paul. & Eust. de Assūpt. Virg. *Honor maternus, eius est, qui natus est ex ea.* Et apud nos vna persona filius & parēs reputatur. l. vlt. C. de impub. et alijs subst. ibi: *Cum natura pater & filius eadem esse persona intelligantur*

Hæc

Hęc cogita, & erubesce si contrarium aliquando tenuisti. Rursus quis credat, quod permitteret Deus, vestem suam pignori obnoxiam in illa obligatione prima Adami; ridiculum esset ita sentire. Vestis Dei Maria est, iuxta illud: *Solem nube vestiam*, id est, Christum de carne Mariæ, vt ait Bernardus: *Vestis eum & vestiris ab eo: vestis eum carne, & vestiris ab eo gloria suæ maiestatis.* Scio in generali obligatione & hyppotheca nunquam vestem comprehendi, ex l. obligatione 6. ff. de pignor. In summa, hæsitare circa hæc prima elementa debiti honoris, parentibus præstandi, nec debemus, nec ratio ipsa naturalis aliquomodo permittit.

Caput Decimum Tertium.

BEATA VIRGO MARIA NON includitur in pacto cum Adam, quia est sponsa Spiritus sancti.



SAnctus Bernardinus Senensis tom. 3. serm. 11. art. 2. cap. 3. hæc habet: *Tota Trinitas vniformi & concordi voluntate, hanc inæstimabilem Virginem ostendit esse suam sponsam incommunicabilis charitatis*. Sed specialiter Ecclesia sancta eam appellat sponsam Spiritus sancti, quia filius Dei incarnatus est de Spiritu sancto, & ex Maria Virgine. Dicamus ergo omnes, quod sponsa talis, propter honorem sponsi fuit immunis à labe peccati originalis: alioquin monstruosum esset adiungere purissimo sponso sponsam aliquando maculatam, vt notatur in cap. fin. de consecrat. dist. 3. Non nouit Deus opus imperfectionis, vt dicitur in cap. maiores. §. sed adhuc de baptismo; & esset horrendum, quod Maria, de qua incarnatus est filius Dei, Spiritu sancto cooperante, in aliquo temporis momento fuisset diaboli

serua

ferua & ancilla, quod neceſſario ſequeretur, ſi habuiſſet originale peccatum, vt in cap. poſtquam, et in cap. ſicut noſtis, de conſecrat. diſt. 4. Obſeruant leges humanæ & canonicæ æqualitatem inter ſponſos, & ad paria iudicantur, vt notant Doctores in cap. debitum, de Bigam. Obſeruant etiam inter ſponſos quamdam vnionem amoris, et gratiæ. l. 1. C. rer. amot. & in iure appellantur ſocij diuinæ & humanæ domus. l. 1. ff. de rit. nupt. l. aduerſus. C. de crim expil. hæredit. vbi appellat ſponſam ſui ſponſi ſociam; & diuitiæ ſponſi præſumuntur communicari ſponſæ, ſicut etiam familia et domus, vt in l. 1. §. ſi vir aut vxor. ff. ad Senatus conſ. Syllan. Maria Sanctiſſima fuit ſponſa Spiritus ſancti ab ęterno ordinata, ſicut etiam dicitur mater Dei æterna in cap. inuenta 27. q. 2. in editione Lutetiæ; et quãuis ex regulis naturæ, futura erat ſerua ex propagatione Adã; ex priuilegio tamẽ gratię manſit libera, nõ ſolum propter maternitatem, ſed etiã quia electa fuit ſpõſa Spiritus ſancti, quia ſerua, ſi eligatur à Domino, vt ſit eius ſponſa, remanet libera, vt probatur in auth. de nupt. §. ſi vero coll. 4. & auth. ad hoc C. de latin. libert. toll. Et ſufficit quod Deigenitrix fuerit electa ab æterno in ſponſam & matrem Dei, vt gaudeat omni gratia et priuilegio, quia ea eſt vis electionis, vt ſtatim electus ante poſſeſſionem gaudeat priuilegijs, ſicut dicitur in cap. ad Apoſtolicæ, in fine, et ibi gloſſa de re iudic. in 6. et Abbas in cap. tam litteris n. 2. de teſtibus, ibi: *Et ſic ergo potuit, & decuit ante coronationem Virginis, eius dignitatem exerceri, ſicut Imperator ante coronationem, & poſt electionem.* De quo etiam habemus textum in l. bene à Zenone, ibi: *Ante quam imperiales ſuſcepimus infulas.* C. de quadrien. pręſc. Ego equidẽ quoties audio dubitare de puritate originali Virginis, contremiſco, quia ſtatim mihi in mentẽ venit, quod eſt filia æterni Patris, Mater Dei filij, ſponſa Spiritus ſancti, templum & domus ſanctæ Trinitatis. Hæc quoties appendo in vna lance, et in alia ponitur Maria cum pecca-

peccato in radice & fundamento, expauesco: quia impossibile videtur, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio, vt dicitur in iure nostro, & tam sublime ædificium non rectè erigitur in fundamento peccati, argumento textus in cap. veniens de presbyt. non baptis.

2 Non recedamus à principali conclusione, quam initio huius capitis proposuimus. Maria est sponsa Spiritus sancti, ideo libera à contagio naturæ humanæ. Hanc propositionem eruditè elucidat iurisconsultissimus vir Don Ferdinandus de Oxeda in cap. firmissimè de consecrat. dist. 4. ibi: *Quia Deus debuit assumere sibi sponsam, & coniugem aliquam quæ non esset indigna, vel cuius coniugium non fuisset lege prohibitum: nam licet Princeps sit legibus solutus, tamen decet eum suis legibus viuere*, & reddit rationem: *Sed matrimonium prohibitum est contrahi à fidelibus cum aliquo, qui sit disparis cultus & infidelis, Exod. 34. Deuteron. 7. Vnde si matrimonium contractum sit cum infideli est nullum cap. caue. §. ex his 28. q. 1. Ergo Deus, qui sibi ab æterno elegit coniugem Sanctissimam Virginem, non debuit permittere, ipsam labi in peccatum, quo efficeretur serua diaboli inimici Dei, & sic secundum regulas matrimonij inepta foret coniugio, & maternitati Dei; quæ consideratio est B. Petri Rauenensis.* Prosequitur idem Doctor: *Et est maxime consonum, quia decens fuit, & rationi consentaneum, vt sponsa castissima nunquam careret gratia sui sponsi, sed semper iungeretur illi, glutino charitatis, ita vt nec quidem per momentum inter ipsam & sponsum inimicitia contraheretur: & hoc ita est, ne diuortium fieret, quod scilicet sine causa fieri nõ potest, cap. benedictio 32. q. 1. cap. nihil q. 6. cap. fin. de frig. & malefic. Si autem in peccato originali fuißet Sanctissima Virgo, pro illo tunc non fuisset Dei amica, & ab sponso separata fuisset; sed inter ipsam & Deum semper fuit amicitia & dilectio, Cantic. 6. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, ergo nullo tempore Dei amicitia destituta, & ita sine peccato concepta.*

3 Supradicta confirmantur ex eo, quod propter dignitatem

tem sponsi vxor illustratur, & quodammodo ei efficitur similis in maiestate. Ita Felinus in cap. super eo de testibus, et l. fœminæ. ff. de Senator. vbi Bartolus dicit, quod vxores coruscant radijs maritorum, et eorum dignitate & priuilegio gaudent; et Decius in l. sicut bonis. C. de in ius vocando, inquit, quod sponsi dignitas in sponsam influit. Vide ergo, quia Maria est sponsa Spiritus sancti, ne irreuerenter in eam irruas: etenim vindicatio iniuriæ factæ sponsæ, magis spectat ad sponsum, quam ad patrem & filium ipsius sponsæ; nam sponsus præfertur in vindicanda iniuria, vt probat Plaza in epitome delict. cap. 45. n. 1. Padilla in l. transigere n. 57. de transact. Flores de Mena lib. 1. quæst. 7. Græcia perijt, quia irreuerenter se gessit cum Spiritu sancto: ne tangas sponsam eius, nec maculas illi retribuas.

CAPUT DECIMUM QVARTVM.

PROPONITVR SERMO SANCTI Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis de Conceptione B. Mariæ.

1 DEcreui in hoc capite verba S. Anselmi transcribere, quæ mihi iucundissima semper fuere, et erunt omnibus gratissima, suntque mysterio originalis puritatis Beatæ Mariæ valdè necessaria, et fauentissima. Verba S. Doctoris.

Principium, quo salus mundo processit, mihi considerare volenti, occurrit hodierna festiuitas, quæ de Conceptione Beatissimę Mariæ Matris Dei multis in locis recolitur. Nec magni ponderis est omne, quod dignitati, aut honori eius, humana laude defertur, si meritis illius, et insignibus comparetur. Tantorũ namque bonorũ consummatio, quæ per ipsam Domini matrem omni creaturæ prouenerunt,

videtur admonere omnem creaturam humanam, pietatis affectu exordium suum considerare, quam sublime, quam diuinum, quam ineffabile fuerit. Nec mirum; fundamẽtum siquidem, & quasi quoddam sacrarium Ciuitatis & habitaculi summi boni in ea ponebatur, & mansio lucis æternæ corporalis, quã corporaliter inhabitaret ille incorporeus, & incircumscriptus, creans simul & viuificans omnia spiritus, parabatur. Sancta igitur Virgo Maria, mater Dei futura, sicut eum, qui supra omnia est incomprehensibilis, verum erat hominem ineffabili modo de sua substantia Virgo paritura, ac per hoc in Deitatem illius quodammodo transitura, ita non absurdè credi potest, primordia Conceptionis eius tanta diuinitatis sublimitate præsignata, vt humanarum conceptio mentium ea planè penetrare non valeret; & ideo eiusdem Conceptionis dies festiuis laudibus à multis fidelibus merito celebratur.

2 De ipsa quippe multis sæculis ante ortum eius, Isaiam Spiritu sancto afflatum dixisse constat: egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini. Hæc itaque virga, quæ talẽ ex se protulit florem, nullo dissentiente, Virgo Maria fuit; & flos qui de radice eius ascendit, eius benedictus filius, super quem & in quo omnis plenitudo diuinitatis essentialiter requieuit. Hæc igitur tanti filij dignissima parens, cum in aluo suæ parentis naturali lege conciperetur, quis non cõcedat, Dei sapientiam à fine vsque ad finem pertingentem, cuncta implentem, cuncta regentem, nouo quodam, & ineffabili gaudio cœlum, & terram, & omnia quæ in eis sunt profundissima atque ineffabili iuuilatione, pro sua reintegratione, quam per illam sibi euenturam, diuina & occulta inspiratione præuidebat, perillustrasse.

3 Sed cum ipsa conceptio fundamentum fuerit habitaculi summi boni, si peccati alicuius ex primæ præuaricationis origine maculam contraxit, quid dicemus? Utique diuina

voce

voce dicitur ad Ieremiam, priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de ventre, sanctificaui te: de Ioanne quoque Angelus, qui eum nasciturum prænuntiabat, asseruit, quod Spiritu sancto repleretur adhuc ex vtero matris suæ. Si igitur Ieremias, qui apud gentes erat propheta futurus, in vulua est sanctificatus, & Præcursor Domini Ioannes, Spiritu sancto ex vtero matris est repletus; quis dicere audeat, totius seculi propitiatorium mox in suæ Conceptionis exordio destitutum Spiritus sancti gratiæ illustratione, testante scriptura, vbi Spiritus Dei, ibi & libertas. A seruitute igitur omnis peccati libera fuit, quæ olim peccatorum propitiatoria aula, in qua & ex qua personaliter homo fieret, Spiritus sancti præsentia & operatione construebatur.

4 Magnitudinem operationum diuinæ virtutis, quadam mentis limpitudine posse considerans, videor mihi videre; quod si quid originalis peccati in propagatione eius, & communis vitij extitit, illud propagantium, & non propagatæ prolis fuit. Nam si Dominus castaneæ confert, vt inter spinas remota compunctione recipiatur, alatur & formetur, non potuit hoc dare humano templo, quod sibi parabat, in quo corpaliter habitaret, & de quo in vnitate personæ perfectus fieret, vt licet inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen spinarum aculeis omnimodò exors redderetur? Planè potuit, & voluit, quod si voluit, & fecit. Et quidem quidquid dignum vnquam de aliquo extra suam personā voluit, perperam est, de te, ò beatissima fœminarum, noluisse. Matrem te fecit suam ille rerum omnium factor & Gubernator Dominus. Te Dominam, ac Imperatricem cœlorum, terrarum, atque elementorum constituit: & vt ita esses, in vtero matris tuæ à primordijs Conceptionis, operante Spiritu sancto crearis. Numquid igitur in tanta futura gloria, summi videlicet Dei mater vnica, & omnium quæ sunt, fuerunt,

&

& erunt, post filium tuum, Imperatrix prudens & nobilis: numquid in exordio tuo talis esse debuisti, vt omnium, quorum te dominium gerere certissimè nouimus, aut puritati, aut subiectioni possis addici?

5 Ille assertor veritatis, vas electionis cognominatus, omnes homines in Adam peccasse fatetur: vera vtique sententia, & cui contradici nefas esse pronuntio. Sed cum eminentiam gratiæ Dei in te considero; sicut te non intra omnia, quæ facta sunt, inæstimabili modo contueor, sic nec lege aliorum in tua formatione demetiendam opinor; singulari, & impenetrabili diuinitatis virtute, & operatione ab omni peccati adiunctione liberrima. Peccatum fuerat, quod homines à pace dirimebat: & vt illud filius euacuaret, sicque ad pacem genus humanum reuocaret, homo fieri voluit, & talis, vt nihil in eo aliquatenus remaneret, quod non concordaret ei, vnde homo à Deo discordabat. Quia ergo ita fieri oportebat, matrem, de qua talis lis tolleretur, mundam ab omni peccato esse decebat. Aliter: quo pacto illi summæ puritati caro eius tanta coniunctione vniretur, vt indiffidenter, quæ sunt hominis, essent Dei, et quæ Dei, hominis essent?

6 Adhuc propone tibi palatium, quod specialiter suis vsibus aptum existat, construere volentem, in quo & ipse frequentiori, et festiuiori cursu conuersetur; & omnibus ope eius atque auxilio indigentibus, mitiori & lætiori vultu respondeat, et auxilietur; pateretur ne in principio palatij fundamentum inualidum, et structuræ ædificandæ incongruũ & non cohærens? Non puto si saperet, et propositum suum ad effectum perducere vellet. Ergo sapientiam ante omnia sæcula proposuisse sibi habitaculũ, quod specialiter inhabitaret, similiter indubitata fide tenemus. Quod autem habitaculum istud fuerit, iam dudum innotuit. Hoc enim habitaculum, illud sacrarium Spiritus sancti esse fatemur, in quo & per quod eadẽ sapiẽtia cõiungi voluit huma-

næ

næ naturæ, & incorporari, et omnibus se pura mente con- „
fitentibus parcere & misereri; quod sacrarium, aula videli- „
cet vniuersalis propitiationis cum operante Spiritu sancto „
construeretur: si fundamentum illius, primordium scilicet, „
formationis Beatæ Mariæ corruptum fuit, ipsi certè con- „
structuræ non congruebat, nec cohærebat. Inscia ne fuit & „
impotens sapientia Dei & virtus, dum mundum sibi habi- „
taculum conderet, remota omni labe conditionis humanę? „
Angelis alijs peccantibus, bonos à peccatis seruauit, et fœ- „
minam matrem suam mox futuram ab aliorum peccatis „
exortem seruare non valuit? In æternitate consilij fixum „
statuit, eam dominatricem & Reginam fore Angelorum, „
et nunc inferiorem Angelis natam, et in consortium acce- „
ptam esse credamus omnium peccatorum? Existimet hoc, „
et argumentis suis probet qui vult. Ego donec ostendat „
mihi Deus aliquid dignius excellentia Dominę nostræ pos- „
se dici, quæ dixi, dico; quæ scripsi non muto. „

CAPUT DECIMVM QVINTVM.

PONVNTVR AD LITTERAM DIScursus Reuerendissimi D, D. Ioannis Baptistæ à Lanusa Episcopi Albarrazinensis sermone Hispano.



1 PRimeramente se infiere la pureza de la Concepcion de Maria Santissima. Porque assi como en la forma que se guardò en la generacion natural de los hombres, dio principio Dios nuestro Señor a la naturaleza humana, formando a la muger de la costilla del hombre, *Tulit vnam de costis eius, & ædificauit costam in mulierem*, y por Eua assi formada comunicò el ser natural humano a todos los hom-

bres hijos de Adan, assi por Maria Santissima, formada del huesso de la virtud de Christo comunicô Dios a los hombres el ser sobrenatural de la gracia, y por su medio los hizo a todos hijos adoptiuos de Dios. En Christo ay carne y huesso; la carne es la flaqueza de la naturaleza humana, *mortuus ex infirmitate*; ay huesso q̃ es la diuina virtud: *viuit ex virtute Dei*. No fundô Dios a Maria sobre carne; hoc est, sobre flaqueza, y obras de pecado, sino sobre el huesso de su diuina virtud: *quia fecit mihi magna*. Nuestro principio es nuestra concepcion, fundasse en el pecado original, que es la flaqueza de la carne: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*. Pero el principio, o concepcion de la Virgen se fundó sobre la virtud de Dios, *ipse fundauit eam Altissimus*.

2 Lo segundo: porque como profetizó Dauid, hablando en persona de la Virgen, la crio Dios, y rodeô toda de su diuina virtud: *Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam, & vsque super excelsa statuens me*. Desde la Concepcion hasta la muerte y gloriosa Assumpcion, toda estuuo rodeada y cercada de virtud diuina, y de tal suerte, que no tuuo jamas en ella entrada Satanas. Y es dezir, que la ilustrò Dios con el don de la justicia original, con la qual tuuo cercada en nuestros primeros Padres toda la naturaleza humana. Esta justicia original es la costilla, sobre que se dixo arriba, que fundó Dios a Maria en su Concepcion.

3 Lo tercero: porque la hizo Dios como coadjutora semejante a Christo en la generacion espiritual, de la forma que en la naturaleza hizo a la primera muger semejante al primer hombre. Y como Christo por naturaleza fue libre del pecado, assi la Virgen por gracia lo fue del original y de los demas actuales.

Lo quarto: porque la fundó Dios en la virtud de la Passion, Cruz, muerte, y merecimientos de Christo, que es la virtud de Dios: *Christum crucifixum, Dei virtutem, & Dei sapien-*

pientiam;porque en ſu muerte le aplicò el valor deſu Cruz, de ſu ſangre, y redempcion, aun para el inſtante que fue concebida:*ex morte Chriſti præuiſſa*.Y no ſe ha de entender que huuo culpa original en ſu Madre, porq̃ le aplicô Chriſto ſu Redempciõ. Pues ſi bien dixo ſan Gregorio, que ignora eſte nombre, quien le aplica a donde no ay culpa, ni cautiuerio;ſe le aplica a la Virgen ſin ſer captiua, al modo que dixo la Eſcritura del Capitan Sangar,que librôde Antiocho a Iſrael, no auiendo eſtado Iſrael captiuo debaxo de Antiocho, y duda S. Auguſtin: *Quomodo ſaluauit, ſi tunc Iſrael ſuo tempore non fuit iugo ſeruitutis ſubiectus?* Y reſponde,que a no preuenir Sangar a Iſrael eſtos daños, quedara captiuo. De la miſma manera ſe dirà de la Virgen, que la redimio Chriſto, no de captiuidad en que eſtuuieſſe ya pueſta, ſino preuiniendola de ella,en virtud de ſu redempcion,en la forma que dixo Dauid:*Eruiſti me ex inferno inferiori*;porque ſi Dios no tuuiera al Profeta de ſu mano,auia de ir allà,y a ſemejança,ſi ala Virgen no la preuiniera la diuina gracia,auia de incurrir en el pecado original.

5 Lo quinto:porque la aplicô Chriſto ſu redempcion deſde el inſtante de ſu Concepcion, por lo que ſeñala el Euangelio, Matth. cap. 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid,filij Abraham.* Que llama a Chriſto hijo de Dauid, y de Abrahan, aunque no auia de nacer de ellos en dos mil años;porque Chriſto aun deſde tanto antes que nazca,ſabe beneficiar a ſus Padres,haziendoles obras de hijo: *Abrahã vidit diem meũ,vidit & gauiſſus eſt.* Aun a Adan,le valio para que ſaliera de pecado el ſer Padre de Chriſto, ſegun la carne:*Hic eum, qui primo formatus eſt,liberauit, & eduxit à delicto ſuo.* Y a Noe: *Cuſtodiuit iuſtum per contemptibile lignum*; por lo qual ſe llamó Chriſto: *Agnus qui occiſus eſt ab origine mundi*, y por el ſe ſaluaron los Padres antiguos: *Per ſapientiam ſalvati ſunt omnes qui tibi placuerunt*: y eſto porque auian de ſer padres ſuyos, pues quanto mas Maria, *de qua natus eſt Ieſus.*

6 Lo sexto: porque le aligerò Dios los pies, mas que los de los cieruos, *Perfecit pedes meos tanquam ceruorum*, como los de los gamos remontados en el cielo, que son los Angeles, porque procedio con ella al formarla, como con ellos quando los crio: *Erat Deus simul condens naturam & largiens gratiam.* Perficionó su entendimiento, y voluntad, como la de los Angeles, para que no pudiera tener entrada en ella Satanas. Y es lo que le prometio Dios en aquella antigua promesa, que le cumplio en su concepcion: *Tu insidiaberis calcaneo illius, & ipsa conteret caput tuum.* El demonio haze los tiros a los pies: por ellos se entiende nuestra concepcion, porque sobre ella se funda toda nuestra vida, como todo el cuerpo sobre los pies, y le parece que derribado el fundamento, derribarà lo demas. Ruperto dixo, que en la naturaleza tiene tal enemistad la muger, y la serpiente, que si esta puede asirla y morderla del pie, por ser tan fria, la atosiga y mata con la ponçoña que le arroja por donde la muerde; pero que si la muger puede poner el pie sobre la cabeça de la serpiente, por poco que la toque, le quita las fuerças. El demonio es serpiente, y para perder vn alma, le assesta a los pies, esto es, a su concepcion. Pero como a la Virgen *perfecit pedes meos*, acudio Dios con su gracia, y ella le quebrantô la cabeça a la serpiente, antes que pudiera morderla del pie.

7 Lo septimo: porque sublimô Dios a la Virgen sobre lo mas leuantado de la Iglesia: *Super excelsa statuens me.* Edificola sobre los mayores Santos. La regla de San Alberto Magno, aprobada por Santo Tomas, prueba lo dicho, dõde dize que todas las excelencias que Dios comunicó a los santos, auemos de reconocer en la Virgen con mayores ventajas. Hizo Dios vnos Santos grandes en el nacimiento, como al Baptista, y Ieremias: sea la Virgen santa en su nacimiento, y mas. A otros hizo grandes en la niñez, como a los Innocentes, pues la Virgen sea santa en la niñez, y

mas

mas. A otros en la vida hizo grandes como a los Apostoles; a la Uirgen santa en la vida, y mas. A otros en la muerte, como al buen Ladron; a la Uirgen santa en la muerte y mas. Pues qual serà este mas, sino hazerla santa en la Concepcion, para que exceda a todos los mayores Santos? Que el estar en pecado, aun por vn instante, no fuera hazerla mas santa que a todos. Probô S. Thomas, que para ser vn niño martyr, no es necessario que tenga vso de razon, y basta que le quiten la vida por hijo de Christianos, y se espere del que ha de ser christiano. Pues si vn herege, o infiel matase a vna muger catolica que estuuiesse preñada, y le quitase la vida, porque es christiana, y al que tiene en el vientre, porque no lo sea, aquel niño seria martyr con el bautismo de sangre. Puede ser que vn enemigo de Christo mate a vn niño, en odio que es christiano, en el vientre, en el instante, o inmediatamente despues de ser animado: este tal podia dezir a la Uirgen, que auia tenido tan poca parte como ella en el pecado original; pues si le contrajo en la animacion, luego se le quitò; y assi para que se verifique, que es superior a todos en la santidad esta soberana Señora, *super excelsa statuens me*, goze del priuilegio de auer sido concebida sin pecado original.

8 Lo octauo: porque la Virgen fue figurada en aquel Templo excelente, que edificò Zorobabel, por quien dixo el Espiritu santo: *Manus Zorobabel cœperunt ædificare domum istam.* Y S. Geron. dixo, que Zorobabel quiere dezir, *Magister insignis in Babel*, y que significa a Christo: *Vos vocatis me magister, & bene dicitis.* Sus dos manos se emplearon en formar a la Virgen en su Concepcion. No dize la mano, porque las puso entrambas a edificarla. No solo aquella con que dà el ser natural, sino tambien la otra con que dà el ser de gracia. En nuestra formacion primero pone la mano con que dà el ser natural, que es lo que obra en nuestra concepcion, y despues pone la mano con que dà el ser

espi-

espiritual, y assi en la primera mano, con que dà el ser natural, dexò entrada para el demonio, por la culpa de Adan. Pero en la Concepcion de la Virgen anduuo con entrambas manos a la par, vna con que dà el ser de la naturaleza humana, y la otra con que dà el ser sobrenatural de la gracia: *Leua eius sub capite meo & dextera illius amplexabitur me.* La siniestra para los bienes de naturaleza, y la diestra para los de gracia, con que rodeò y cercô a la Virgen, como el que abraça a alguno, que le rodea con entrambas manos. Tiene este gran Prelado otros discursos bien singulares, pero en los que se han referido, bastantemente ay que rumiar, y en que saborearse.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

PROBATUR. NIHIL EX PECCATO originali contraxisse Deiparam, neque habuisse aliquem effectum prouenientem ex illa causa.

1 B initio, cum iuri canonico operam dedi, inueni perniciosissimos effectus peccati originalis, præcipuè in Decreto Gratiani in distinctionibus, de pœnitentia, & de cōsecratione; nā in cap. hanc societatē. §. omnes de pœnit. dist. 4. omnes, qui ex Adam peccatores nascuntur, hi esse diaboli filij, & serui, proponuntur, ibi: *Omnes quicumque in Christo renascuntur, & qui eius sanguine à diabolo redimuntur, prius ex Adam peccatores nascuntur, diabolicæ seruituti obnoxij: sicut ergo quamuis sint futuri filij Dei, tamen prius sunt filij diaboli.* Idem dicitur in cap. qui natus de pœnit. dist. 1. Item qui sunt in peccato originali dicuntur vasa dia-

boli

boli, vt in cap. postea de consecrat. dist. 4. ibi, *Signatur baptizandus signaculo sanctæ Crucis, vt ab eo tempore apostata diabolus in vase suo pristino, illud sciat esse alienum.* Item ille qui habet originale peccatū, simul est in dominio, & in possessione diaboli, sicut diffinitum est in cap. postquam. & in cap. sicut nostis, de consecrat. dist. 4. ibi: *Paruuli exsufflantur, & exorcizantur, vt pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, vt possideret homines;* & ibi: *Postquam se baptizandus per confessionem veræ fidei in alterius commendauerit dominium, & per abrenunciationem à prioris possessoris se alienauerit seruitio; exsufflatur ab eo potestas sæua.* Et quod magis est, nos miseri in illo peccato originali fuimus constituti in magno fœtore iniquitatis, & in vermibus putrefacti, vt dicitur in cap. ex hinc de consecrat. dist. 4. ibi: *Datur baptizando sal benedictum in os, vt per sal typicum, careat fetore iniquitatis, nec à vermibus peccatorum vltra putrefiat.* Item in illo peccato omnes cum Adamo amisimus nobilitatem, vt in cap. Adā dist. 40. Hæc mecum voluens, ferè tabescebā, & mirabar, quod sint Doctores, qui in Beata Maria peccatum originale adfuisse asseuerauerint! Tale cogitandū de Deo? Tantæ ne animis cœlestibus iræ? Maria SS. aliquando dicenda est diaboli filia, eius ancilla, à dæmone possessa, vas immundum diaboli, in diaboli dominio & potestate constituta; in fætore iniquitatis detenta? Absit, quod has ignominias de matre Dei cōcipiamus. Quomodo filia diaboli dicenda est, quæ filia Altissimi decantatur, iuxta illud: *audi filia, &c?* Quomodo ancilla diaboli, quæ tantum Dei ancilla proponitur: *Ecce ancilla Domini:* & vt ait Ambrosius de instit. Virg. c. 12. *Maria nulli subdita, sed soli Deo?* Quomodo dici debet possessa à diabolo, quando ipsa diaboli caput contriuit, *ipsa conteret caput tuū?* Possessio à pedū positione trahitur. l. 1. ff. de acquir. posses. Non enim diabolus in Maria pedes apposuit, imo ad pedes Mariæ prostratus ingemiscit. Quomodo Maria vas immū-

dum

dum dici deberet, cum vas ſanctitatis honorabile, & ſanctiſſimæ Trinitatis complementum, & ſacrarium prædicetur frequenter à Patribus? Quomodo in poteſtate diaboli, & dominio futura erat illa, quæ eſt Filia Dei Patris, Mater Dei filij, & ſponſa Spiritus ſancti? Si hoc eſſet poſſibile, portentoſum ſpectaculum eſſet Angelis, & hominibus. Quomodo in Maria fœtor, & putredo per peccatum originale, cum ſit templum Dei, & ex gratia ſemper ſancta? Et adeò ſancta, vt dicat gloſſa verbo *priuilegio*, in cap. 1. de conſecrat. diſt. 4. quod Beata Maria non potuit peccare, de quo conſulendi ſunt Theologi. De illo templo Salomonis referunt antiqui magiſtri, teſte P. Lezana in Apolog. cap. 8. verſ. *in Salomonis templo*, quod non fœtuit in eo vnquam caro ſacrificij; quid dicemus de Domo, & templo Dei, Maria Beatiſſima? An caro eius aliquando fœtuit? Abſit. Item, non eſt vermibus corroſa, quia non dabit Deus ſanctum ſuum videre corruptionem. Eſt enim B. Maria, Dei templum cap. naſci 56. diſt.

2 Perueniamus ad alios effectus peccati originalis, & primo inuenio, quod in cap. maiores. §. ſed adhuc de Bapt. vnus ex effectibus peccati originalis ponitur, vt ſit carẽtia viſionis Dei, ibi: *Sed adhuc queritur, quare non ſaltem originale peccatum amentibus, & dormientibus in baptiſmo, ſicut paruulis dimittatur? Ad hos taliter reſpondendum, quod Dominus, qui totum hominem ſaluum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non nouit: & ob hoc peccata non ex parte, ſed ex toto dimittit. Præterea pœna originalis peccati eſt carentia viſionis Dei; actualis vero pœna peccati eſt gehennæ perpetuæ cruciatus.* Quæ verba difficillima ſunt, vt patet ex verbis gloſſę ibi, verbo *propter originale*: argumentatur enim gloſſa, & fortiter probat, etiam propter peccatum actuale dari carentiã viſionis Dei, de quo tamen vide ibi gloſſam marginalem. Sed ad noſtrum inſtitutum ſat eſt cognoſcere, effectum vel pœnam originalis peccati eſſe carentiam viſionis Dei: &

licet

licet ad pœnam potius, quam ad effectum hoc pertineat; nihilominus hæc pœna non fuit in Deipara: nam multi, & sanctissimi viri contendunt, Deiparam, non solum in gratia originali, sed etiam in gloria fuisse conceptam, & in primo instanti suæ Conceptionis Deum vidisse. Mouentur, quia omnia priuilegia concessa sanctis, per excellentiam, & cum prærrogatiua habuit Deigenitrix, ne plus concedamus in seruis, quam in Domina, vt notant Bernardus, Antoninus, Gerson, cum Alberto Magno, Cyprianus item, & Rupertus; cumque Moysi, & Paulo, Benedicto, & alijs concessum legamus, vt Deum viderent, non est, cur hanc prærogatiuam iam ab vtero in primo sui esse Dominæ nostræ denegemus. Præcipuè, cum Beata Maria plus gratiæ habuerit in primo instanti suæ Conceptionis, quam omnes simul sancti; cum ipsa in sanctitate initium habuerit, vnde omnes sancti finem consequuntur, iuxta illud: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Si ergo Beatum Paulum statim post conuersionem glorificauit Deus, etiam si tunc haberet minorem gratiam; cur non dicemus, glorificasse Beatam Mariam in primo instanti suæ Conceptionis, in quo maiorem gratiam, non solum quam Paulus, sed etiam quàm omnes beati proculdubio habuit.

3 Probant superiorem conclusionem Diuus Hieronymus lib. de Natiuit. Mariæ tom. 9. qui sic de Deipara loquitur: *Quotidie ab Angelis visebatur, & diuina visione fruebatur.* Eusebius Gallican. homil. de Assumpt. ad finem: *Ipsa non solum secundum humanitatem; verum etiam secundum Diuinitatē contemplari, & plus omnibus cognoscere meruit.* Si ergo alij cognouerunt, plus & Domina. Item D. Anselm. homil. Assumpt. *Quid de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat?* Et Petrus Damianus homil. 1. de Natiu. Virg. *Considera quia ipsa est, quæ in contemplatiuæ dignitatis supervecta dulcedinem, in ipsius substantiam lucidiores fixit obtutus.* Et P. Andreas Ramirez Pinto, tract. de Concept. in appendice

cap.

cap. fin. num. 1620. per hæc verba: *Mariæ maiora debentur priuilegia, quam alijs vt fatetur Diuus Thomas 3. part. quæst. 27. art. 1. Sed alijs accelerata gloria transitiua priuilegiũ fuit: ergo Deipara maiorem hanc habuit accelerationem. Paulus paulo postquam gignitur ad gratiam, gloria superfunditur: ergo Maria non paulo post, sed in ipso instanti quo concipitur in gratia, beatur gloria.* Non omittam transcribere verba eruditissimi pariter, & Religiosissimi Patris Ioannis Camacho Societatis Iesu, in sermone de Concept. *El docto quanto deuoto Gerson preguntado, si la Virgen vio en el primer instante de su Concepcion a Dios. Respondio, no se atreuia a negarlo. Pero S. Buenauentura se atreuio con Pedro Damian a afirmarlo, diziendo aquel sin reboço, que fue concebida en gloria, non solum in gratia, sed in gloria; y este, en candor de eterna luz, que es lo mismo: singularis eius puritas in candorem lucis æternæ versa est; y cierto quien oye hablar a los Santos de Maria, no es possible, que le niegue aquesta prerrogatiua sin negarles a ellos el credito, porque si vltra de ser Dios, todas las demas por auentajadas que sean se hallan, como afirman en ella; y esta no llega a ser Dios; como es possible negarla? Finalmente si ella es el blanco de los intentos de Dios, y fin por quien obrô, criando, redimiendo, y saluando a los demas Santos por ella, y en esta conformidad, y del axioma comun, propter quod vnumquodque tale, & illud magis, por la creacion la auentajô en los bienes de naturaleza; y por la redempcion fueron tales los excessos, con que en los bienes de gracia la mejorô, como si no huuiera otro a quien darla. Razon, porque la llamô Ildefonso, solum opus redemptionis; y por la glorificacion finalmente la prefirio en los de la gloria, tanto, que como afirmò Damiano, quantos gozan Angeles y almas gloriosas, pardean en su presencia, como se puede creer, que en su Concepcion, en que la crio y redimio, santificando su alma, y prefiriendola con tan excessiuas ventajas a todos los demas Santos en los bienes de naturaleza, y gracia, la aya en los de la gloria igualado, dexandola de glorificar como a ellos?* Si enim pœna

pecca-

peccati originalis est carentia visionis Dei, ex d.cap.maiores. §. sed adhuc. Habemus in virgine in illo instanti suæ Conceptionis fruitionem gloriæ, & cum ea non compatitur peccatum.

4 Secundus effectus peccati originalis est, in tenebris versari, & in tenebris manere, donec per gratiam Dei, & baptismum reddatur ad lucem; ita diffinitum est in cap. nulla præter. de consecrat. dist. 4. ibi: *Nulla præter baptismum salus promittitur, quia infantes si per sacramentum, quod ad hoc est diuinitus institutum, in credentium numerum non transeunt, in tenebris manent.* Concepti in eo peccato, sunt obstricti æternis tenebris, & damnationi, vt dicitur in cap. regenerante. de consecrat. dist. 4. ibi: *Fallit enim, & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros; dicente Apostolo; per vnius delictum omnes homines in condemnatione.* Oboritur iam hîc pia consideratio. Voco affectuosos Mariæ filios, interrogo si Domina nostra aliquando potuit in tenebris versari? Dicamus omnes, & firmissimè teneamus, Deiparam in candorem lucis ab initio conuersam, vt dicit Damianus. Non sustinet iustitia, vt Deipara communibus laxaretur iniurijs, vt dicit Cyprianus. Nulla ratio permittit, quod mater lucis æternæ, tenebrosis indumentis aliquando vteretur, cum Deus circumdederit eam indumento iustitiæ originalis, & quasi sponsam decorauerit corona, & ornauerit monilibus suis, vt dicit Esaias cap. 61. vers. 10. quem locum communiter accipiunt Patres de Deipara. Absit, Dominam mundissimam aliquando, nec momento quidem, in tenebris versatam, dicit Augustinus serm. 20. ad fratres in hæremo: *Igitur in cœlo qualis est Pater talis est filius; & in terra qualis est mater, talis est secundum carnem filius.* Vide similitudinem filij & matris; sed filius nunquam fuit in tenebris, iuxta illud: *Et tenebræ eum non comprehenderunt.* Ergo neque mater. Non enim quadrat Deiparæ secundus effectus peccati originalis, ipsa cõcipitur in luce, vt probamus cap. 8. Dies & nox misceri nequeunt. Ac

§ Adhæreo his, qui tenent Beatam Mariam fuisse baptizatam; sed non ideo dicemus, per baptismum fuisse à tenebris ereptam, & luci restitutam. Scio per sacramentum Baptismi Christi sanguine rubricati, illam culpam & maculam originalem aboleri, & etiam actualia remitti, vitarique pericula manantia ab illa præuaricatione; et ad lucē baptizatos restitui, necnō ad regnum cœlorū etiam peruenire, cuius ianuam sanguis Christi fidelibus misericorditer reserauit. Sed Beata Maria, non vt hæc vitaret, vel hæc assequeretur, baptizata dicatur: fuit enim baptizata propter exemplum imitationis, & vt adimpleret sacramentum institutū à filio suo, sicut etiam adimpleuit alia præcepta legis, quibus non tenebatur; & Dominus Jesus, qui peccatum non habuit, etiam baptizatus est à Ioanne, non vt aliqua eius iniquitas dilueretur, sed vt humanitas commēdaretur; & baptisma in eo nihil habuit, quod ablueret, sicut mors in eo nihil inuenit, quod puniret, vt dicitur in cap. non regenerabantur de consecrat. dist. 4. & propter exemplum imitationis baptizata est caro Christi, sicut habetur in cap. si baptizata de consecr. distinct. 4. ibi. *Si baptizata est caro Christi, quæ sine peccato erat, propter exemplum imitationis, quanto magis baptizanda est caro mortis*. Caro Christi est caro Mariæ, vt plenissimè probatum est, & habetur etiam in cap. accesserunt §. de carne Mariæ, de consecrat. dist. 2. Item dicit Ambrosius in cap. per aquam. de consecrat. dist. 4. *Christus ad baptismum descendit, non vt caro mundaretur, quam suscepit de nostra conditione, sed nobis erat necessarius qui peccato eramus obnoxij*. Itē baptizata est Beata Maria, vt haberet characterē Christianitatis, & vt ait Archidiaconus in cap. Valētinianus 63. dist. & Franciscus Marcus in decision. Parlam. Delphin. decis. 951. n. 19. Beata Maria nutu diuino fuit baptizata, licet nouissimè Fr. Christoph. Delgadill. de sacram, cap. 4. dub. 19. nu. 62. teneat, B. Mariam non fuisse insignitam aliquo charactere. Item baptimus non solum delet

pecca-

peccatum originale, sed etiam confert gratiam sanctificantem, & alia multa, de quibus Granado de Concept. disp. 3. cap. 27. num. 3.

6 Tertius effectus peccati originalis proponitur in cap. firmissimè de consecrat. dist. 4. ibi: *Nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum, mortique subiectum, & ob hoc naturaliter iræ nasci filium, de qua dicit Apostolus, eramus enim natura filij iræ.* In explicandis his verbis non parum immorabimur. Tertius hic effectus continet in se quatuor capita. Primo dicit, omnem hominem, qui per concubitum viri, & mulieris generatur, esse sub vitio originali. Secundo, quod ex illa radice genitus subijcitur impietati. Tertio, quod morti subiectus nascitur ex eadem radice. Quarto, quod naturaliter est filius iræ. Videamus autem, an Deipara aliquo ex prædictis implicetur. Scio, per concubitum sanctissimorum Ioachim & Annæ fuisse generatam, sic videtur tabe originalis culpæ fuisse maculatam. Argumentum sanè conuinceret, si naturæ leges meditaremur, & verba huius textus iudaicè, vel ad litteram circa Beatam Mariam interpretaremur. Non sunt naturæ leges in præsenti inuestigandæ. Maria est opus gratiæ, de quo memini, me plura adnotasse in capitibus superioribus. Circa generalem illam propositionem *Omnem hominem* dicemus in cap. pen. huius operis. Nunc specialiter obseruemus, verba textus in cap. firmissimè procedere secundum subiectam materiam, qua de agit. At sanctissimi Ioachim, & Anna ad generationem Beatæ Mariæ matrimonialiter conuenerunt ex præcepto Dei, non ex voluntate concubitus, vel voluptatis carnis: ita constat ex reuelat. B. Birgittæ lib. 6. reuelat. cap. 55. ibi: *Quando pater meus, & mater mea matrimonialiter conuenerunt, plus fecit hoc obedientia, quam voluntas, & plus operata est ibi charitas diuina, quam voluptas carnis*, & paulo inferius: *Alij coniu-*

ges conueniunt ex voluptate carnali (de his loquitur textus in capite firmissimè) *mei autem parentes conuenerunt ex obedientia & præcepto Dei*; præcipuè cum iuxta multorum Patrum sententiam B. Ioachimus, & Anna in ætate matura, & arida Virginem genuerint. Ita Damascenus oratione 1. de Natiu. Virgin. paulo post initium, Nizephorus lib. 5. historiæ cap. 7. & ibidem: *O beatos Ioachimi lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen fluxit!* & S. Ildef. sermone de Natiu. B. Mar. in tom. 8. Bibliothecæ nouæ pag. 315. Habemus ergo ex dicta reuelatione, processisse concubitum ex mandato & præcepto Dei; vnde non est cur vitio tribuamus huiusmodi conceptum. Non est hæc conceptio Virginis opus naturæ, sed opus Dei, & gratiæ. Nascatur omnis homo, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, in peccato originali, vt dicit textus canonicus in capite firmissimè. Maria concipitur ex præcepto Dei, et sic debet attribui actus Deo mandanti. Actus enim qui geritur mandato alterius, tribuitur ipsi mandanti, non ei qui mandatum exequitur. l. vnum ex familia. §. si falcidia. ff. de leg. 2. l. item eorum. §. decuriones. ff. quod cuiusque vniuers. l. apertissimi, vbi glossa vltima. C. de iudic. cap. litteris, vbi Abbas de rescript. cap. cum aliquibus, eodem titulo in 6. l. pater ex prouincia. ff. de manum. vind. ibi: *Solam enim electionem filio concessit, cæterum ipse manumisit.* Valenç. Velazq. cons. 63. à num. 65. Si enim hic actus Conceptionis Deiparæ opus est Dei, quis in eo imperfectionem aliquam inueniet? Non nouit Deus opus imperfectionis, neque ei debet aliquid simile appropriari, vt dicit textus in cap. maiores. §. sed adhuc de Baptismo. Filia est Beata Maria Ioachimi & Annæ, sic tamen vt prius filia Dei & gratiæ dicatur, præualente gratia supra naturam. Ex mandato Dei conuenerunt Ioachim, & Anna: non fuit voluntarius+ concubitus, vbi necessitas præcepti coniuges adigebat, argumento textus in l. rem legatam. ff. de adimendis

+iure civili

legatis

legatis.l.vnum ex familia.§.1.ff.de leg.2. ibi: *Non enim facultas necessariæ electionis; propriæ voluntatis beneficium est.* Neque coniuges isti sanctissimi in generatione Virginis, naturæ vim & potestatem in carnali vsu voluptatis exercuerunt. Nunc intelligo difficillimum locum S. Germani Archiep. Constantinop. in encomio Sanctissimæ Deiparæ, per hęc verba: *Statim ergo natura à Deo iussa semen excepit. Non enim ante diuinam gratiam ausa est excipere, sed cum illa accessisset, matrix, quæ prius erat clausa, suas portas aperuit, & à Deo acceptum depositum apud se detinuit, donec Dei voluntate, quod in ea fuerat seminatum, in lucem est editum.* Verba multiplici plena mysterio. Dicit, in eis ligatam naturæ vim in Conceptione Mariæ, donec præcepto Dei natura dilataretur, & Mariam nō tanquam propriam naturæ filiam recepit, sed tanquam filiam gratiæ, in ipsa natura humana sequestratam: id sonant verba illa, *Acceptum depositum*, vt sic non tam naturæ & Annæ filia, quam gratiæ habeatur. Non potuit naturæ vitio fœdari filia gratiæ, quæ in naturæ humanæ domicilio deponitur, nec ab ea naturâ proprietates recipit, dum per gratiam eleuatur supra naturam: id innuit Propheta Psalm. 44. *Audi filia, & vide, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui.* Si filia Dei & gratiæ compellatur hoc loco, cuius alterius Patris domum obliuiscetur? Cuius? Ioachim, scilicet & Annæ, quorum vitia originalia non communicat; est enim in eis quasi in deposito, vt dicit Sanctus Germanus, ad similitudinem auis, quæ fouet oua aliena, non enim fouentis proprietates pulli participant: sic Anna se habuit cum filia gratiæ, cum Maria, quæ est opus excelsi, vas admirabile: nec est, cur in hoc miraculo prius inuestigemus id, quod est naturale, & animale, quam id quod est gratiosum, & spirituale: dicit enim Damascenus orat. 1. de Natiu. Virg. *Natura gratiæ cedit, & tremula stat, progredi non sustinens: quoniam itaque futurum erat, vt Deigenitrix & Virgo ex Anna orire-*

tur, natura gratiam anteuertere minimè ausa est: verum tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset. Quando Maria in sorte Domini, & hæreditate eius morata non est? Filia est Annæ, & Ioachim, sed mater est Dei; magis dignum trahit ad se minus dignum, cap. solite de maior, & obed. l. in rem 23. §. sed & id. ff. de rei vend. l. gemina. ff. ad exhib. l. etsi non sint. §. perueniamus. ff. de aur. & arg. leg. §. litteræ. vers. si quis. inst. de rer. diuis. l. iustissimè. ff. de ædilit. ædict. Bobadilla in polit. lib. 2. cap. 17. num. 93. Nec abs re hoc loco illud adnotabitur, quod refertur in d. §. si quis in aliena tabula, inst. de rer. diuis, vbi quæritur, an pictura cedat tabulæ alienæ, & docemur ibi, non cedere per hæc verba: *Ridiculum est enim picturam Apellis, vel Parrhasij, in accessionem vilissimæ tabulæ cedere.* Maria filia est Annæ, filia est naturæ humanæ, sed est mater Dei: ridiculũ esset, quod cederet maternitas Dei, filiationi naturæ humanæ: debet enim præualere id quod dignius, & pretiosius est in Maria. l. etsi non sint. §. perueniamus. ff. de aur. & arg. leg. Cõcipiatur per concubitum Ioachim, & Annæ: hoc tamen non obest, vt explicatum est.

7 Dicitur etiam in cap. firmissimè, quod effectus peccati originalis est nasci subditum impietati: si sumitur in præsenti nomen *impietas* pro eo, quod opponitur pietati, & misericordiæ, tunc palam est, exceptam esse Deiparam ab hac clausula textus; nec potest dici subdita impietati, quæ mater pietatis, & misericordiæ ab Ecclesia nuncupatur, vt refertur in Extrauaganti cum præexcelsa de reliq. & veneration. Sanct. Est iustorum custodia, & peccatorum suffugiũ: in omnibus tempestatibus, pluuijs, & aduersitatibus tutissimum pietatis confugium: ad pluuias, ad bellum, ad fames, ad tribulationes, ad mortem securissimum omniũ refugium: est nostra protectio, nostra consolatio, nostrum vnicum remedium, subsidium, et asylum: & quæ pietate repletur, nescit impietatem. Si non *impietas* in textu sumitur

tur pro repugnantia carnis aduersus spiritum, sicut loquitur Apostolus 5. ad Galat. *Caro concupiscit aduersus spiritum:* Et inferius: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, & immunditia, impudicitia, luxuria, idolorũ seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, rixæ, discordiæ, iræ, æmulationes, dissentiones, inuidiæ*; quæ omnia à Theologis, & Canonistis vocantur semina iniquitatis, et impietatis; et multa manent etiam post baptismum, vt sunt concupiscentia carnis, quæ est fomes peccati, lãguor naturæ, tyrannus carnis, stimulus mortis, lex membrorum repugnans legi mentis, et captiuans in lege peccati; alij vno verbo explicant per fomitem peccati, qui semper est ad malum incitans & inclinans. Est autem fomes peccati formaliter sumptus, quoddam vitium naturę in nostro appetitu sensitiuo relictum ex peccato Adami; quo habitualiter hic appetitus pronus est, et inclinatus ad bonum sensibile contra rationem. Ita Ægydius Lusitanus tom. 3. de Beatit. quæst. 20. art. 2. §. 3. n. 36. Si inquam ly *impietas* in textu decreti stat pro pronitate ad peccandum, et pro concupiscentia carnis, siue fomite peccati; certum est etiam apud omnes ferè Patres, in Deipara ligatum, et extinctum fuisse prorsus fomitem peccati; imo nullum in ea fuisse fomitem peccati, qui posset ligari: ita Pater Suar. tom. 2. in 3. disp. 4. sect. 5. et P. Vazquez 2. tom. in 3. part. disp. 118. c. 4. Sunt hac de re innumeri Doctores, quos referunt scribentes, de immunitate Virginis. Inquit Diuus Bernardus epist. 174. *In Beatam Virginem descendisse benedictionem ita copiosam, vt non solum sanctificaret ortum, sed etiam vitam ab omni peccato custodierit immunem.* Et S. Bernardinus Senensis in 3. part. sermonis de B. Maria: *Sanctificationem in vtero remouisse à Virgine culpam originalem, & pronitatem ad peccandum.* Item Sanctus Thomas de Villanueua, cui propter magnam fœlicitatem meam cognatus sum per lineam maternam, explicans illud Psalm. 75. *Factus est in pace locus eius;* inquit: *Domus diuinæ sapientiæ,*

quæ est Beata Maria, formata est sine omni fomite peccati; ipsa est, quę in omnibus requiem quęsiuit, & inuenit gratiã apud Deum, nullo naturæ vitio conspersa, vt supra dixi.

8 Additur in textu Decreti, *mortique subiectum*. Dices, B. Mariam mortem subijsse, ergo vinculis peccati originalis tenebatur, quia stipendium peccati mors. Hæc difficultas multos præcipitauit, multos etiam in varias coniecit angustias, præcipuè cum dicat Apostolus, *Per vnum hominem peccatũ, & per peccatum mors intrauit in mundum*. Huic dubio occurritur infra cap. pen. n. 2. vbi agitur de morte Virginis.

9 Tandem non est comprehensa Deipara verbis illis Apostoli: *Nascimur natura filij iræ*. Effectus peccati originalis est nasci, & concipi filios Adam in inimicitia, & in ira Dei. Neminem diligit Deus, nisi eum, quem gratum habet. Omnes in Adam, & Eua maledicti sumus propter illam præuaricationem, Genes. 3. ibi: *Maledicta terra in opere tuo*, omnes puluis, & terra sumus, vt dicitur ibidem: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Unde filij iræ nascimur, quia iram Dei, & indignationem in primo homine peccante promeruimus. Descendit cum ipsa natura prima illa indignatio, & maledictio; sed vt liberaremur ab illa indignatione, necessaria fuit gratia gratum faciens vnius mediatoris Jesu Christi, per quam coniungimur Deo, & in amicitiam eius redigimur, vt dicit Apost. ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*; per gratiam illam, per quam formaliter iustificamur, & efficimur amici Dei, vt sic possimus naturæ vitia euadere; vt dicitur in cap. gratia. de consecrat. dist. 4. ibi: *Gratia, quæ per Christum datur, non solum peccatorum remissionem facit, sed etiam vt lex impleatur, vt natura liberetur, nec peccatum dominetur*. In Christo nos gratificauit Deus, et indignationem primam abstulit, vt dicit Apost. ad Ephes. 1. vers. 6. *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo*. Unde Apostolus, postquam dixit cap. 2. ad Ephes. *Eramus natura filij iræ*, subiungit: *Deus*

autem

autem, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati.

9 Hinc est quod gratia immediatè opponitur peccato siue originali, siue actuali: dicit enim Apostolus ad Hebræos 12. vers. 15. *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi*, præcipuè cum peccatum originale formaliter consistat in priuatione gratiæ, sicut insinuat S. Anselmus lib. de Concept. cap. 26. per hæc verba: *Hoc peccatum, quod originale dico, nihil aliud intelligere queo, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adæ iustitiæ nuditatem*, id est, priuationem gratiæ & iustitiæ originalis: tum ex Tridentino sess. 5. can. 5. *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.* Et quod peccatum, siue originale, siue actuale formaliter cõsistat, vel causaliter in priuatione gratiæ, tenent D. August. lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 17. & tom. 4. lib. 1. ad Simplic. q. 2. & tom. 1. lib. de liber. arbitr. cap. 16. Damasc. lib. 2. fidei cap. 4. P. Granado de Concept. disput. 1. sect. 3. n. 13. ibi: *Verissimè, & proprissimè dicitur homo priuatus esse gratia, & donis habitualibus in pœnam sui peccati, sicut propter eamdem culpam dicitur punitus morte & alijs ærumnis.*

10 Hæc cum ita sint, alienum est ab omni ratione asseuerare, Beatam Mariam fuisse filiam iræ Dei in illo instanti primo suæ Conceptionis, & extra gratiam Dei in eo Conceptionis statu constituendã. Probatur, quia nullus est amor, qui vincat paternum, l. isti quidẽ ff. quod metus causa. l. fin. C. de curator. furiosi: dicitur enim filius à nomine Greco *philos*, quod est amor: sed Beatissima Maria est dilectissima filia æterni Patris: vt Cantic. 7. *Quam pulchri sunt gressus*

gressus tui filia Principis: et Psalm. 44. *Audi filia, & vide, & obliuiscere domum Patris tui.* Sic in Cantico Ecclesię: *Aue Filia Dei Patris*, filia non vt cumque, sed singularissimo modo, vt decebat propter excelsum maternitatis fastigium: et vt ait Alanus dicto loco Canticorum: *Tu es principalis filia Principis, Dei videlicet, qui est Princeps Principum, qui te specialiter informauit: ita tamen Dei filia, quod & mater intacta*: Ergo non potuit concipi in ira, & maledictione Dei, & extra illius gratiam: dicit enim Apostolus, si filij, ergo hæredes, alioquin esset repugnantia, esse filiam, & non esse gratam. Si conciperetur in ira Dei, & extra gratiam, haberet Deipara in illa Conceptione alium Patrem, scilicet, corruptionis authorem: dicit enim Tertullianus lib. de anima cap. 16. *Fuimus aliquando natura filij iræ, irrationale indignatiuum sugillat, quod non sit ex natura, quæ à Deo est; sed ob illa, quam diabolus induxit, Ioannis* 8. *Vos ex patre diabolo estis*. Et cap. 41. *Malum igitur animæ, præter quod ex obuentu spiritus nequam superstruitur, ex originis vitio antecedit naturale quodammodo: nam vt diximus, naturæ corruptio, alia natura est, habens suum Deum & patrem, ipsum scilicet corruptionis authorem.* & in cap. postea de consecrat. dist. 4. homo in culpa originali, dicitur vas diaboli. Vide si decens est, aut rationale, quod pater corruptionis aliquando diceretur pater vasis electionis, Mariæ scilicet, quæ filia est æterni Patris amantissima. Item Adamus ea lege & conditione gratiam originalem, et iustitiam à Deo accepit, vt illam sibi, & posteris, vel amitteret, si peccaret; vel conseruaret, si se in offendēdo continuisset, vt dicit Carthusianus. Putas ne huic præcepto obstrictam fuisse Deiparam? Falleris: quia filia Regis supremi, præcepto inferiorum non obstringitur, præcipuè cum sit etiam mater Dei, ex textu in l. Princeps. ff. de legibus. l. fiscus 6. §. fin. ff. de iure fisci. & Beata Maria prius filia æterni Patris, & Mater Diuini Verbi diiudicanda est, quam filia Adam; altissimo enim Dei decreto ante

omnia

omnia creata in mente diuina, & filia, & mater Dei habetur priusquam à natura humana exciperetur, iuxta illud: *Ab initio, & ante sæcula creata sum*; et iuxta illud: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Et sicut ipsa Deipara prius Deum mente concepit, quam ventre; antidorali quodammodo obligatione Deus illi retribuit; sic enim fit, vt recte probet Deipara se non comprehendi illo præcepto Adami, et inducitur pro eius defensione probatio quædam coartata, iuxta textum in l. Adseueratio, vbi Doctores. C. de non numerata pecun. & sunt iura expressa in cap. ex tenore de testibus, et in l. optimam. C. de contrah. & commit. stipulat.

11 In summa, siue consideres Deiparam, vt æterni Patris filiam, vel vt Dei filij matrem, vel vt sponsam Spiritus sancti, vel vt Templum Sanctissimæ Trinitatis; nulla consideratione iram illam potuit contrahere, nec à gratia separari. Ut filia, originem Patris sequi quo ad honores sibi proportionatos debet. l. filij. ff. ad municip. Filij Regis gaudent priuilegijs parentum, vt probatur in cap. finali 24. quæst. 1. glossa 1. & D. Bernardus 1. serm. Aduent. col. 1. inquit: *Filios Regum Reges esse quis nesciet?* Et statutum, quod militat in Rege, militat etiam in filijs, vt dicit Gregorius Lopez in l. 1. glossa 2. tit. 15. part. 2. Ut mater, eadem ferè priuilegia censetur habere, ac filius Princeps. l. Princeps. ff. de legibus: *Princeps legibus solutus est; Augusta tamen licet legibus soluta non sit, Princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit, quæ ipse habet.* Ut sponsa, eâdem prærogatiua quo ad honores gaudet, quâ gaudet sponsus, dum sibi proportionabiliter conueniant, l. fœminæ 8. ff. de Senatoribus. Neque enim ea, quæ ad tam præexcelsa, et diuina munia, & munera electa, et præelecta fuit, poterat lege communi maledictionis comprehendi; pro quo expendenda sunt verba illa Esther. cap. 15. *Non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus lex constituta est*, iuxta quę dicendum

dam omnes incurrisse iram, & indignationem Dei, quia pro omnibus filijs Adam lex lata fuit; sed non mysticam Esther Beatam Mariam, filiam, matrem, & vxorem Dei; quia pro illa statuta non est lex indignationis. Quo circa expendendus venit locus S. Lucæ cap. 1. *Gratia plena*, vbi considero, quod si hæc gratia non fuit in Virgine in instanti suæ Conceptionis, esset illa plenitudo vacua ex parte, quod nō est dicendum, precipuè cum in Græco apud S. Lucam legamus *Cecharitomene* in præterito, à verbo *charitoo*, & rectè in præterito, vt sic ad nullum tempus præteritum sit recursus, sub quo Deipara careret gratia.

12 Manet ergo ex dictis, fuisse omni tempore in gratia originali Deiparam, neque compati cum gratia indignationem Dei; mutuo enim se expellunt gratia & inimicitia. Nunc intelligo, cur Angelus Mariæ dixerit: *Inuenisti gratiam apud Deum*: inuenisti, etiam in præterito, sicut supra, fuisti gratia plena, vt paulo ante diximus; inuenisti quia tu sola sine exemplo placuisti Deo; quia tu sola vna es inter animas Beatas, quæ permansisti in gratia summi Principis Patris tui: *Inuenisti gratiam*, propter id quod subsequitur in textu: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabitur Filius Dei.* Causa, ob quam inuenit gratiam est, quod paritura erat Verbum Diuinum: hæc causa semper fuit ab initio; nam Maria quando non mater? vt supra probaui. Omnes propter illam præuaricationem primi hominis perdiderunt gratiam, & amicitiam Dei: tu sola inuenisti gratiam apud eum: tu sola conseruasti puritatem corpore & anima; ideo concipies in vtero, & paries filium Dei. Nonne sufficiebat dicere *paries filium*? cur etiam addit, *concipies in vtero?* Ab vtero maculamur peccato originali, iuxta illud: *Et in peccatis concepit me mater mea*: mentionem facit Conceptionis in vtero, vt ostendat, etiam ab vtero Virginis habuisse sanctitatem Dominum Iesum, iuxta illud: *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum*, eo mo-

do

do, quo supra explicauimus cap. 9. sic & Marcella natiuitatem Christi in vberibus, & conceptionem in vtero commẽdat: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti*. Omnia iuncta explicant, fuisse in gratia conceptam. Non sine re dixit: *concipies in vtero*; commendat enim puritatem originis in Maria, in cuius vtero domum sibi sapientia præparauit, vt diffinitum est in cap. nasci 56. dist. ibi: *Ipse est Dei virtus, & Dei sapientia, qui in vtero Virginis Mariæ ædificauit sibi domum*, & ex oratione Ecclesiæ: *Deus, qui gloriosæ Virginis, &c. vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur*. Non ædificatur domus Deo in vase ab apostata diabolo aliquando possesso, d. cap. postea de consecrat. dist. 4. nec in domicilio iræ potuit habitare clementia, vt supra dixi. Et tanta ab instanti conceptionis Virgini accessit gratia, vt à culpa originali expers fuerit; sic tamen, vt nec aliquo temporis momento possit considerari, vel iræ filia, vel vas immundũ, vel diabolico subiecta dominio.

14 Supradicta conuincunt; Beatam Mariam in primo temporis puncto, quo genita est secundum carnem, quando anima corpori infusa fuit, non incurrisse culpam, sed diuinitus eo instanti accepisse infusam gratiam, vt sic potius filia gratiæ, quam naturæ humanæ sit; idque ex Alano supra probauimus, ibi: *Tu es principalis filia Dei, qui specialiter te per gratiam genuit, specialiter informauit*. Et Diuus Vincentius serm. de Natiu. Virg. ibi: *Non credatis, quod fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur, sed statim postquam corpus fuit formatum, & anima creata, tunc fuit sanctificata*. Et S. Anselmus de excellent. Virgin. cap. 3. ibi: *Nulli dubium, sanctissimum corpus, & sanctissimam animam eius fuisse funditus ab omni macula peccati iugi Angelorum custodia protectum*. Repetamus id, quod diximus supra, ibi: *Dictum præterea à Damasceno lib. 4. de fide cap. 15. gratia Dominam parit: an non illa naturæ filia? non vtique, naturam à natura supra naturæ consuetudinem assequitur*, Mater Mariæ est

gratia, cum qua non compatitur indignatio & ira; & quod fuerit concepta in gratia, tenet P. Suar. 3. par. tom. 2. disput. 3. sect. 5. Miraris festinasse ad Uirginem ipso in Conceptu gratiam? Ego certè infestinantiam potius demirarer. Festinat in Virgine maturitas, nitor, & gratia, & gratiosa in Conceptione præter communem morem inuenitur: hoc enim dignitati filij, & cœlestis sponsi debetur. Placuit Esther in oculis Assueri inter Virgines, quæ pro eligenda sponsa & regina quærebantur; nec actum cum illa sicut cum reliquis, quibus lōga ad ornatum dabantur spatia & interualla, Esther autem breuiora: *Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conspectu illius, & præcepit eunucho; vt acceleraret mundum muliebrem.* Quæ placuit, quæ inuenit gratiam, quæ futura spōsa, & regina; propter has prærogatiuas Esther maturitatem ad nuptias nacta est, prouidente Rege ante tempus pro alijs destinatum, & præter consuetudinem aliarū. Non potuit ille ita accelerare mundum muliebrem, vt vno illum momento perficeret; quia licet potentissimus Imperator, limitata erat eius potentia. Plus præstitum Deiparæ ab ipso Deo, quoniam Deipara placuit ei, vt ipsa canit: *Cum essem paruula, placui Altissimo*, & ita paruula vt primum intra materna viscera vitæ instans, tātum illi speciosæ decurreret, & inuenit gratiā in cōspectu illius, multo magis, quā Esther. Sed quando gratiā inuenit? Iam supra diximus hoc capite; melius Bernardus serm. de Natiu. Virginis, *Inuenit gratiam semper*; ergo inuenit illam in Cōceptione, si semper inuenit. Miraris? Sponsa Deo quæritur, non ab Eunucho, sed ab Angelo: vnde idem Bernardus serm. post. Assumpt. *Quærit Angelus puellam, quam præparauit Dominus filio Domini mei: quærit & reginam*, non quæ regnet loco Vasthi: & vt ait Guarrico serm. 3. de Assumpt. *Perge Maria, perge secura in bonis filij tui, fiducialiter age tanquam Regina, mater Regis, & sponsa.* Bene vt pergat hortatur, vt gressum acceleret, quæ filia Dei, mater, et sponsa compellatur; neque

com-

communis illi seruandus est tenor, quam præclari dicti tituli cohonestant. Sic erga Mariam se gessit Deus, mundum & vestitum gratiæ in primo conceptionis momento accelerans, quia plus Assuero adamauit, & potuit: non enim illam aliquando habuit in ira & indignatione, sed semper in plenitudine gratiæ, quia benedixit ei inter omnes. Et vt ait Sanct. Bruno Psalm. 101: *Hæc enim incorrupta terra, cui benedixit Dominus ab omni propterea contagione libera*. In ea omnis ira exclusa est, & sic non conuenit tertius effectus, quod sit filia iræ: præcipuè, quia multo ante eius Conceptionem res miraculosa Maria prædicabatur. Isai. 7. *Dabit Dominus ipse vobis signum*, id est, miraculum, vt cõstat ex illo textu: *Ecce Virgo concipiet, &c.* & eius conceptio miraculosa dicitur in Extrauaganti cum præexcelsa de reliquijs, & vener. Sanct. ibi: *Immaculatæ Virginis mira Conceptione*. Et vt dicitur Psalm. 45. *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus*: & addit: *Adiuuauit eam Deus mane diluculo*, vt sic dicatur sanctificata ab instanti conceptionis; quandoquidem in diluculo, in aurora, vt primum anima infusa est corpori eius, sanctificata proponitur, *mane diluculo*: & quomodo in gratia non conciperetur, quæ etiã in gloria supra proponitur concepta, et cœlum perfectissimum esse probatur cap. 8?

15. Tres alios effectus ex illa prima preuaricatione experiũtur mulieres. Vix peccat Eua, cum audit, *multiplicabo ærumnas tuas, in dolore paries filios, subdita eris viro*, Genes. 3. Omnes sub hac lege, & maledictione damnatæ, natarũ natæ, et quæ nascentur ab illis: sed vna est sola Maria, quę hoc maledicto non comprehenditur. Primo namque, si ly *ærumnas* pro calamitatibus naturæ accipiamus, palã est, Deiparã his obnoxiam non fuisse, iuxta illud: *In omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor*. Unde Oleaster: *Mulieri quoque dixit Deus: multiplicabo ærumnas tuas: in dolore paries, excipitur ab illa sententia Virginis præseruata*

uata natura; ærumnam enim Sancta Maria non substinuit; quia in omnibus requiem & prærogatiuam habuit. Nec decet, illud de Deo suspicari, vt vellet aggregatione malorum, & ærumnarum incremento, matris corpus & animam aggrauare. Si ærumnas accipiamus propter id, quod sequitur: *In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*; palam etiam est, Deiparam, nec in dolore peperisse, nec sub viri potestate dominatiua fuisse. Quod non peperit in doloribus plenè probatum est supra, nec licet de eadem re sermonem multiplicare. Maiorem difficultatem habet id, quod dicitur de viri subiectione, nam Beata Maria desponsata Sanctissimo Ioseph, videtur quod ei fuerit subiecta; fuit enim inter eos verum coniugium: iuxta illud; *Cum esset desponsata*, & in cap. Beata Maria 27. q. 2. vbi dicitur, quod coniuges fuerunt, & quod Beata Maria subiecit se diuinæ dispositioni in hoc coniugio, & iuxta illud: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: & in cap. mulier 33. q. 5. peccato originali tribuitur subiectio vxoris. ibi: *Propter peccatum originale subiecta debet videri*, & in cap. Mulierem. 33. q. 5. Respõdetur primo, fuisse sub Iosephi potestate æconomica, & politica, non in pœnam peccati præuaricationis, sed propter honorem Dei, & Virginis; non tamẽ fuisse in potestate Ioseph dominatiua, in qua consideratur pœna illius primi peccati, vt patet ex textu Genesis, *& ipse dominabitur tui*; quoad dominatiuam potestatem potius Ioseph seruiebat Beatę Marię, vt ipsa domina reuelauit Sanctæ Birgittæ lib. 1. cap. 59. ibi: *Ioseph vero seruiuit mihi*, præcipuè cum sit Regina Patriarcharum. Secundo respondetur, quod Beatus Ioseph fuit quodammodo delegatus, & substitutus Dei, & Spiritus Sancti in hoc cõiugio, vt probat P. Salmeron Generalis ordinis Redemptorum, *lib. del principe escondido, meditac.* 15. §. 11. Spiritus Sanctus est principalis sponsus Beatæ Virginis, iuxta illud: *Spiritus sanctus superueniet in te*, & illud Ecclesiæ. *Aue sponsa*

sa Spiritus Sancti. Huic sponso immediatè se subiecit Beata Virgo ex d. cap. Beata Maria 27. q. 2. ibi: *subiecit se diuinæ dispositioni*: Et D. Ambros. de instit. Uirg. cap. 12. ibi: *Aula Regalis est Virgo, quæ non est viro subdita, sed Deo soli*, & alia pulchra de Beata Virgine Maria ibidem. Mediate autem substituto Spiritus Sancti, & in illa subiectione ad Deum, non consideratur aliquis effectus primę præuaricationis parentum generis humani.

16 Aliqui etiam existimant, effectum illius præuaricationis Adam fuisse abolitionem imaginis Dei, eo quod per peccatum originale, imaginis Dei similitudinem amisserimus, iuxta illud Psalmi. 48. *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis*, vbi Ambrosius: *Est autem honor, quia ad imaginem Dei factus est rationis capax*, quod idem habent Augustinus, et Euthymius ibidem, et Bernardus serm. 35. in Cantica idem tenet, quasi tantum obnubiletur hic honor, de bestiali resumpta similitudine, idque suadetur ex cap. quomodo renouari de pœnit. dist. 2. ibi: *Expoliantes veterem hominem, induite nouum, qui renouatur in cognitione fidei secundum imaginem eius, qui creauit eum: hanc enim imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum*, & in cap. illa anima de pœnit. dist. 2. ibi: *Secundum hanc imaginem ante peccatum depictus fuit Adam, sed vbi lapsus est deposuit*. Quidam autem potius hanc abolitionem imaginis Dei in muliere considerant, propter verba illa textus in cap. mulier el segundo 33. q. 5. ibi: *Mulier debet velare caput, quia non est imago Dei*. Sed hic textus aliũ sensum habet, vt notant Doctores ibi. Sed dato quod per peccatum originale, illum honorem similitudinis Dei amiserimus in eo sensu quo loquuntur Doctores, adhuc non potuit Beata Virgo hunc honorem in Adamo perdere, nec comparari iumentis, nec similis illis fieri, ne id Christo in dedecus vertatur, vt pręcisè verteretur, si mater eius aliquando similitudinem bestiarum induisset, Beata Maria

pro

pro ea parte; & in eo sensu, quo est mater Dei, videtur de genere quodammodo Deitatis: sic propriè dicitur mater Dei, & in Greco *Theotocos*, id est, pariēs Deū. Dicebant hæretici non esse appellandam matrē Dei, diffinitū tamen est, verè appellandā Dei matrem, cap. quidā. 24. q. 3. Vnde Damianus serm. 1. de Natiu. Mar. *Inest vni creaturæ, videlicet Mariæ Virgini, identitate, quia idem est, quod illa*: quem locū explicans P. Fr. Anton. Rioxano in sua Hierarch. Seraph. serm. de Cōcept. §. 2. fol. 60. sic ait: *Dizela pues el Angel, Dominus tecū, y no Dominus est in te, porque esse mismo Dios que en otras criaturas esta como cosa diuersa, en Maria està como quien es vna misma cosa, vna carne, vn linage, S. Pedro Damiā dize todo el concepto*, in loco proximè citato, *Habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis, quia cum illis, eiusdem non est essentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem.* Uide si potuit aboleri in Virgine imago illa similitudinis Dei? quando in sensu dicto, cū Deo vnius naturæ habet identitatem. Vnde Augustinus palam dixit: *Si formam Dei te apellem, digna existis*: & in cap. 7. Apoc. *Vidi alterum Angelum, ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui*, quem locum de Beata Maria esse accipiendum demonstro in noua mea explicatione Apoc. Ipsa sola retinuit imaginem Dei illæsam, minime obliteratam. Quam pulchrè hanc imaginem Dei Anastasius Synaita in Uirgine contemplatur lib. 6. Anagog. illis verbis: *Quis ex hominibus, aut ex dæmonibus audebit dicere, quod ea quæ est eiusdem simul cum Deo essentiæ quoad carnem attinet, non sit ad imaginem, & similitudinem eius, qui ex ipsa natus? vel quomodo est mater eiusmodi filij non ferens in se integram & illæsam fætus sui imaginem?* Integra & illæsa imago filij Dei non admittit originalem fœditatem, precipuè, cum sit vtriusque eadem caro, ex cap. auctoritate 35. q. 3. l. cum simus C. de Agricol. & cens. lib. 11. Oldraldus cons. incipienti, istę sunt allegationes, n. 14. De alijs effectibus peccati originalis, qui

bus non implicatur Beata Maria. Vide supra capite 5.

117 Ex dictis colligitur, nullum effectum prouenientem ex præuaricatione primi hominis inueniri in Deipara, neque pœnas illius peccati, aut debitum aliquod contraxisse. Sic ab omni culpa & debito aliena et immunis haberi debet: si ergo à Virgine causatum remouetur, causa etiam cessare debet: est enim in iure regula communis, quod idem sit iudicium causæ & causati. l. quominus. ff. de fluminibus. l. etsi amicis. ff. ad leg. Iul. de adulter. Causa & causatum ad paria procedunt. l. maritus. C. de procurator. et idem iudicamus de causa causante effectum, quod de ipso effectu d. l. quo minus, et l. nihil interest. ff. ad leg. Cornel. de sicar. Est natura humana propter peccatum originale multis obstricta debitis. Per Adamum omnes peccato chirographum dedimus, et in eo diabolus omnes in seruitutem redegit, sicut probatum est. In his omnibus, vt vidimus non est comprehensa Deipara; nihil participat ab illo fonte, à radice illa, Igitur signum est, quod libera est à culpa & debito. Maior macula est originale peccatum, et debitum incurrendi illud propter rationem radicis, quam aliquod actuale peccatum, vt probaui in capitibus antecedentibus: & magis facit illud peccatũ esse subditum dæmoni, quã actuale: sed Deipara ab omni actuali fuit libera, vt docet S. Thomas, & est de fide, ergo fortius ab originali, et à debito. Nec debuit Dei mater, vel mõmẽto dici diaboli ancilla per peccatum, quia magna filij ignominia est, parentem habere seruum, vt dicitur in l. 1. ff. de liber. exhib. Concludendum est Beatam Virginem per Diuinam gratiam ab omni cõtagione, infamia, debito, et subiectione peccati, et diaboli seruitute, fuisse immunem.

CAPUT DECIMVM SEPTIMUM.

IN QVO PONITVR MISCELLANEA rerum in fauorem immaculatæ Virginis Conceptionis.

1 MULTA & varia obſeruaui circa immunitatem Deiparæ in ſua Conceptione: ex his aliqua proponam, & primo maximoperè ponderanda ſunt verba cap. 4. verſ. 42. lib. 1. Machabæorum, ibi: *Et elegit Sacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei, & mundauerunt ſancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum, & cogitauit de altari holocauſtorum, quod prophanatum erat, quid de eo faceret. Et incidit illis conſilium bonum, vt destruerent illud: ne forte illis eſſet in opprobrium, quia contaminauerunt illud gentes & demoliti ſunt illud, & repoſuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoad vſque veniret propheta; & reſponderet de eis, & acceperunt lapides integros ſecundum legem, & ædificauerunt altare nouum ſecundum illud, quod fuit prius.* Si verba meditemur intus & foris, eſt locus hic expreſſus de myſterio Conceptionis Virginis immaculatæ, & in eo euidentiſſimè fundatur. Ecce enim refert textus, quod quando victor & triumphator Iudas Machabæus templum Hieroſolimitanum inſtaurauit; conuenerunt ex præcepto eius Sacerdotes & Leuitæ, & purgauerunt templum à contaminatione; at altare holocauſtorum, quod contaminauerunt gentiles & pagani, tempore quo in eorum poteſtate fuit templum, quia non ſatis erat illud mundare, incidit illis bonum conſilium, vt deſtruerent illud, & ædificarent aliud altare nouum, ſecundùm illud, quod fuerat prius. Cur autem tam variè circa templum, & circa

altari? Cur illud ſatis illis fuit mundare, hoc autem neceſſe fuit deſtruere? Et hoc ſuggerente Spiritu Sancto: iuxta illud: *Incidit illis bonum conſilium*? Rationem illam reddit textus, *Ne fortè illis eſſet in opprobrium, quia contaminauerunt illud gentes.* Et quia indecens erat offerre Deo ſacrificium in altari, quod aliquando fuit contaminatum à gentibus, non erat ſatis illud mundare, & ſanctificare, & ideo neceſſe fuit illud deſtruere, & facere altare nouum ſecundum formam eius, quod antea non erat pollutum: *Et ædificauerunt altare nouum, ſecundum illud, quod fuit prius.* Sufficiat mundare & purificare templum: *mundauerunt ſancta*: at non ſufficit mundare & ſanctificare altare: ex quo enim in eo ſacrificatum aliquando fuit dæmoni, non eſt iam aptum altare, quod iterum Deo ſeruire poſſit: deſtruatur, ne ſit in opprobrium, quod ſemel contaminatum eſt.

2 Si ignoras, altare Dei eſſe Deiparam, audi clamantes ſanctos ſuper illa verba Amos 9. *Vidi Dominum ſtantem ſuper altare*, id eſt, Chriſtum Dominum in vtero Virginis, inquit Epiphanius: ipſa eſt altare immaculatum, vt docet P. Pinto de Concept. antilog 2. §. 1. num. 66. Eſt etiam altare terrenum, quia refugium eſt miſerorum, vt inquit Abbas Cellenſis cap. 21. ibi: *Domina noſtra nihilominus altare eſt terrenum: quia refugium eſt miſerorum, & quid amplius ei aſſignare poſſumus diuini muneris, & honoris, quam vt, quod verum eſt, fateamur genitricem eam eſſe Dei, & hominis*; eſt altare, in quo Verbum Diuinum ſe obtulit ſuo æterno Patri per incarnationem. Omnes nos poſſumus per gratiam templum Dei dici, iuxta illud Apoſtoli: *Templum Dei eſtis vos.* Maria ſacroſancta eſt altare viuum. Nemini ignota verba illa D. Epiphanij de Virgine: *Dico illam eſſe thronum ſimul & Crucem: extendens enim ſanctas vlnas, Dominum portauit, thronus Cherubicus, cruciformis & cœleſtis.* Sufficit in nobis non adeſſe culpam actualem, vt ſit templum Domini dica-

dicamur, sufficit nos mundari per baptismum, & per pœnitentiam; altare autem Dei non sufficit mundare: necesse est originaria puritate semper vigere; alioquin destruatur, ne sit in dedecus Dei propter memoriam primæ contaminationis. Memoria criminis adeò relegatur ab altari, vt ob hanc causam filius illegitimus in Ecclesia paterna præbendari non debeat, cap. cum decorem 15. de filijs presbyterorum, cuius rei rationem nostro proposito necessariam reddit textus, ibi: *Cum indecorum sit, vt in altaris officio illegitimus filius ministret, in quo Vnigenitus Dei filius æterno Patri pro salute humani generis victimatur*. Memoria sola pristini criminis remouetur ab altari. Purificentur, & sanctificentur in vtero Ioannes Baptista, & Hieremias, vt sint templum Dei: at Beata Maria, quæ est altare Dei, in quo vnigenitus Dei Filius oblatus fuit, non suffert maculas: debet esse iuxta formam primi tabernaculi, & altaris, iuxta formam iustitiæ, & gratiæ originalis: hoc est bonum consilium, ne fortè Deo sit in opprobrium, tale altare sibi delegisse; alioquin denegemus illi esse altare Dei, esse Matrem Dei, quod esset hæreticum. Vide cap. nasci 56. dist.

3 Comprehendat maledictio facta Euæ omnes conceptus eius: maledictus sit venter omnium descendentium ab Adam Genes. 3. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*. Una sit Maria, cuius venter beatus est, dicente Marcella: *Beatus venter qui te portauit*. Vnus hic venter Deo destinatus, vt eum portaret, vt esset altare ipsius, tantum proponitur beatus, vt cognoscamus mysterium; Omnis alius venter ex filiabus Euæ maledictus fuit in illa prima maledictione; per contrarium solus hic venter Deiparæ beatus prædicatur. Nec dixit: iustus, vel pius venter qui te portauit, sicut dicitur de alijs Sanctis, & de Joseph. Quid enim de eo dicit scriptura? *Ioseph cum esset vir iustus*; sed quando loquitur de Beata Maria,

pleno

pleno ore beatitudinem in eo commendat; *Beatus venter qui te portauit*: est enim altare Dei, in quo nunquam ponitur contaminatio. Semper fuit beata: et cum beatitudine nulla peccati macula compatitur, vt sæpius dictum & explicatum habeo.

4 Item ex nobilitate Beatæ Mariæ eius immunitas originalis eruitur, vt dicemus capite sequenti. Nobilitas eius quanta sit edixit D. Ambrosius epist. 84. alias 7. ibi: *In nouo testamento Virgo generis aula cœlestis electa est ad salutem*, vbi illud *generis cœlestis* refertur ad Virginem, ita vt illius genus fuerit cœleste: et licet terrenos parentes habuerit, ita tamen concepta est, vt in ipsa genus cœleste reperiamus. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*, inquit ipsa, Ecclesi. cap. 24. ex interpretatione Ecclesię. Quomodo ergo non cœlestis generę, quæ ex ore Altissimi iuribus primogenituræ condecorata, in suo conceptu prodiuit? Aliorum conceptus ignobiles sunt, quia tributo originalis culpæ obnoxij nascuntur, argumento textus, et quæ ibi notant glossa, et Doctores, in l. honorem 10. ff. de muneribus & honoribus. Maria autem Domina nostra nobilissima est ex dictis, & ideo non tributo subiecta, quã Deus ore proprio in lucem gentium ediderat: *Electa est ad salutem*; ait Ambrosius, & ipsa: *Ego ex ore Altissimi prodiui*. In præsenti non abs re aduerterimus, quod Principes malè de sua vita securi habent præpositos, qui cibos à se sumendos ante libent, et sic libatos cibos securè sumunt, vt nihil contrarium continentes saluti Principis prosint. Deipara electa ad salutem mundi, proprio ore libatur ab altissimo, et sic libata ab eius ore prodit, vt prosit; quod fit, vt intelligant omnes, nihil in ea esse, quod eorum saluti possit efficere, aut nocere. Cœlestis enim est, et ideo à terrenis contagijs aliena. Ni mauis in voce illa *salutem* Christum Dominum intelligere, dulcissimum Iesum, re & nomine mundi salutem, ad quam electa Virgo, vt eam salutem per partum

ederet: in quo sensu videtur dixisse Sanctus Doctor: *Electa est ad salutem.* Hinc nobilissima ad instar filij, qui ex ore Altissimi prodiuit, vti *vox summi, sensusque Dei, quem fudit ab alta mente Pater*, vt cecinit Damascenus: quam nostram cõparationem roborat Petrus Damianus sermone 3. de Natiuit. Virg. in illis verbis: *Talem fecit te, vt ipse fieret ex te*, id est, tam nobilem, vt ex te originem sumere posset; vel in primo sensu: talis Maria Sacratissima prodiuisti ex Patre, vt qui prodiuit simul filius, mundissimmum genus recognosceret, & amplecteretur in matre. Qualis autem debeat iudicari nobilitas Deiparæ, ex eo deducere poteris, quod non solum mater vera, sed etiam ea, quæ ablactauit filium Regis, humanis legibus nobilis, & ab omni tributo libera haberi, & reputari debet: imo & collactaneus filij Regis, & ipsius Regis nobilis hoc ipso censetur, vt benè probat Phœbus tom. 2. decis. 169. & in nostris legibus partitarum in l. 3. tit. 7. part. 2. Nutrices Regis & filiorum non nisi nobiles assumuntur, de quo dicemus cap. sequenti.

5. Obseruaui etiam verba aurea sancti Cæsarij Nazianzeni dialogo 3. qui sic de Beata Virgine loquitur: *Loco Virginis nimirum Euæ, perpetuam Virginem sanctam matrem suã suscitauit.* Vult enim quod sicut Christus Dominus dicitur Adam nouus immaculatus, & sine vllo culpæ næuo, ita & Beata Maria sit noua Eua, subrogata in locum eius quoad statum illum iustitiæ originalis. Subrogatur perpetua Virgo in locum Virginis temporalis, & naturam illam iustitiæ originalis meliori iure nanciscitur, non solum quia subrogatum naturam capit eius in cuius locum subrogatur. l. 1. §. si quis sub conditione. ff. vt legator. nom. cau. sed etiam quia ratione maternitatis; & perpetuæ virginitatis longè meliorata in priuilegijs debet iudicari, vt sic reparetur natura; & prudentissimus ac diligentissimus artifex, quod cassatum fuerat, non confregit, sed vilius;

lius omnino refecit, vt videlicet nobis formaretur nouus Adam ex veteri, & Euam transfunderet in Mariam: & quamuis sufficere poterat Christus, cum sufficientia nostra ex eo sit; attamen nobis bonum non erat, hominem esse solum: congruum magis, vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuerat. Et Adam vtilius in Christo reformatur, & Eua in Maria: sic in Christo, & Maria non solum natura integratur, sed etiam in melius restituitur.

6 Item obseruo verba Apostoli cap. 9. ad Roman. vers. 21. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Cur ergo omnipotens & supremus legislator ex eadem massa Adami non posset aliud semen reseruare in honorem, aliud vero destinare in contumeliam? Cur ergo in lege illa & pacto cum Adamo de conseruanda iustitia originali, illi & posteris si non peccasset, credendum est inclusisse Deiparam? Cur ergo non separemus semen ex eadem massa, sic vt semen ex quo formata fuit Deipara, immaculatum & illæsum in honorem relinquatur? iuxta illud quod supra diximus: *O beatos Ioachim lumbos, ex quibus immaculatum semen effluxit!* Dicamus ergo cum Isai. cap. 1. num. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus*, vt simul de Christo, & Christipara locus intelligatur, ne aliis calumniandi detur occasio, & contaminata matre, contaminatus filius intelligatur, cum ex Maria carnem assumpserit, & sit eadem Mariæ, et Christi caro, vt supra diximus, & ex illo: *Deus qui de Beatæ Virginis vtero Verbum tuum carnem suscipere voluisti.* Ab immundo quis mundabitur? Quomodo caro illa Christi sumpta de matre, munda credetur, si caro matris maculata proponitur? Est honor Christi, conceptio immaculata matris, & in existimatione hominum non esset immunis Dominus IESVS, si mater eius origine fuisset maculata: dicit enim

enim Apostolus ad Rom. 11. *Si delibatio sancta est & massa.* Christus Dominus est oblatio pura & sancta pro nobis, ergo massa huius oblationis & sacrificij sancta est; caro enim Christi ex illa virginea massa sumpta est. Ceterum si peccatum originale fuisset in illa massa virginea, non esset facilè dicere, quod oblatio & delibatio sancta permaneret, cum adhuc modicum fermentum totam massam corrumpat, vt dicit Apost. ad Corinthios. Quis ferat, Adamum ex terra immaculata, et non maledicta, et pura creatum fuisse (fuit enim terra maledicta post peccatum Adami, vt cap. 3. Genes. ibi: *Maledicta terra in opere tuo*) præstantiorem autem, et nouum Adam genitum fuisse ex matre omnino non pura? Quod minimè ratio patitur; fuit enim ex meliori & puriori terra Christus formatus & editus. Existimauit Cardinalis Caietanus ideo oportuisse, quod Deipara desponsaretur Ioseph, ne fortè in reputatione communi Christus spurius haberetur, et Virgo peccatrix diceretur; vnde matrimonium illud in honorem matris & filij processit: cur non idem & à maioritate rationis circa originem Deiparæ recipietur: redundat enim in dedecus filij & matris peccatū illud originis, et seruitutis in matre, quæ contrahitur in peccato originali.

7 Item obseruaui verba illa Canticorum 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Pulchra quidem similitudo pro veritate huius mysterij. Omnes filij Adami, et animæ ipsorum in Conceptione compunguntur aculeo peccati originalis. Omnes filij Adam sunt quasi spinæ, vel punguntur spinis peccati originalis: sed Deipara est lilium inter spinas: & sicut lilium licet nascatur de spinis, tamen eminet, ne pungatur ab illis; eodem modo sanctissima Virgo licet nascatur de arbore spinosa, libera est ab spinis, et à peccato originali, vide in cap. 7. supra.

8 Item meditabar pro veritate Conceptionis purissimæ Virginis verba illa salutationis Angelicæ: *Spiritus sanctus*

super

superueniet in te, quæ verba meo sensu mysterium non leue continere videntur. Spiritus sanctus ab initio seculi ferebatur super aquas, & ipsas fouebat Genes. 1. Huius mysterij causa illa à quibusdam designatur, quod aqua ad lauacrum regenerationis vel baptismi deputabatur, et adhuc in baptismo Christi, et ante ipsum columba, id est, Spiritus sanctus in aquam descendit, cap. aliud de consecratione dist. 4. Ego tamen existimabam, aquas illas super quas ferebatur Spiritus sanctus, typum esse Deiparæ: nam sicut congregationes aquarum appellauit maria, ita congregationes perfectionum & gratiarum appellauit Mariam: vnde apud sanctos notissima proportio maris ad Mariam: superuenit enim Spiritus sanctus in Mariam, quia prius iam venerat in typo eius, in aquis, in plenitudine aquarum, fouendo eam per gratiam in typo suo. Maledicta fuit terra per peccatũ Adam, non aqua, *Maledicta terra in opere tuo*, Genes. 3. Maledicta fuit in peccato Adami eius propago, tanquam pulnis & terra; sed de aqua nõ legimus, quod fuerit maledicta; nam reseruabatur ad salutem, non solum in baptismo, verum etiam in Beata Maria; vnde post illa verba: *Spiritus sanctus superueniet in te*, addit: *Et nomen Virginis Maria.*

9 Vel dicamus, quod Spiritus sanctus superuenit, quia tempore Conceptionis Deiparæ iam in eam descenderat. Non dixit veniet, quasi actus tunc inchoaretur, nam ab ea nunquam discessit Spiritus sanctus. Superuenire præsupponit ante venisse. Dixit: *Superveniet*: hoc est, augebit gratiam in ipsa dignitate maternitatis: sic addit nouam prærogatiuam suæ præexistentiæ, vt in iure nostro multoties honor augetur, non variata prima conditione. l. falsa demonstratio. §. 1. de condit. et demõstr. ibi: *Nam honor eius auctus est, non conditio mutata.* Dicit Paulus de Castro cons. 389. n. 1. volum. 1. *Tunc dicitur quid nouum, cum primum totaliter extinctum est, & reuiuiscit*, & Albertus Brun. de augmento conc. 3 num. 9. *Incrementum aliquius substantiæ ad præexistentem*

tentem substantiam, non reponit rem in diuersa specie, l. si eum. §. si seruus. ff. de exercit. act.

10 Item fauentissima sunt mysterio Virgineæ Conceptionis verba Sancti Lucæ cap. 1. vers. 30. ibi: *Inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero.* Quæ est ista gratia, quam inuenit Beata Maria apud Deum? Proculdubio est gratia originalis, quam humana natura perdidit in primo homine. Est res ista plena mysterio, ad quam explicandam examinādæ sunt tres parabolæ, quæ sunt apud Lucam cap. 15. in quibus grandis controuersia agitatur, inde exorta, quia in oue, quę de grege aberrauerat; in drachma, quæ perdita est; in stola prima, quæ data est filio prodigo, non satis constat, quid in his significetur. Ego putabam, in his explicari reparationem prioris ruinæ, & damni recepti ab Adam, ex quo cætera peccata nascuntur. Parabolam de oue, quæ de grege centum ouium aberrauit, sic interpretantur Canonistæ, vt in illa oue significetur totū genus humanum lapsum in Adam; ita explicant in cap. pœnitentem 26. q. 7. ibi: *Inueni ouem meam, quam perdideram*, et in hoc expendunt locum Magni Gregorij, dicentis, vnam ouē tunc deperijsse, quando peccauit Adam; & vitæ pascua tunc genus humanū reliquit. Remanserunt in deserto nonaginta nouem oues; sic numerus totius creaturæ rationalis, Angelorum, et hominum extitit diminutus, humana natura aberrante. Dicit autem Gregorius, quod comparatione Angelorum, natura humana est veluti vna ouis, et Angelica sicut nonaginta nouem. Bonus pastor, relictis in cœlo Angelorum choris, factus est homo; et vt summam ouium expleret in cœlo, genus humanum quæsiuit in terra; inuenit deperditum plasma, siue ouem deperditam, et humeris suis imposuit, homineque reparato, ad domum cœlestem redijt. Rectè in hac prima parabola, iuxta Gregoriū, reparatur prima ruina. Obiter tamen obserua, qualiter in hac parabola nomine deserti cœlum significetur, vt dixi capite

octauo. Homo gratia & iustitia originali denudatus, extra locum contemplationis & visionis Dei, in mundi confusionem est relegatus: sed Deipara cũ Angelis mansit in loco suo, in deserto, in loco iustificationis, non numeranda cum oue deperdita, vt Apoc. 12. *Vt volaret in desertum, in locum suum.*

11. Ponit aliam parabolam Sanctus Lucas in dict. cap. 15. de stola prima, in qua etiam designatur reparatio prioris damni, & ruinæ acceptæ ab Adam. In hac stola significatur iustitia illa, vnde lapsus est Adam, vt in cap. quomodo renouari. de pœnit. dist. 2. ibi: *Stola prima, illa ipsa iustitia est, vnde lapsus est Adam:* sic etiam interpretatur hunc locum Lucæ Diuus Augustinus in Genesi ad litteram, dicẽs, quod Adam imaginem Dei in spiritu mentis impressam perdidit, sicut & filij eius, donec Christus nos induit stola prima. Sed ô Maria Serenissima! nunquam deposuisti imaginem filij tui in spiritu mentis impressam, vt dixi supra cap. 15. Nec in Filio prodigo naturæ humanæ debes connumerari. Nec tibi de nouo stola prima tribuitur, cum eam numquam perdideris. Numquam imago filij tui in te deleta. Semper imaginem Dei retinuisti.

12. Accedamus ad aliam parabolam drachmæ deperditæ, quam mulier inuenit; huius drachmæ inuestigatio in textu Lucæ est maximè operosa, sed rei, qua de agimus, necessaria. Inquit Euangelista d. cap. 15. *Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nonnè accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat, & cum inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram.* Magna dicta sunt, & præclarissima de hac drachma, & de hac muliere à sacris Doctoribus. Diuus Gregorius per hanc mulierem intelligit Dei sapientiam, quæ rationalem naturam Angelorum & hominum condidit, & ad similitudinem suam creauit; decem drachmas in vtraque natura habuit; quia

nouem

nouem sunt ordines Angelorum, sed vt cōpleretur electorum numerus, homo fuit creatus: deperdita est hæc decima drachma, in qua erat expressa imago conditoris; deperdita fuit tunc, quando homo ad imaginem Dei conditus, peccando à similitudine sui conditoris recessit. Deletū tunc fuit in drachma signum & imago Domini, vt dicitur in cap. Illa anima. de pœnit. dist. 2. Uenit mulier, id est, diuina sapientia, mater pulchrę dilectionis & Sanctæ spei, & drachmam deperditam inuenit, & gauisa est vtraque natura Angelica & humana. Eodem modo interpretatur hunc locum Diuus Augustinus, Psalm. 138. ibi. *Perdiderat enim drachmam mulier illa, quæ accendit lucernam. Sapientia Dei perdiderat drachmam. Quid est drachma? Numus, in quo imago erat Imperatoris nostri. Factus est enim homo ad imaginem Dei, & perierat. Quid facit mulier sapiens? Accendit lucernam. Lucerna de Luto est, sed habet lucem, qua inueniatur drachma. Lucerna ergo sapientiæ caro Christi de luto facta est; sed verbo suo lucet, & inuenit perditos.* In sensu litterali non possumus resilire à sacris Doctoribus Gregorio, & Augustino. Retinemus etiam in sensu litterali, quod drachma designet gratiam, qua creatus fuit primus homo, in qua drachma expressa erat imago creatoris. Sed esto, quod in sensu litterali mulier apud Lucam supponat pro diuina sapiētia, nihilominus in sensu mystico potest mulier interpretari pro natura humana: nam apud Esdrā lib. 4. cap. 9. vers. 38. et cap. 10. vers. 44. nomen *mulier* ponitur pro populo Dei, & pro Sion; & in Euangelio mulier illa, quæ extollit vocem, pro Ecclesia fidelium à multis Patribus accipitur; sicut in Apocalypsi mulier amicta sole à plerisque pro vniuersali Ecclesia recipitur. Ad rem ergo. Natura humana in Adam & posteris accepit decem drachmas; nam accepit quinque sensus, visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum: itē accepit quinque perfectiones, quæ pertinent ad animam, scilicet, memoriam, intellectum, voluntatem, liberum arbi-

bitrium, & iustitiam originalem; sunt decem. Ex his perdidit mulier, id est, natura humana, drachmam vnam, iustitiã originalem, & retinuit alias nouem: hanc vnam drachmam perdidit primus homo, precibus Euæ corruptus. Plorabat, ac instabat humana natura in quęrenda perdita drachma, sed non habebat in facultatibus, vnde posset drachmam reperire: nec aliquis ex filijs Adam potuit viribus naturæ eam inuenire. Ast in hac natura humana est accensa lucerna Verbi Diuini ad quærendam drachmam; & sicut in amittenda drachma vterque sexus non defuit, ita in recuperanda vterque concurrit. Vetus Adam amisit drachmam iustificationis & iustitiæ originalis; nouissimus Adam eam nobis restituit. Antiqua Eua fuit occasio perditionis; nouissima Eua nobis eam drachmam adinuenit, sicut ei dictũ est ab Angelo: *Invenisti gratiam apud Deũ*; & rectè apud Deum, quia cum sit mater summi boni, supremique Dei Saluatoris, & vtriusque vna sit caro; in vtroque sexu inuenit natura humana remedium suæ reparationis, & vterque in causa fuit, vt iustitia originalis redintegraretur. Manet ergo, quod mulier, id est, natura humana, habuit duos ex suo genere, qui drachmam deperditam restituerint, & adinuenerint; in his duobus mulier drachmam inuenit, quæ perdita fuerat. Ni mauis dicere, per hos drachmam à muliere fuisse repertam; & in vtroque, filio & matre, drachma integra retinetur: in filio per naturam: in matre per gratiam. Unde Taulerus serm. 1. Quadrag. *Gratiam, quam Adam peccando perdidit, Deigenitrix multò abundantius inuenit*: & fœlix Idiota in lib. Cont. de B. Maria cap. 6. *Inuenisti Virgo gratiam cœlestem, quia fuit in te ab originis labe præseruatio.*

Infertur ex proximè dictis interpretatio ad quædam verba Sancti Andreæ, Archiepiscopi Hierosolymitani super salutatione Angelica, ibi: *Et cogitabat qualis esset ista salutatio*, vbi affirmat, quod hæc cogitatio Beatæ

Mariæ

Mariæ versabatur circa primi parentis lapsum, num forsê, & ipsa comprehenderetur, quia filia erat Adami; vnde se indignam ad ministerium maternitatis reputabat, & in sua humilitate detinebatur: quod cum perciperet Gabriel, statim timorem ab ea depulit, dicens: *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum*, idest, cum omnes mulieres in Eua maledicebantur, tibi Deus gratiam originalem reseruauit, quia eras ab æterno ordinata, vt esses mater Iesu, & reparatrix ruinæ. Sic etiam intelligit Diuus Basilius in explicatione salutationis Angelicæ.

13 Item considero, repræsentari Deiparam in illa oliua, quã attulit columba post diluuium, per quã cognouit Noe, quod cessassent aquæ super terram. Dubitant Patres, an illa oliua nata fuisset ante diluvium, cum vniuersa, quæ in terra fuerunt, consumpta sint, Genes. 5? Sed inuenio, Diuum Ambrosium dicere, natam fuisse ante diluvium: *Ante diluuium exortũ fuit illud folium, ex quo vir iustus gauisus est, quia reseruatum ex veteri semine, & inde colligit misericordiæ insigne diuinæ*. Hæc oliua speciosa est Maria, de qua manauit oleũ illud effusum Iesus. Maria est oliua nostræ pacis & gaudij, iuxta illud: *Conceptio tua gaudium annunciauit vniuerso mundo*. Pereant omnes in diluvio peccati originalis: sola Maria præseruetur inter filios Adam, præseruetur ex veteri semine cum iustitia originali, vt diximus supra n. 6. Doctissimus Cornelius à Lapide. Exod. 7. Super illa verba: *Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes*, affirmat, oliuam istam inter petras conseruatam, ibi: *Nota, quod licet, plerasque omnes arbores diluvium strauerit, oleam tamen hanc potuisse inter petras, quæ vim aquæ refrangebant, conseruari*: & quæ fortior petra, quam Christus, in qua præseruata est mater eius ab aquis peccati originalis?

14 Item considero, & contemplor differentiam illam salutationis Angelicæ in Deipara, & Angelicæ denunciationis in Sanctissimo Ioseph: nam Angelus dicit Mariæ apud Lu-

cam

cam cap. 1. vers. 31. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Eadem ferè nunciata sunt Sanctissimo Sponso, sed addit Angelus in denunciatione Ioseph: *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Mirum, quod omiserit hanc clausulam adeò fauorabilem generi humano, nec de ea Virginem certiorem fecerit. Cur ita? an quia virgo non indigebat Redemptione curatiua, Ioseph autem indigebat? Ita est, dummodo in bono accipiatur sensu. Virgo enim non habebat peccatum originale; quod & Angelus nouerat, quia ipsi dixerat: *Aue gratia plena,* & iterum: *Spiritus Sanctus superueniet in te:* vnde omisit edicere de curatiua Redéptione, quæ lapsis necessaria est. Virgo Sacratissima non fuit lapsa, vt supra dixi. Sanctissimus autem sponsus Ioseph Euangelium accepit ab Angelo: nam lapsus fuerat in peccato originali, & egebat curatiua Redemptione. Nec tamen credamus, quod Virgo Sacratissima excludatur à beneficio Filij: nam habuit eum præliberatorē, in quo datur excellentior species liberationis, & Redemptionis, vt videbimus in capite finali, num. 10.

15 Item expendo textum nostri iuris in l. Reddentes. C. de Summa Trinit. ibi: *Et quoniam Vnigenitus Filius, ac Verbum Dei, ante secula, & sine tempore de Patre natus; idem ipse, & in vltimis diebus descendens de cælis, incarnatus est de Spiritu Sancto, & ex sancta, atque gloriosa semper Virgine Deigenitrice Maria.* Vides in textu, Deiparam semper sanctam, gloriosam, & Virginem compellari: nam particula *semper* vno spiritu & elemētatione refertur ad omnia: sic pariformiter debet determinari l. iam hoc iure ff. de vulg. & pupil. subst. l. Quamuis. Cod. de Impuber. & alijs subst. Vnde nullo tempore desiuit esse sancta, gloriosa, & Virgo immaculata. Particula *semper* comprehendit principium, mediū,

&

& finem l. 1. ff. solut. matr. vbi glossa, verbo *semper*, ibi: *Semper, id est, omni tempore, & omni casu temporum*, & denotat temporis perpetuitatem. l. seruitutes. ff. de seruit. & excludit omnem temporis præfinitionem, ex Beroio cons. 80. n. 9. volum. 2. & idem importat, qood omni tempore, & omni casu, Albericus in Dictionario, verbo *semper*. Dicamus ergo, nostram Dominam semper Sanctam, gloriosam, & Uirginem. Si fuit semper Sancta, ergo Sancta fuit in Cõceptione: nam sanctitas & peccatum mutuo se expellunt, cap. si enim de pœnit. dist. 2. ibi: *Quoniam sicut dies, & nox misceri nequeunt, sic iustitia, & iniquitas*. Nec simul quis potest esse bonus & malus, cap. omnis de pœnit. dist. 1.

26 Item induco textum in l. partum C. de rei vend. vbi partus sequitur ventrem: quo fit, vt quamuis Christus per naturam diuinam non posset peccati originalis vinculo obstringi, communi tamen existimatione seruus ex cõditione matris haberetur, si ipsa in peccatis fuisset concepta: nam pro illo tunc fuisset ancilla Satanæ, ex cap. Princeps. de pœnit. dist. 2. vbi dicitur, quod diabolus sua malitia hominem perdidit, & suo dominio subiugauit: & qui habet peccatum ex diabolo est. 1. Ioan. cap. 3. cap. Qui natus, cap. resuscitatus de pœnit. dist. 1. cap. gratia de consecrat. dist. 4. Ridiculum autẽ est dicere, Beatam Mariam aliquando diaboli ancillam: & Deum natũ fuisse ex matre, origine serua nequissimi. Non nouit Regalis maiestas, & Diuina huiusmodi contumelias: nec origo nobilitatis inquinatur seruitutis vituperio. Genus regale sanctissimum, mundissimum & nobilissimum est. l. 3. ff. de Natalibus restit. Repugnat enim, clarissimos accipere infamiæ notam l. si qua illustris. C. ad Orficianum. Reformidat Diabolus venerãdum Mariæ nomẽ: quomodo fuisset aliquando eius serua? Existimo, quod si Maria sacrosancta in sua Conceptione fuisset dominio diaboli subiugata, non reputaretur digna mater Saluatoris, nec esset electa ad dignitatem matris. Moueor exemplo

plo Moysis, qui electus est ad redemptionem Iudaicæ plebis, hic dum seruatur à morte, clauditur in fiscellam scirpeam, viturnine foris linitam, vt constat Exod. 2. Quærit Abulensis ibi, cur non linita intus vitumine? Respondet: *Non fuit linita intus, quia odor picis necaret puerum, in quo fortiter reciperentur impressiones quæcumque essent.* Hæc fiscella est Deipara, Moyses Christus, vt dicit eo loco Ambrosius: *Per fiscellam scirpeam Beata Maria designata est:* cui cõcinit Albertus Magnus ibidem: *Maria significatur per fiscellam scirpeam, in qua vagit noster Moyses, verus legislator.* Putaretur partus eiusdem conditionis ac mater: & quod in filio recipiebantur pristinæ impressiones matris: & in existimatione communi, si venter fuisset pice peccati originalis vitutninatus, putaretur partus eiusdem conditionis: ac tandem, quod non erat possibile in veritate, crederetur possibile in opinione hominum in magnũ Christi dedecus. Nolite igitur ponere speculum sine macula in ventre origine maculato: nec fiscellam illam virgineam intus pice liniatis, ne odor picis Dominum Iesum, si non physicè, moraliter confodiat, ex illa ratione textus, quod partus sequitur ventrem. Optat Christus, se magis velle reputari filium vteri Mariæ, quam vteri æterni Patris, & ideo se filium hominis, id est, Mariæ, semper prædicabat.

Dices, quod licet Beata Maria fuisset concepta in peccato; fuit tamen sanctificata ante suam natiuitatem: vnde iam purgata à vitio, & restituta in pristinum statum, perinde habetur, ac si nunquam extitisset in illo peccato. l. quod ita. ff. de ædilit. edict. Accedit etiam regula iuris, non reuiuiscere actiones semel extinctas. l. qui res 98. §. aream. ff. de solut. l. inter stipulantem. §. sacram. ff. de verbor. oblig. Undè inferri poterat, quod in opinione hominum non haberetur filius eiusdem conditionis, ac mater: ex eo enim quod Beata Maria per sanctificationem sit natalibus, & iustitiæ originali ante natiuitatem restituta, nihil

hil ei officit in seruitute fuisse, minus partui, vt sic ingenuus & sine vlla seruitutis macula reputetur, argumento textus in §. 1. Instit. de ingenuis. l. patrono. ff. de natal. rest. ibi: *Qui natalibus restitutus est, perinde habetur, atque si ingenuus natus, medio tempore maculam seruitutis non sustinuisset.* Ut hanc difficultatem excusemus, admonendi sumus, duobus modis consueuisse Imperatores dare libertatem; vel priuilegio & largitione aureorum annulorum, vel restitutione natalium. l. 1. & 2. Cod. de iure aureor. annul. l. interdum. l. patrono. ff. de natal. rest. & signanter in d. l. 2. *Aureorum vsus annulorum beneficio principali tributus, libertinitatis quoad viuunt imaginem, non statum ingenuitatis præstat. Natalibus antiquis restituti liberti, ingenui nostro constituuntur beneficio*, sic tamen vt restitutio natalium in primam libertatem rem reponat. l. 2. ff. de natal. rest. ibi: *Illis enim vtique natalibus restituitur, in quibus initio omnes homines fuerunt;*

His ita constitutis non debemus in Virgine admittere hanc libertatem, & restitutionem natalium, neque hac via incedendum, nec vt libertina habenda, aut restituenda natalibus; quippe quæ nunquam purissima natalium caruit libertate. Restitutio natalium supponit seruitutis & maculæ abolitionem. Leges cum agunt de hac priuilegiaria restitutionis libertate, fictionem supponunt, & vtuntur particula *perindè*. ex dict. l. patrono, ibi: *Perinde habetur ac si ingenuus natus est; &c.* In Deipara, non fictio, sed veritas iustitiam originalem conseruat. Non est idem esse tale, vel haberi pro tali. l. quod Nerua. ff. depos. Esse ingenuam in radice & origine, dicit negationem seruitutis: sed haberi pro ingenua, dicit seruitutis remotionem, dict. l. patrono. Hæc beneficia imperialia circa restitutionem libertatis continent in se quamdam improprietatem. Nulla fictio potest factum reddere infectum, id est, non factum. l. in bello §. facti. ff. de capt. Clement. quod circa,

de

de election. ibi: *In facto non in fictione, vel iuris effectu consistunt.* Quod semel factum est, in iure annihilari non potest, nec factum haberi pro infecto. l. si ita fuerit 13. in princip. ff. de manum. test. Sic fieri non poterat, quod Virgo per sanctificationem restituta, notam seruitutis, vel memoriam illius primæ iniuriæ non retinuisset: & quamuis Christus, quâ Deus est, non posset macula aliqua teneri, in opinione hominum posset causari, quod esset filius libertinæ, vel virginis restitutæ de antiqua seruitute in libertatem. Conducit, quod in his quæ dependent à voluntate, magis attendatur ad nocendum opinio, quam veritas. l. is qui putat 15. ff. de acquirend. hæred. ibi: *Nam plus est in opinione, quam in veritate.*

17 Item habemus textum in l. quisquis. §. filij C. ad leg. Iul. Maiest. vbi filij eorum, qui crimen Maiestatis commiserunt, si nascuntur post delictum Patris, sunt perpetuò infames, & ad nullos possunt honores peruenire. Dicetur ne infamis Beata Maria nata post crimen Adami? Infamia eam primi Patris comitabitur? Horrendum esset, non solum dicere, sed & cogitare. Ipsa ad supremum honorem matris Dei ante omnes creaturas euecta est. Infamibus portæ non patent dignitatum, ex cap. infamibus, de Reg. iur. Posset Deus incussari, qui matrem infamia vellet insordescere, cum posset eam ab infamia liberare. Leges seculi eousque inter Patres & filios voluntatem extendunt, vt omnia concessa coniectentur parenti, quæ filius dare potuisset, vt dixi ex l. Aurelius. §. Titius ff. de liberat. leg. ibi *Præsumptio enim propter naturalem affectum facit, omnia patri videri concessa*, qua de re videndus Valerius Maximus lib 5. cap. 4. Ridiculum esset, diuersum circa Deum coniectari, qui cum posset liberare genitricem suam, fateri debemus, quod voluit, nec eius voluntatem strictè interpretemur, sed largè. Conseruemus in Deipara existimationem, ne aut minuamus, aut consumamus. Existimatio est digni-

dignitatis inlæsæ status. l. cognitionum. §. existimatio. ff. de varijs, & extraord. cogn. Minuitur Deiparæ status, si aliquid indecorum in eius statum gestiamus, argumento sumpto ex dicta l. cognitionem. §. minuitur. Consumitur vero Virginis existimatio, si eam, vt seruam habeamus. d. l. cognitionum, §. consumitur.

18 Item habemus textum in l. quod si nolit 35. §. plerumque. ff. de ædilit. edicto, vbi docemur, semper inspici, quo patre, & matre quis natus sit, & bonos dici, qui ex genere non infamato nascuntur; malos autem, qui ea natione sunt, quæ infamis est; & nati ex generosis parentibus, nec maculatis, hi meliores filij in iure reputantur, vt dicit Odofredus in l. 1. ff. de iust. & iur. & Ioan. de Platea in Proem. Instit. §. quarum. Vnde quò purior est parens, eò melior filius iudicatur, qui sicut dicit glossa, verbo in quibus, in l. quisquis. §. filij. C. ad leg. Iul. Maiest. *Sæpè solet similis filius esse patri.* Non est ergo cur originalem puritatem in Deipara denegemus, cum ex ea natus sit Iesus, fons puritatis, et perfectionis.

19 Item suppono cum grauissimis Theologis, quod dantur plura decreta Dei, quæ sic distribuunt, vt in primo instanti, aut signo suarum præfinitionum, Deus via intentionis Christum fore secundum substantiam decreuerit & secundum suas proprietates in indiuiduo. In secundo decreuit fore Virginem, vt esset mater Dei, & tum eam elegit ad eum gratiæ & gloriæ cumulum, quem demum obtinuit. In tertio signo decreuit fore omnes alias creaturas & mundum vniuersum. In quarto ex Angelis, & hominibus prædestinauit aliquos, et circa alios se habuit negatiuè. In quinto Adamum & Euam fore decreuit omnium parẽtes, tam physicè, quam moraliter; intimando eis legem de non comedendo de arbore. In sexto permisit lapsum Adami. In septimo voluit, Christum ipsum Adamum redimere, vel ipsum & alios. Ita P. Castillo tom. 1. de Incarnat.

disp. 3. de præseru. B. Mariæ à debito quæst. 2. num. 4. licet subtilissimus Scotus aliter decreta ordinauerit. Videndus in 3. dist. 7. q. 3. et in Reportatis quæst. 4. et dist. 19. quæst. 1. & in 1. sentent. dist. 41. videndus etiam in 3. dist. 32.

Ex hac ordinis prioritate habes in Virgine prærogatiuam supra omnia creata, cum prædestinata & præfinita sit ante omnes, & ante omnem culpam & maledictionem, vt esset mater Dei, et vnius mediatoris Iesu Christi. Perbellè S. Bernardinus Senensis serm. de Beata Virgine. *Tu ante omnem creaturam in mente Dei præordinata fuisti.* Prioritas illa temporis ipsi Virgini tribuit prælationem, argumento textus in l. generaliter. ff. qui potiores, et in l. creditor. §. cum ex causa, ibi: *Prioris causam esse potiorem apparuit.* ff. eodem titulo, cap. qui prior de regul. iur. lib. 6. Priuilegia enim ex tempore & ex causa considerantur & metiuntur. l. vltima. §. in duabus. C. qui potiores, licet sit contra l. priuilegia. ff. de priuileg. credit. Vtrumque præcipuum habetur in Deipara, temporis antiquitas, et causa maternitatis, ob quam antecedit tempore omnia creata. Ex eadem prioritate habemus intellectum ad textum in cap. 8. Prouerb. ibi: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, qui textus ab Ecclesia accommodatur Deiparæ, et in festo Conceptionis decantatur, et de Beata Virgine explicatur à Patribus, de quo eleganter differit Salaçar cap. 2. & cap. 37. in fine. Circa hæc verba Prouerbiorum memini, me supra aliqua dixisse circa probationem coarctatam in fauorem Deiparæ ex textu in cap. ex tenore 35. de testibus, et ex l. optimam. C. de contrah. et commit. stipulat. Nunc autem circa possessionem, quam ab initio accepit Deus in Deipara, ob quam Domina profitetur se esse ancillam Domini, dicendum est, quod cum Dominus possedisset iam diu, et ab initio, antequam quidquam fieret, non potuit insimul diabolus ex post facto per peccatum Virginem possidere, ex l. 3. §. ex contrario. ff. de acquir. possess. l. duo 19. ff. de

precario. l. si vt certo. §. si duobus vehiculum. ff. commodari. eruditè Iacob. Cujac. lib. 9. obseruat. cap. 32. & cap. 33. & lib. 5. obseruat. cap. 22. Anton. Fab. in Papinianea tit. 2. de iur. natur. princip. 4. illat. 5. Sed & illud obseruandum est, quod non dicit: *Deus possedit me, sed Dominus possedit me*, vt simul dominium & possessio in Deo ab initio consideretur circa Deiparam, vt & ipsa Domina significat, dicēs: *Ecce ancilla Domini*, ancilla ratione dominij, & possessionis ab initio; non enim potuit duobus dominis seruire, nec dominium potest esse penes duos, l. quod contra. §. vnidue. ff. de reg. iur. d. l. si vt certo §. si duobus vehiculū. ff. cōmodati: alias sub dominio & possessione Dei et dæmonis simul esset, si aliquando habuisset peccatum, quod repugnat ex dictis iuribus.

Circa hanc duplicem possessionem maturo cum iudicio disputauit eloquentissimus pariter, & doctissimus Aduocatus D. Franciscus de la Cueua, in allegatione, quam recitauit, & edidit pro immaculata Virginis Conceptione, vbi adductis mirabilibus fundamentis, circa hunc locum prouerbiorum, & hanc Dei possessionem, aliquantulum immoratur, quia vero doctissimi viri discursus maximè conducit veritati, & meo instituto, & voto; breuiter in linguam latinam, mentem doctissimi viri transuertam. Probat enim, Virgine à Deo possessa ab initio, non dari concursum dæmonis in eādem possessionē: & quamquam possint dari diuersę possessionis species eodē tempore, hoc procedit in vna, eademque persona, vel sibi correspectiua, subordinata, & adhærentis secus in diuersis omnino personis: præcipuè cum ille vocetur aduersarius, qui est in possessione obstatiua; secus si possessio sit compatibilis. Baldus in cap. bonæ memoriæ 2. num. 40. de postulat. Prælat. Oldrado cons. 257. nu. 41. Sic dum Deus semper & ab initio Virginē possedit, exclussus manet Satanas: nam ex duobus oppositis, vnius præexistentia remouet ingressum alterius l. Pomponius

ponius.§.sed & is.ff.de procurat.l.si inter me.ff.de re iudicata.l.hæc verba,ibi: *Aut dies aut nox est*.ff.de verb. sign. l. nihil interest.§.si patronus.ff.de oper.libert.l.si filius emãcipatus.ff.de minor.l.Clodius.ff.de acquir.hær. Euerardo in loco à contrarijs num.10. fol.361. Maximè cũ non solũ vtatur in d.cap.8.Canticorum verbo *possidere*, sed ei adiungat qualitatem dominij, vt dixi numero antecedenti. Ambulat frequenter cum dominio possessio. l. æquissimum §.fin.ff.de bonor.possess.secund. tab. licet dominium differat à possessione. l. naturaliter 12. §. nihil commune. ff.de acquir.pos.& dominium venit in comitatiuam possessionis,et se habent tanquam mater & filius,vt dominium sit filius, possessio mater, iuxta mentem Baldi in cap. clerici n.3.de vita,et honest.cleric.et in cap.cum venisset, n.4.de rest. spoliat. adijciens, quod soli domino consonat ratio possidendi,et idem Baldus in cap. querelam, n. 2. & 3. addit,quod proprietas inhæret ossibus Domini,& quod possidere est effectus proprietatis. Item verbum *possessio* simpliciter prolatum, plenissimam et integram actionem ad rem continet. l. 1. vbi Bald. C. communia de vsucapion. Tiber. Deciano cons.3. num.53. vol.4. videndus Fulvius Pacianus cons.147. n.56. et Petrus de Peralta in l. seruus, §.qui fidei commissam,à n.3.ff.de her.inst.Eleganter Bald. totum discursum implet in l. in suis num. 4. ff. de liber. & posth. ibi: *Quoniam dominium appellatur proprietas, & propriê proprium est illud, quod eâdem consideratione non conuenit pluribus, sed vni, non solum enim effectus, sed prima causa hoc ostendunt, quia impossibilis est pluralitas plurium personarum ad idem dominium concurrentium.* Duplex dominium, dummodo vnum sit verum, & aliud interpretatiuum intellectuale & imaginarium benê compatiuntur, vt in patre & filio iuxta l.in suis.ff.de lib.et posth.l.cũ oportet C.de bon.quæ lib.vbi Doctores, quia tunc duo finguntur vt vnus Bald.in l.fin.C.de impub.n.5.vt in proprietario et vsufructua-

fructuario. l. vsusfructus 4. ff. de vsufr. vt in marito & vxore. l. in rebus. C. de iur. dot. §. 1. inst. quibus alienare licet, vel non: tunc enim vnum dominium fingitur alteri subordinatum, & in his casibus aliud est dominium ciuile, siue quiritarium, aliud dominium in bonis, siue bonitarium, vt recentiores iuris interpretes philosophantur: vel in his casibus aliud dicitur dominium vtile, aliud directum: hoc superius, illud inferius, & descensiuum, siue deriuatum depẽdenter à radice directi, & ei subordinatum, vt in domino & feudatario, vt loquitur Baldus in prælud. feud. num. 24. fol. 3. Rosental tom. 1. de feud. cap. 9. memb. 1. conc. 47. num. 4. fol. 740. & sic quando finitur hoc vtile dominium, siue descensiuum, non dicitur accrescere tanquam quid nouum dominio superiori, sed consolidari, & naturali iure ad fontem & radicem reuerti, & quærere suam primam causam. l. si proprietati. ff. de iur. dot. l. item si fundi. §. huic vicinus. ff. de vsufr. l. hoc amplius. §. Alfenus. ff. de damn. infect. Baldus cons. 300. n. 5. volum. 1. Iacob. de Nigris de gradib. success. cap. 23. n. 10. Duo domini siue proprietarij aut possessores eiusdem rei benè possunt concurrere, dummodo vnus dependeat ab alio, aut inter eos detur successiua repreſẽtatio: at duos dominos vel possessores in solidũ, cum qualitate, aut intentione contradictoria, nec ius, nec natura patitur. d. l. 3. §. ex contrario. ff. de acquir. possess. ibi: *Contra naturam quippe est, vt cum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris.*

Addit eloquentissimus aduocatus alia præclara circa intentum. Supponit enim cum Baldo in d. l. 1. C. comm. de vsucap. possessionem terminari secundum adiunctum, & materiam subiectam, ad quam refertur; sic dum dicimus, vsumfructuarium possidere, intelligimus quantum ad vtilitatem, & fructuum perceptionem: si dicimus depositariũ possidere, illud intendimus, quod posſideat quantum ad custodiam: potentia enim verborum cognoscitur, & subli-

mitatur

mitatur ratione adiuncti. l. 13. ff. pro socio. l. fin. §. fin. ff. de trit. & oleo leg. l. qui libertatis ff. de euict. l. quæsitũ. §. 1. ff. de leg. 3. Species enim qualificatiua generis coarctat illud intra limites suæ facultatis. l. cum de lanionis. §. quædam. l. Seiæ ff. de fundo. instr. At cum dicimus dominus possidet, intelligitur quoad omnem plenitudinem, & solidum imperium. l. Titia, ff. de solut. l. in re mandata C. mandati. Sic dum dicitur: *Dominus possedit me*, omnis via clauditur, vt possit ad illam possessionẽ alius dominus introduci. Domino enim & possessori realiter existenti non obijcitur alius dominus & possessor, sed ille vnicus absolutê recognoscitur. Dualitas enim dominij pleni natura ipsa improbatur: & dato quod dominium sit penes vnum, sequitur penes alium non versari. d. l. quod contra §. vni duo. Pleno enim iure ille possidet, qui vt dominus possidet l. 1. C. de reuocandis donat. Menoch. de recup. poss. remed. 13. n. 9. & 10.

Obseruat item hic patronus patronorum ibidem, quod textus Prouerbiorum non loquitur in tempore præsenti, *Dominus possidet me*, sed in præterito: *Dominus possedit me*, id est, ab initio, antequam quidquam faceret â principio. Vnde præseruatio Deiparæ ponenda est ante creationem vniuersi, ante creationem Angelorum, & ante creationem Adami & Euæ; vnde cum tempore, quo peccauit Adam, iam antecedenter Beata Virgo fuisset præseruata, & â Deo possessa, non potuit comprehendi peccato superueniente, precipuè cũ nõ sit scriptum, quod Deus dimiserit illã possessionẽ, quam ab initio apprehendit in Virgine, argum. l. si quis vi. §. differentia ff. de acquir posses. l. 3. §. in amittẽda ff. eodem tit. & ideo Deus tanquã antiquissimus & ęternus possessor censetur semper idem dominium, et irretractabilẽ possessionem retinuisse. l. siue possidetis. C. de probat. Vbi Baldus â num. 1. vsque ad 4. vbi etiam concludit, quod si non constat de principio, et origine dominij, tunc non præsumitur progressus, et continuatio eius, diuersum

que

que esse, si verificatur primordiale dominium, vt in d. cap. Prouerb. *Dominus possedit me in initio viarum suarum* : nam tunc ipsius dominij continuatio præsumenda est in posterum, nisi ex aduerso contrarium ostendatur, vt dicit Aymon Craueta cons. 391. n. 4. vol. 3. Tiber. Decian. cons. 11. n. 53. vol. 1. Videndus Hect. Æmil. de iur. feud. cap. 12 n. 32 et in iure partitarum. l. 10. tit. 14. p. 3. ibi: *E esto es porque sos, pecharon los sabios, que todo home, que en alguna sazon fue señor de la cosa, que lo es aun, fasta que sea probado lo contrario.*

Adiungit priori clausulæ textus Prouerbiorum sequentem: *Ab æterno ordinata sunt, & ex antiquis antequam terra fieret : non dum erant abyssi, & ego iam concepta eram*: Verba explicant præseruationem Virginis, quæ præcedit peccatum Adami. In mente Diuina fuit præseruata et possessa ab æterno ante creata omnia, nunc scimus quoniã est, et semper erit mater Dei, et gratia plena. Et in cap. inuẽta est 27. q. 2. dicitur, quod Maria est Dei mater ęterna. ibi : *Sed Dei vnigeniti mater est æterna*, iuxta editionem Lutetiæ Parisior. anno 1561. Et Dominus est cũ ea, iuxta illud: *Dominus tecũ*, vt supra diximus. Ergo etiam fuit pręseruata, quando Adam peccauit, nam media præsumuntur eiusdem naturæ, cuius sunt extrema. l. hæredes palam. §. si quis post. ff. de testam. Neuisan. cons. 29, n. 4. Surd. cons. 126. n. 13. vol. 1. et probatis terminis à quo et ad quẽ, probatio medij regulariter infertur, cap. quia tunc culpæ 18. dist. Bart. in l. Celsus n. 21. ff. de vsucap. Tiber. Decian. cons. 11. n. 124. vol. 1. Mascard. conc. 730. n. 1. & 2. Is qui olim possedit, & nunc etiã deprehenditur possidere eamdẽ rem, præsumitur etiã possedisse medio tempore ab vno ad aliud extremũ, cap. accedens de conuers. coniug. gloss. in cap. per tuas de condit. apos. Surd. cons. 73. n. 45. ad 48. vol. 1. ibi: *Et quia constat de principio possessionis, & apparet, eos etiam nunc possidere, præsumendum est medio tempore continuatam possessionem*: vnde sẽper fuit in dominio & possessione Dei, & in ea nõ potuit dominium habere peccatum, vel Satanas. Item

20. Item expendo textum in l.Titia.§.Seia.ff.de auro & argento legato, vbi quædam mulier testamento suo cauit, vti hæredes ponerent signum Dei, vel imaginem in æde sacra cum subscriptione nominis testatricis: in illa autem æde sacra nō erant imagines, nisi æreæ, vel argenteæ. Dubitabatur, cuius materiæ imago, vel signum ab hæredibus præstandum? & respondet Scæbola, *Secundum ea quæ proponerentur, argenteum ponendum:* vnde Bartolus, & Doctores ibi docent, quod in fauorem Dei & religionis semper intelligitur, & interpretatur, quod est maius: nō debemus diminueuere, vel coarctare causā Dei, et religionis, quia magna est ratio, quæ pro Deo et religione facit. l. sunt personæ. ff. de relig. et sumpt. funer. Semper enim dignitas personæ, ad quā verba referuntur, inspicitur. l. si seruus plurium. §. fin ff. de leg. 1. Est Deipara, vt supra dixi cap. 15. de genere quodammodo diuinitatis: sic nō debemus, eā in amictu ęreo, & aurichalco, aut in materia non pura, in æde sacra collocare: interpretemur quod est maius: ponamus ei signum argenteum, quia candida est sicut Luna: ponamus & signum aureum, quia electa est vt Sol, vt dicitur in Apocalypsi; et in Canticis, ne vestem candidam Virginis maculemus tinea, & rubigine peccati.

21. Ponendum est etiam aliud fūdamētum ex l. sed si meis §. arbor. ff. de adquir. rer. dom, vbi Paulus Iurisconsultus docet, quod si arbor ab vno solo eruta, in alio posita fuerit, & in hoc posteriori solo coaluerit; quod arbor sequitur naturam & proprietatem posterioris soli: vnde ad dominum posterioris soli arbor pertinet & antiquus dominus dominium amisit; eam rationem afferens, quod videatur arbor mutata, et alia facta propter nouæ terræ alimentum, ibi: *Nam credibile est alio terræ alimento aliam factam.* Idem ferè docuit Vlpianus in l. hoc amplius 9. §. de his vers. Alfenus. ff. de damn. infecto, & Gaius in l. adeò 7. §. fin. ff. de acquir. rer. dom. In his legibus legalizandum est circa Christiparā

ſtiparam, et Chriſtũ. Dixi ſupra cap. 2. & 8. cũ S. Petro Damiano, quod Deipara tota in candorem lucis conuerſa eſt: dixi etiam, quod Eccleſia comparat eam lilio, cypreſo, palmæ, et apud Eſaiam, *Egredietur Virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius*: eſt enim arbor, ex qua venit ſalutis fructus. Item ſæpius ſcriptum relinquo, quod Deipara eſt opus gratiæ, in idque Sanctorum placita cumulaui, et congeſſi; gratia dominam parit, gratia Dominam excipit, gratia Dominam concipit, gratia in ſe ſuſcipit hunc naturæ humanæ fœtum. Dicit enim Diuus Thom. 3. p. q. 27. art. 5. ad 1. *Beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt eſſet propinquiſſima auctori gratiæ*. Et Dionyſ. Carthuſianus de præcon. Virg. lib. 1. art. 8. *Palam eſt, Chriſtum ſine menſura, omnis gratiæ plenitudinem obtinuiſſe: huic plenitudini, gratiæque infinitæ Maria vehementer appropinquat*. Undè cum ſit plantata in gratia, licet veniat ab Adamo, intelligitur in cãdore lucis, et in gratiæ puritate facta alia: eſt Adami filia, arbor eſt ex illo ſemine, ſed poſita eſt in area gratiæ, in ſuperficie lucis, vel in fundamento claritatis, in eo coaluit, ipſa ſola inter puras creaturas gratiæ & lucis alimento ſuauiſſimo in ſua Conceptione depaſta eſt: ſic ſingulari hoc alimento, alia facta eſt ab omnibus: et tyrannus dominus, qui in conceptione hominum dominium acquiſiuit, huius Deiferæ arboris proprietatem nõ potuit habere. Alio gratiæ alimento, alia facta eſt. Item Beata Maria eſt filia Adami, ſed mater eſt Dei: in hoc indiuiduo datur duplex conſideratio, et filiationis Adami, et maternitatis Dei: quid in hoc articulo docent leges? Certè quoties in vna ſpecie, vel vt loquuntur metaphyſici & logici, in vno indiuiduo, datur res præſtantior alia, tunc manet victa pars inferior, et per præualentiam cedit ſuperiori parti, et de alia inferiori non fit conſideratio; ſed qualitas inferior, vnitate et inſpectione maioris, et præſtantioris partis conſumitur, vt inquit Paulus Iuriſconſultus in l. in rem 23. §. item quæcumque, ff. de

rei

rei vendicat. Filia est Adami, sed mater est Dei, & hoc sufficit; & cum duæ causæ concurrunt in eamdem rem, si vna est potentior, illa vincit, vt dicit Abbas in cap. cum non, in n. 3. de decim.

22 Ex opposito expendo circa Christum eamdem legem, sed sr meis §. arbor, & sanè si rigorosis iuris ciuilis elementis res ista esset metienda, nulla bona propositio eliceretur in Christum, si mater eius peccato aliquādo subiacuisset. Est enim Christus fructus fatus in terra virginea Deiparæ, vt in Euangelio: *Benedictus fructus ventris tui.* Deipara terra benedicta est, iuxta illud: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, quem locum elucidaui supra capite 8. Ex his præmissis inferrent Iurisconsulti iuxta sua principia, quod Christus, licet in veritate habuisset personam peccati expertem; tamen alio alimento terræ virgineæ præsumeretur maculatus in sua radice maternæ naturæ. Scio, quod legis ciuilis conditores numquam partum hominis habeant in fructu. l. in pecudum 28. ff. de vsur. Diuersum tamen dicit Euangelium: *Benedictus fructus ventris tui.* Et quamuis verum sit, quod Christus non posset tanquam fructus illius terræ virgineæ, adhuc si mater in conceptione habuisset peccatum, illud communicare & habere in alimento nouæ terræ: tamen ignominia originei peccati matris redundaret in Christum, quia illi substantiam infectam in alimento communicaret. Dicit enim D. Thomas apud Illustr. Fr. Franciscum de la Cruz de puritat. Concept. sect. 2. §. 3. *Non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando: tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud Prouerbior. 17. Gloria filiorum, parentes eorum: vnde & per oppositum, ignominia matris ad filium redundasset: tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit: dicitur autem 2. ad Corint. cap. 3. Quæ conuentio Christi ad Belial? Tum etiam quia singulari modo Dei filius, qui est Dei sapientia, in ipsa*

habita

habitauit, non solum in anima, sed etiam in vtero, *dicitur Sapientiæ*. 1. *in maleuolam animam non introibit sapientia*, & ex his verbis Sancti Thomæ multas demonstrationes elicit dictus P. Fr. Franciscus de la Cruz, & sine aliquo subterfugio, aut spe solutionis conuincit, quod si daretur peccatum originale in Deipara, hoc redundaret in ignominiam Christi propter affinitatem carnis cum Beata Maria: & idem P. Cruz. in eodem loco. n. 6. ibi: *Cum idoneitate maternitatis non compatitur esse, fuisse, vel fore peccatum, quantumuis plenitudine gratiæ deletum*, & statim n. 7. *At peccatum originale maius est quam veniale* 2. 2. q. 63. *art.* 3. *quod patet, quia ei, non veniali, correspondet pæna æterna damni, quæ est infinita.* Idque potest probari etiam ex cap. maiores. §. Item quæritur de baptismo; & D. Thom. 1. 2. q. 87. art. 4. *Peccato proportionatur pæna, & quia auersio ab infinito bono est infinita, correspondet ei pæna damni quæ est infinita, quia est amissio infiniti boni*, quod de peccato veniali dici non potest: & tamen peccatum veniale in matre redundaret in Christum, & sic non esset idonea. Ergo magis redundaret in fructum, quod origine esset vitio affecta terra illa virginea. Quod si dicas, peccatum originale esse minus volũtarium, sicque personæ non imputari; incides in pœnas sacri Concilij Tridentini sess. 5. can. 3. vbi diffinitum est, peccatum originale esse vnicuique proprium, & idem Pater Cruz addit: *Magis opponitur idoneitati peccatum originale, quam veniale, & cum ea simpliciter est incompatibile, quia priuat gratia, peccatum autem veniale non opponitur gratiæ, sed tantum puritati, vt docet in* 1. *dist.* 17. *q.* 2 *art.* 4. *ad* 3. *& dist.* 44. *q.* 1. *art.* 3, *ad* 3. & tamen si aliquãdo Deipara habuisset peccatum veniale, hoc redundaret in prolem, neque esset idonea Mater Dei ex dictis, ergo si habuisset originale, magis redundaret in prolem. Item ex D. Thoma. Si in ea terra Virginea daretur aliquando ignominia, illa redundaret in fructũ, & prolem, quod sic explicat idem P. Cruz ibidem.

n. 9.

n. 9. ibi: *Peccatum originale est maior ignominia, quam peccare venialiter, quia per peccare venialiter homo non cadit à dignitate filij Dei, & per originale vilis factus est homo & seruus peccati, Rom. 6.* & D. S. docet 3 p. q. 46. art. 3. ad 3. *loquens de liberatione à peccato originali per Christum, de qua argumentum formabatur; ait enim: Ad tertium dicendum, quod licet Diabolus iniustè inuaserit hominem, tamen homo propter peccatum iustè erat sub seruitute diaboli derelictus. Quod & Concilium Tridentini sess. 5. can. 1. diffiniuit.* Et inferius: *Secũda est formata ex affinitate Virginis ad Christum, eo quod ex ea carnem assumpserit: quapropter si peccasset, conuentio esset Christi ad Belial.* Nota hæc vltima verba ad textũ ciuilem juris consulti Paulini d. §. arbor: Scio, quod Christus nullam maculam potuit habere: sed necesse est etiam maculam à matre relegare, quia dicit S. Thomas quod ex quo ex Maria carnem accepit, si ipsa haberet peccatũ, daretur conuentio Christi ad Belial.

23 Non potuit Christus fructus illius terræ benedictæ alius fieri alimento accepto à matre, nec realiter & verè potuit habere peccatum, etiam si daretur in terra virginea, de qua egressus est, cum vnio hypostatica, et personalitas Verbi Diuini, et ipsa Deitas reddiderint eum impeccabilem: et sicut non poterat peccare, ita nec peccatum habere. Certum est, quod non poterat peccare, dicit enim S. Anselmus lib. 3. Cur Deus homo cap. 10. & 16. *Peccare enim naturæ non est, sed personæ: cum autem persona esset diuina, & homo iste verus Deus, nulla ratione poterat peccare*, & licet loquatur de peccato actuali et personali; cum actiones sint suppositorum attributiuè, vt ait Aristoteles, eadem consideratio versatur in peccato originali in persona Christi; verè ergo nõ potuit habere peccatum, at secundum aliquam considerationem, vel vt loquuntur logici, secundum quid et præsumptiue, si supponeremus in Virgine peccatũ originale (quod est impossibile) iudicaretur etiã Christus maculatus ex vitio radicali virgineæ terræ, & alius præsumeretur à sua en-

titatiua

entitatiua puritate, quod etiam est impossibile; idque sequitur ex principijs Angelici Doctoris, dum dicit, quod si in Virgine daretur macula actualis, redundaret in prolem: præcipuè cum sit certum quod eadem Christi caro sit caro Mariæ, vt diffinitum est in cap. accesserunt de consecratione dist. 2. & dicemus paulò inferius. Vndè si caro illa Mariæ esset maculata, præsumeretur etiam maculata in Christo, quia eadem est: maximê cum peccatum originale sit magis peccatum naturæ, quam personæ ex D. Thom. 1. p. q. 100. artic. 1. & in 1. 2. q. 64. artic. 3. ad 3. & 3. p. q. 27. artic. 1. ad 4. *Peccatum originale trahitur ex origine, in quantum per eam communicatur humana natura, quam proprie respicit peccatum originale:* affinitas enim Christi ad Virginem, quæ propriè est dicenda consanguinitas, non est in persona, sed in natura; sic daretur illa conuentio Christi ad Belial, quam ponit D. Thomas, saltim moraliter & in existimatione cõmunicati sanguinis, si in Virgine aliquando poneremus peccatum. Unde ponendus est fructus hic benedictus in terra virginea & prorsus immaculata, ne credatur alius effectus alimẽto terræ ex d. l. sed si meis. §. arbor. Et nunc intelligo locum Isai. cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius*, quem locum de Beata Virgine & Christo, in virga & flore accipiunt Patres. Cur ergo flos Christus non egreditur de summitate virgæ, et de ramis eius, sed de radice? Sic significat, virgam in radice eiusdem puritatis esse sicut florem.

Pensanda itaque sunt verba Jurisconsulti in d. §. arbor. *Credibile est alio terræ alimento aliam factam*, per quæ significat, iuxta diuersitatem terrarum, quibus arbor inseritur, seu plantatur, diuersas contrahere qualitates; ita vt quæ hic plantata, sapida, dulcisque experitur; alibi translata, insipida atque amara prorsus euadat, vt experientiâ satis superque compertum est: cum enim terrestri humore alescat, & nutriatur, quascumque hîc qualitates ex terra con-

trahit

trahit, eisdem infici arborem necessum est: iuxta quę dicēdum, adeò abfuisse à Deipara insipiditatem, et amaritudinem peccati originalis, vt si eam vnquam contraxisset, eādem perhiberetur pręsumptiuè infectum Verbum Diuinū, cum esset lignum plantatum secus decursus aquarum, & in virginei vteri terram translatum, huiusque sanguine nutritum: vt enim oportunè Damianus serm. de Natiuit. Virg. *Vni creaturæ, nempè sanguini virgineo, inest per identitatem, ita vt sit idem, quod ipsa*, vnde si hic sanguis esset infectus, etiam putaretur infectum Verbum incarnatum, quod idem est, quod ipsa. Succedit dictum Augustini: *Si potui inquinari cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea nascor*, & Tertulianus in Apolog. contra gent. ibi: *In filio & patre agnosce matrem*, id est, si scire vis, qualis fuerit mater, agnosce, qualis fuerit eius filius, huiusque pater. Cæterum si in Virgine non subsisteret originaria puritas, descensio matris ad filium, in filio læderetur, ex doctrina Bald. cons. 40. num. 2. volum. 3. ibi: *Mater & filius vna persona censentur, cap. vlt. de coniug. infidel. Item natura matris non potest à filio separari*: & post pauca *Item quando aliquid deriuatur ab aliquo sapit naturam & qualitatem eius, à quo deducitur. l. fin. Cod. de donat. Neque potest qualitatem innatam, & quæ est talis non sequi. l. 2. ff. de interd.* Vna caro dicitur parens cum filio, cap. contradicimus 35. q. 3. & vide glossam in cap. pœnitentiæ, de pœnit. dist. 3. l. fin. C. de impub. cum alijs, quæ diximus in cap. 10. Nunquam quis carnem suam odio habet, sed nutrit, & fouet; & fama matris æquiparatur eius vitæ. l. iusta. ff. de manum. Ita non credamus, quod Christus carnem suam despexit. Dicit enim Augustin. serm. 43. de Natiu. Dom. & serm. 20. ad fratres in Eremo. *In cælo qualis est pater, talis est filius: & in terra, qualis est mater, talis est secundum carnem filius.*

24 Aliud fundamentum deducitur ex nobilitate Deiparæ, propter quam aliena proponitur ab omni macula, vt di-

xi supra. Quanta sit Serenissimæ Dominæ nobilitas, ex dignitate maternitatis facilè depromitur, de quo fœliciter edixit noster Don. Ferdinandus de Oxeda in cap. firmissimè de consecrat. dist. 4. ibi: *Priuilegia dignitatis filiorum iustissimè ad matres transeunt, & eorum splendore coruscant, & gratijs, ex l. ex sacris la 3. C. de proxim. sacror. scrin. lib.* 12. & addit: *Ad nobilitatem filij non tantum pertinet puritas matris, eo tempore, quo illum concepit, sed simpliciter toto tempore vitæ: nam vt dicit Dyonisius cap. 2. de Ecclesiast. Hierarch. Peccatum originale est habitus dissimilitudinis ad Deum, homini ingenitus.* Hanc nobilitatem originis expressit prophetia Apocalypsis, dum Virginem astris ornatam designat: & dum Luna pro calceamento ipsi deseruit, primæ nobilitatis argumentum in ea significatur. Nobiles Lunas gestabant in pedibus pro calceamentis, ita Alexander ab Alexandro lib. 5. Genial. cap. 8. *Quippè in calceis Senatorum, Lunam adscripsisse, centum numerum designauit, amplissimum nobilitatis testimonium.* Ex Plutarcho problem. cap. 76. Calcat Deipara Lunam, vt non tantum nobilis, sed ipsius nobilitatis, quasi fontalis origo in ea prædicetur. Quo fit, vt in Canticis ipsi dicatur: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis*, id est, Dei, à quo descendit omnis fontalis nobilitas; cum hac nobilitate non compatitur seruitus originalis. Item Christus non debuit matrem in radice ignobilem eligere. Nec dicitur nobilis nisi qui vtroque parente nobilis est, cap. pen. de Præb. & in l. 3. tit. 21. part. 2. vbi Greg. Item glossa in antiqua constitutione pragmaticæ sanctionis tit. de coll it. §. insuper, verbo *vtroque*, vbi concludit, non dici plenam nobilitatem, quæ habet perfectionem à patre, & non à matre, de quo omnino videndi Baldus in l. cum in antiquioribus quæst. 8. C. de iur. delib. & in l. vlt. propè finem. C. de seru. fug. Tiraq. de nobilit. cap. 18. num. 26.

Scio, Baldum in l liberos. ff. de Senator. & Auiles in ca-

pit. Præt. in proemio tenuisse, quod non descendat nobilitas ex matre, sed ex patre, quibus consentit Anton. Gom. in l. 79. Taur. num. 6. Sed nihilominus veritas est in contrarium, vt dixi numero antecedenti. Neque dicitur nobilis, qui ex patre nobili, matre vero ignobili nascitur, l. 3. tit. 21. part. 2. ibi *Maguer la madre sea villana, e el padre fidalgo, fijodalgo es el fijo que dellos naciere, e por fijo dalgo se puede contar, mas no por noble*. Nobilitas eó melior, quò in vtroque parente purior. Cæterum si in matris origine deprehenditur ignominia, vel seruitus, pura nobilitas deficit in stirpe, Baldus in l. nobiliores. Cod. de commerc. cap. pen. de Præb.

His accedit, quod Christum Dominum, cum sit Rex Regum, & Dominus dominantium, non decet, originalem matris nobilitatem maculari. Principes primam habere nobilitatem circumferuntur, vt dicit Bobadilla in Politica lib. 2. cap. 4. num. 3. Otalora de nobilit. cap. 3. part. 1. Cum enim Christus sit fons totius nobilitatis, curam creditur habuisse maternæ nobilitatis in origine. In nostris legibus parentes filiorum nobilitatem participant, vt dicit Phœbus tom. 2. de cis. 155. Et parentes Pontificum põtificali etiam nobilitate decorantur, vt dicemus infra. Minora ne dicemus de matre Summi Sacerdotis? Absit, imo & carne & anima adæquatè nobilis prædicetur; circa quæ videndus illustris Episcopus Fr. Franciscus de la Cruz, de Purit. Concept. sect. 2. §. 3. à n. 10.

25 Supposita Deiparæ nobilitate originali, consequens est, ipsam non fuisse obnoxiam tributo peccati originalis. Non compatitur cum prima nobilitate tributum, l. omnes, vbi glossa. C. fine cens. vel reliq. ibi: *Absit enim, quod dicamus, Principem, & Dominum prouinciarum Italiam esse sub tributo*. Maximè deplorandum cum hæc legimus. Glebas Italiæ immunes à tributo propter principatum & dominatum iura proclamant, nos autem Reginam cœli, & terræ à

tributo

tributo originali nondum credimus alienam? Ecclesiæ ab omni collecta & tributo, ob earum dignitatem habentur immunes. l. item nulla. C. de Episc. et cleric. et matrem Ecclesiæ tributo originali implicabimus? Dicit enim Diuus Gregorius, quod de Beata Maria intelligitur locus ille 3. Reg. 9. *Ego elegi, & sanctificaui domum istam, eruntque oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus*, id est, per æternitatem: de quo etiam admonemur in cap. nasci 56. dist. Maria Sanctissima est mulier, quam præparauit Dominus filio suo, super quam ædificauit sibi domũ, d. cap. nasci. Etenim super area tributo, vel vinculo subiecta non potest Ecclesia ædificari, Rochus de Curte, de iur. patr. verbo Ecclesiam fundauit, vers. nono quero, quæst. 12. Bart. in l. si locus in fin. ff. de Relig. & sumpt. fun. Greg. Lop. in l. 1. tit. 15. p. 1. vbi concludit, quod tributũ non exigitur de Eccesia, minus de domo diuinæ sapiẽtiæ. Exemptio est proprietas, & attributum nobilitatis. l. 14. tit. 14. lib. 6. Recop. Petrus Greg. in sintag. part. 1. lib. 3. cap. 8. Garcia de nobilit. glossa 6. n. 8. Flores de Mena variar. lib. 1. quæst. 21. n. 245. Terra Sacerdotum in sacris litteris à tributo seruatur immunis. Genes. 47. vers. 26. ibi: *Absque terra Sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit*. Scimus, quod Deipara est terra sacra summi Sacerdotis, iuxta illud: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, sic terra ista libera est ab omni tributo, pręcipuè ab illo, quod penditur, aut pensitatur diabolo in peccato originali.

Infertur etiam ex dignitate, & exemptione filij, non potuisse matrem tributo originalis culpæ onerari. Cum enim Deipara sit intra familiam Christi prorsus exempti, debet etiam mater esse libera à tributo: nam Domino familiæ exempto, intelligitur exempta familia, ex Alberic. in l. Censoria, ff. de verbor. sign. in verbo *proprium*, quẽ ibi sequitur Ioannes Faber per textum in l. 2. §. 1. & l. pen. §. 1. ff. de vsu, & habit. & ibidem idem Alberic. inducens

ces ad plures quæstiones: item glossa vltim. in l. si publicanus §. 1. ff. de public. Boerius decis. 213. à n. 5. Pulchrè Fr. Antonius de Rampegolis, in fig. Bibli, ibi: *Tempore quo fuit in mundo tanta egestas gratiæ, omnis creatura tributaria fuit peccato, excepta matre Sacerdotis magni secundum ordinem Melchisedec, quæ ex diuino priuilegio libera fuit.* Libera, quia de familia summi Sacerdotis. Computatur mater in familia. l. pronunciatio §. familiæ. ff. de verbor. signif. Cęterum si mater esset tributaria, filius secundum nostras leges reputaretur eiusdem conditionis. l. ne diutius. C. de Agricol. & censit. lib. 11. Et cum Deipara sit habitaculum, et domus Saluatoris, cap. nasci 56. dist. etiam si Christus non posset teneri vinculo originalis peccati, in pręsumptione tamē iuris nō haberetur immunis: nā qui habitant in locis tributarijs, etiam si sint exempti, tributarij reputantur, Noguerol. allegat. 38. n. 55. Ne igitur sequantur hæc errata, domum illam, & habitaculum Dei non constituamus sub tributo. Rursus, Christus à tributo peccati originalis fuit immunis, ergo & mater: quia huiusmodi filij prærogatiua debet ascendere ad matrem, vt obseruat noster D. Gabriel de Barrera in tract. Fest. Conceptionis fol. 45. Mouetur hic doctus iurisperitus fundamentis irrefragabilibus: nam priuilegia filiorum ascendunt ad parentes. l. in sacris. l. 3. in principio, vbi glossa verbo *parentes*. C. de proxim. sac. scrin. lib. 12. l. fin. C. de præpos. agent. in rebus in vers. *simili* l. fin. C. de Castrens. & minis. lib. 12. vbi videnda verba illa: *Hæc autem priuilegia non in eorum tantummodo sed in matrum quoque personis valere*: item glossa verbo *voluerit* in auth. de cōsul. §. hæc itaque, collat. 4. ibi: *Nota honorem deferri ad superiorem, scilicet matri*, & in auth. constitutio quæ § generaliter, collat. 6. ibi: *Et nobiliores adhuc patres ostendat.*

Ponamus etiam aliud fundamentum ex libro Canticorum, vbi de Deipara illud mirabile decantatur: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es.* Hæc repetitio pulchritu-

dinis, omnem puritatem in Virgine commendat, non solum vitæ & natiuitatis eius, sed etiam suæ Conceptionis: est enim posita geminatio pulchritudinis cum ministerio aliquid operandi: & bis eam pulchram dicit, ne qua dubitatio superesset, vt in simili philosophatur consultus in l. 1. ff. de Ædilit. edict. ibi: *Ego puto Ædiles tollendæ dubitationis gratia bis idem dixisse, ne qua dubitatio superesset.* Sic Spiritus sanctus Deiparam bis pulchram dicit, ne dubitatio relinqueretur circa eius sanctitatem etiam originalem. Conducit lex cum Syllanianum. Cod. de his, quibus vt indignis, ibi: *Ne Princeps philosophiæ plenus, aliquid videatur imperfectum sanxisse*, & post pauca: *Nihil etenim actum esse credimus, dum aliquid addendum superest.* Fuisset enim pulchritudo imperfecta, & repetitio incongrua, si Virgo careret pulchritudine in sua Conceptione: vnde aliquid addendum superesset, & nihil actum esse crederetur. Cum ergo verba designent eam ex integro pulchram, nihil diminuendũ est de pulchritudine Conceptionis: maximè cum multiplicatio verborum eiusdem entitatis rem deducat ad casus etiam extraneos: ne aliàs geminatio friuola relinquatur, l. Ballista. ff. ad Trebell. l. si stipulatus. ff. de vsur. Iasson. in l. cum filio, n. 65. ff. de leg. 1. Verba geminata supponunt rem fieri omni meliori modo, Tusch. litt. V. conclus. 158. n. 2. Habetur enim extra dubium, quod repetita commendatio lustrauit. l. 1. C. de emendat. Cod. Iustin.

Sed neque illud omittendum, quod Deipara compellatur in dicto loco Canticorum, *Amica mea.* Hæc dictio *mea* significat eam esse propriam Dei, non communem cum alio. Pronomen *meum* propriè & verè dicit exclusionem alterius dominij, & significat peculiare ius, quod in re habeo, l. serui electione 5. §. fin. ff. de leg. 1. l. Quintus Mucius. §. argento. ff. de aur. & arg. leg. l. Sthicũ 6. ff. de leg. 1. Meũ dicitur, quod ad me pertinet ex integro. Bart. cons. 90. à n. 2. vol. 2. Ferrar. de indult. c. 28. n. 39. Nec omittamus, quod

etiam

etiam appellatur in Canticis, *perfecta mea.* Non enim dicitur perfectum, quod fuit origine impurum, vt diximus ex d.l.cum Syllanianum. Perfectum illud est, quod nunquã habuit diminutionem; vel quod ab initio tale est, vt nõ restet vnde crescat, aut augeatur, ita Baldus in quæstion. schismat.§.sed quia,n.5.ibi: *Quidquid crescere potest, nondum perfectum est. Perfectio enim est omnium perfectibilium quies & finis*, de quo etiam diximus supra ad illa verba: *Gratia plena.*

Eleganter insignis ille Aduocatus Don Franciscus de la Cueua circa præfata verba Canticorum, *Quam pulchra*, intendit his verbis conuincere, abfuisse maculam originalem in Beata Maria, ex doctrina Baldi; nam qui bis vel sæpius quid dicit, videtur velle, quod contra illud nihil possit opponi; circa quæ videndus Parisius, cons. 58. num.10.volum. 3. Simon de Prætis lib. 2. vltim.volunt.interp.4.dubit.2.solut.4.à num.21. Surdo cons.369. nu. 16. ibi: *Quod geminatio verborum arguit præcisam, atque enixam voluntatem, etiamsi facta fuerit simul, & in vno instanti: quia non debet esse absque effectu plenius operandi, neque intra terminos aliarum actionum circumscribitur.* Videndus etiam cons. 179. num. 18. volum. 2. Videndus etiam Antonius Petra de fideicommis. quæst. 15. num.200. Beccius cons. 24.& 25.vol.1.

27 Ponendum est aliud fundamentum ex cap.4. Canticor. ibi: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te:* qui locus ab vniuersali Ecclesia applicatur Beatæ Mariæ, & in Festo Conceptionis decantatur, & sanè litteralis est ad probandum non contraxisse peccatum originale, vt feliciter explicat illustris. D. Fr. Franciscus de la Cruz de Purit.Concept.sect.2.§.3.à num.18. præcipuè sub numero 21. ibi: *Si Beata Virgo existeret nunc in peccato originali, de ipsa minimè verificaretur: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te; cum nec pulchra esset, quæ gratia careret, nec sine macula, quæ infecta existeret: sed idem est ferendum iudi-*

iudicium de habuisse, quod ferretur de habere secundum mentem Sancti Thomæ, cum hac ratione probet non habuisse peccatum actuale, & illud verbum, est, vult supponere pro omni differentia temporis Virginis, ita vt si in aliqua præteriti temporis peccasset, quamquam subsequeretur plenitudo gratiæ, nec tota pulchra, nec sine macula prædicanda esset: quia ex opposito consequentis, sequitur oppositum antecedentis. Ergo si habuit originale, nec tota pulchra, nec sine macula est decantanda. Probat item nu. 22. ex doctrina Angelici Doctoris accipi hunc locum litteraliter de Beata Maria, ac tandem num. 28. subiungit: *Est nimis ponderanda illa dictio tota; cum enim pulchrum sit tale secundum se totum, & secundum omnes partes, componitur enim ex illis debitè proportionatis in se ad inuicem, & respectu totius, videtur superflua: quare sat esset dicere pulchra, vt intelligeretur secundum omnes partes: sed non est superflua, cum sit Spiritus sancti Verbum: nec potest sumi cathegorematicè, hoc est, secundum quod significat aliquod totum, tum ratione dicta, tum quia in hac acceptione sumitur communiter substantiuè. Ergo sincathegorematicè accipienda est; non prout potest applicari ad corpus & partes eius, quia supra ipsas non appellat, cum sit quid materiale: & quia in ratione pulchri sunt distributiuè comprehensæ. Ergo supra ly pulchra formaliter, quia supra illam appellat propriè: quia appellatio est applicatio significati formalis vnius termini supra significatum formale alterius. At tota sincathegorematicè æquiualet totaliter: est namque eadem acceptio, cum sit distributiua dictio. Ergo totaliter pulchra secundum formalitatem pulchritudinis; & cum pulchritudo sit in eodem numero subiecto, eadem numero, consequēterque immultiplicabilis; incapax est distributionis; ideò duntaxat appellare potest ad pulchritudinis modos; cum diuersimodè possit quælibet pulchritudo existere. Ergo est dicere, omnibus modis pulchra es amica mea. Sed si peccatum contraxisset originale, non esset omnibus modis pulchra, siquidem careret hoc modo pulchritudinis, qui est non habuisse hanc maculam, qui possibilis est. Ad falsificandum autem*

vniuersalem, sufficit vna particularis: ergo vt non esset omnibus modis pulchra, sufficeret contraxisse peccatum originale. & non verificaretur de B. Virgine: tota pulchra est, vt Diuus Thomas vult. Verba sanè profunda.

Vidimus theologico more, & metaphysicè valorem illius clausulæ: *Tota pulchra es amica mea.* Nunc vero iuxta canones, & leges pauca referam. Et primò quatenus tota pulchra dicitur, considerari non potest tempus aliquod, quo non fuerit pulchra. Qui totum dicit, nihil excludit, l. pœnales. §. fin. ff. ad leg. falc. l. Iulianus, alias, l. testatorem, ff. de leg. 3. cap. si Romanorum, dist. 19. Si enim tempore conceptionis fuisset Deipara in peccato, non esset tota pulchra, cum illo tempore vilis existeret, & maculata; vt ergo tota pulchra decantetur, releganda est macula ab origine, ab illo principio Conceptionis. Totum enim comprehendit omnia extrema & media: ita Rebufus in l. 6. ff. de verbor. signif. Præcipuè quia subiungit: *Et macula non est in te.* Negatio est malignantis naturæ; & destruit quidquid inuenit post se. §. præterea, cum glossa. Instit. de testam. Verba enim negatiua potentiora sunt ad remouendã omni tempore maculam, ex textu in l. hoc genus. ff. de cõdit. & demonstr. l. si sic stipulatus sum. ff. de verb. oblig. Idque manifestum fit exemplo illo, quo vtitur egregius Aduocatus D. Franciscus de la Cueua in sua allegat. pro Purissima Conceptione, quod deprompsit ab Oldraldo cons. 16. num. 3. & 4. Ecce testator filiæ suæ legatum reliquit, si mercatori nupsisset. Impleuit conditionem filia; sed matrimonio soluto, dubitabatur, an sine metu amittendi legatũ, posset nubere non mercatori? Huius dubij resolutio certo distinctionis fœdere componitur: nam vel pater vsus est verbis negatiuis, dicens, non nubat filia mea nisi mercatori: vel affirmatiuis; id est, filia mea nubat mercatori. In primo casu perpetua inducitur prohibitio, ne alij quam mercatori semper nubat: alias spreta conditio censetur, deficiet

ficietque legatum. In secundo casu sufficit semel conditioni paruisse; cuius distinctionis ratio est, quia dispositio per verba negatiua omne tempus excludit. Cum ergo dicat: *Macula non est in te*, præfinit, non dari tempus, quó macula possit induci. Negatio excludit principia, media, & extrema, l. si ita stipulatus 126. §. fin. ff. de verb. oblig. Utamur etiam exemplo Mutianæ cautionis. l. Mucianæ 7. ff. de condit. & demonstrat, vbi conditio illa si in Capitolium non ascenderit, quia in negatiua consistit, legatario est impedimento, ne possit legatum ex testamento obtinere, nisi beneficio Mutianæ cautionis sibi fuisset à lege prouisum: negatiuæ enim conditiones non possunt impleri, nisi per absolutam reductionem ad impossibile. l. testamento. ff. de assignand. libert. Baldus in d. l. Mutianæ, num. 1. vers. *Nota in ista lege*, Molina lib. 3. cap. 10. num. 17. Negatio omne tempus comprehendit ad remouendum: ita Benedictus Plumbino, in l. matrimonij. ff. qui & à quibus, Albericus in l. fin. columna 4. C. de spons. Tiraq. in l. boues. §. hoc sermone, limit. 7. n. 2. ff. de verb. signif.

Perbellè idem Don Franciscus de la Cueua vbi proximè sermone Hispano adnotauit, in his verbis, *Macula non es in te*, fuisse maculam indefinite positam, & constituere sensum vniuersalem; sicque præcedens negatio eó rem deducit, vt nulla vnquam macula in Virgine reperiatur, quasi dicat: *Nulla macula est in te*; & hic sensus est iuridicus, præcipuè, quoties præponitur negatio nomini indiffinito, glossa & Fulgosius in l. iuris gentium. §. sed si fraudandi. ff. de pactis. Bartolus in l. si pluribus, n. 4. ff. de legat. 2. Crauetta cons. 809. n. 4. & 5. Unde neque tempus, neque instans dari potest, quo possit macula considerari. Cæterum, si in Deipara fuisset macula originalis, vel alia quælibet, falsum esset dictum illud vniuersale, cui præponitur negatio. Uniuersalis enim negatiua, si in minimo deficiat, falsa omnino redditur. l. si is qui ducenta §. vtrum. ff. de reb. dub.

l. 2. §. fin. ff. de verb. oblig. Tuscus litt. N. conclus. 26. ibi: *Negatiua vniuersalis omne tempus negat, ideoque excludit omne tempus, quod excogitari potest.* Crauetta conf. 809. num. 4. volum. 5.

28 Item considero, quod secundum leges, Imperator potest filium à vinculo potestatis eximere. §. filius familias, Instit. quibus mod. ius patr. potest. solu. Veluti si eum filium in patricium, id est, patrem eligat; quia indignum esset, electum in patrem Principis manere in vinculis paternæ potestatis. Cur hoc non admittemus in Deo, vt possit matrem, quam elegit, de seruitute eripere maligni? Item in §. fin. Instit. de adoption. docemur, quod sola nominatio filij efficit, vt seruus ita nominatus efficiatur liber, ibi: *Eum seruum, quem Dominus, actis interuenientibus, filium suum nominauerit, liberum esse constituimus.* Si sola nominatio filiationis seruum eripit à seruitute; quanto fortius vera maternitas operabitur in Deipara solutionem diabolicæ seruitutis in suo initio? Clamant iura, & prohibent, ne Christiani in seruitutem Iudæorum veniant: num in matre sua Sanctissima permitteret Deus ignominiam seruitutis diabolicæ? Potest creditor absque præiudicio sui iuris & dominij dimittere debitum cuicumque debitori, vt patet ex toto titulo. ff. de liberat. leg. Cur ergo matri non remitteret, & non exciperet eam ab obligatione Adami?

CA-

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

PONUNTUR ALIQUA ARGUMENTA contra immunitatem Originalem Deiparæ, & soluuntur.

1 CUM nulla veritas adeò fixa sit, vt non possit oppugnari, ideò referam præcipua argumenta, quibus aduersarij munitissimā nostram arcem contundere nituntur. Primò vibrant telum ex cap. 3. ad Roman. vbi Apostolus dicit: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Expressius in cap. 5. vbi dicit, quod omnes peccauerunt in Adam. Dictio enim *omnis* neminem excludit, ex doctrina Decij cons. 597. n. 1. & Surdi cons. 73, à n. 62. Habemus etiam textum in l. testatorem 68. ff. de leg. 3. vbi sub nomine omnium, nullus excipitur: cum quo concordat glossa, verbo *quodcumque*, in cap. solite. §. nos autem de maiorit. et obedient. Verbum enim generale vniuersaliter est accipiendum, glossa verbo *verum est*, in l. quidam ff. vino & trit. leg. Ergo si omnes descendentes ab Adam, in eo peccauerunt, videtur dicendum quod Beata Maria etiam includatur, cum descendat ab eo.

Huic dubio respondetur, Beatam Mariam non esse de numero omnium, sed supra omnes. Prima dignitas non cōprehenditur numero cæterorum, vt notatur in cap. venientes de iure iur. Beata Virgo per gratiam non numeratur inter creaturas humanas, sed sedet Regina supra Angelos. Ipsa in Sion firmata est, & radices egit in populo honorificato. Sedet in primo sigillo naturæ Angelicæ, vt dixi cap. 4. & cap. 5. ipsa est quæ in candorem lucis conuersa est, vt dixi cap. 8. Propositio illa, omnes in Adam peccauerunt, non pertinet ad creaturas natura, vel gratia cœlestes. Item Dei

para

para est de genere quodammodo diuinitatis, et inest Deo, vt dixi supra cap. 11. vnde nõ videtur comprehensa pacto inito cum Adam: nam in generali sermone non comprehenditur persona loquentis, vel quæ illi inest per identitatem in aliqua ratione, vt notant Doctores in l. Inquisitio veritatis. C. de solut. Habemus huius rei fundamentum, Esther cap. 15. ibi: *Non pro te, sed pro omnibus, lex lata est.* Lex lata erat de morte Hebræorum, de quorum numero erat Esther: si pro omnibus lata erat lex, quomodo non pro Esther? Erat quidem Esther de numero omnium Hebræorum; sed quia erat vxor legislatoris, non iudicatur de numero omniũ, sed supra omnes: sic cessat illa implicatio *Non pro te, sed pro omnibus;* iuxta quæ dicendum, omnes in Adam peccauisse, quia pro omnibus lex lata fuit â Deo; sed nõ mysticã Esther, id est, Deiparã, quia pro illa nõ fuit lex lata. Licet sit filia Adam, est mater Christi, & hoc præualet. Respondetur etiam, quod ad hoc vt verificetur vniuersalis, & generalis propositio, non est necesse, quod comprehendat omnia indiuidua, & sufficit, quod verificetur in maiori parte, vt patet ex eo: *Omnes declinauerunt*, & alibi: *Omnes qui venerunt ante me, fuerunt fures & latrones*, & Apostolus: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerẽ*, & in alio loco: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi.* Item in Genesi legimus, quod omnis caro corruperat viam suã, propter quod Deus diluuium decreuit, & tamen legimus, quod Noe erat vir iustus, nec corruperat vias suas. Alibi etiam dicitur: *Omnis homo mendax*, itẽ: *Septies in die cadit iustus*, & tamen diffinitum est in Concilijs Tridẽtino, et Florentino, et alijs, quod Beata Maria non habuit peccatũ actuale, nec fuit mẽdax, ergo propositio, omnis homo mẽdax sumitur, vt frequentius. Item legimus, quod statutũ est omnibus hominibus semel mori, et legimus Lazarum, et alios bis mortuos. Item apud S. Matth. legimus cap. 16. *Discipuli omnes relicto eo fugerunt;* et Ioan. 18. dicitur: *Sequebatur*

autem

autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus, & alibi dixit Saluator: *Omnes vos scandalum patiemini in hac nocte propter me*, & tamen Beata Virgo, quæ ibi erat, non est scandalizata, neque fugit. Tandem dicit Apostolus ad Hebr. cap. 11. enumerans Patriarchas, qui fide placuerunt Deo: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas respicientes*, & tamen Apostolus inter prædictos Patriarchas annumerauerat Henoch, de quo constat adhuc viuere in paradiso. Igitur vt has, & alias propositiones vniuersales, quæ resultant ex particula *omnis*, recto sensu percipiamus, tenenda est doctrina Diui Hieronymi ad Damasum, dicentis, huiusmodi propositiones, etsi sonent vniuersaliter, accipiendas tamen in partem maiorem, vel vt in plurimum.

In iure nostro hæc propositio *omnis* limitatur frequentissimè; & sufficit, quod verificetur in maiori parte, ad quã propositio refertur, vt ecce habemus in regula, quod omnis diffinitio in iure periculosa est; & quod subuerti potest, & tamẽ sunt plures diffinitiones, quę exceptionẽ non patiuntur, vt illa, quod non possit vsucapi homo liber. l. vsucapio. ff. de vsucap. §. aliquãdo. Inst. eodẽ. Item in l. 1. ff. de leg. 1. dicitur, quod exæquata sunt legata fideicommissis per omnia, & in glossa ibi reperies multos casus, in quibus differunt. Item in l. omnes. C. sine censu, vel reliq. dicitur: *Omnes pro his agris, quos possident, publicas pensitationes agnoscant*. Dices si omnes pro suis agris tenentur soluere tributa, ergo nullus excipitur? Sed non est ita, nam sufficit, quod maior pars hac obligatione teneatur. Videmus Italica prædia à tributis exempta, glossa in l de his, verbo *dumtaxat*. C. de Episcop. & cleric. eodem modo prædia Ecclesiarum. l. nulla. C. eodem.

Concedamus, quod propositio illa *omnis* ex sua natura comprehendat omnia indiuidua alicuius speciei, & omnẽ descendentem ab Adamo, an statim capta est Deipara?

Imo

Imo frustra iacitur rete ante oculos pennatæ Aquilæ. Benè potest particula illa *omnis* ex sua natura id habere, & tamen ex priuilegio alicuius indiuidui limitari: nam dispositio generalis non refertur ad ea, in quibus est ratio specialis. l. Stichus 20. ff. de alim. leg. & talis dispositio generalis tantum extenditur ad eos, quibus congruè conuenire potest: ita Ceuallos commun. contra comm. quæst. 808. n. 90. Boerio decis. 158. in fine, argum. l. qui habebat 101. ff. de leg. 3. Item clausula *omnis* restrictionem patitur à verisimili mente, ab habilitate, & priuilegio, ita Tuschus litt. C. cõclus. 296. n. 18. et patitur restrictionem, quando ex contrario potest sequi aliquod absurdum, vt dicit Iasson. in l. 1. n. 22. vers. secundo limita. ff. de leg. 1.

Ponamus etiam, quod particula illa *omnis* currat in sua latitudine: tunc inquiro, qualiter accipiatur illa propositio Apostoli: *Omnes in Adam peccauerunt*? Certè propositio recepta est in his, qui per naturalem generationem ex cõcupiscentia geniti sunt & procreati, vt in cap. Firmissimè. de Consecrat dist. 4. Non fuit Uirginis Conceptio, neque processit ex concupiscentia parentum: nam fuit supernaturalis ex parentibus vtrimque non proletarijs, ita P. Granados. tract. de Concept. disput. 3. cap. 1. sect. 2. Procesit hæc generatio ex præcepto Dei, vt ex reuelatione S. Birgittæ probaui supra. Fuit hæc quasi exorbitantia in ordine generationis humanæ, & quæ exorbitant, non trahuntur ad consequentiam. Item quandò generatio non est ad instar cæterorum, particula *omnis* non comprehendit eos, qui diuersimodè generantur, & progignuntur, vt in l. 1. §. ius naturale. ff. de iust. & iur. vbi dicitur, quod ius naturale commune est omnium animalium, & ibi glossa, verbo *omnium* refert, ius naturale nõ esse commune animalium, quæ gignuntur ex aqua vel terra; quia non procreantur ad instar aliorum & quanquam textus affirmet, quod ius naturale commune est omnium animalium, illud procedit, quando

do ad instar aliorum procreantur. Unde dicendum, quod particula *omnis* non extenditur ad eos, qui ad instar aliorũ non generantur, præcipuè cum diffinitum sit in sacro Concilio Tridentino, non comprehendi Beatam Mariã sub illo dicto generali: *Omnes in Adam peccauerunt*; & est perplexa disputatio, an non comprehensio Virginis in sancto Concilio sit exceptio eius à lege vniuersali, vel an sit mera non inclusio; & sane quæstio magis in verbis, quam in re consistit: sic dicendum, vel exceptam, vel non inclusam: nam in effectu idem est. Scio, Diuum Augustinum serm. 3. de Assumpt. Virg. scripsisse: *Non immerito Maria excipitur à quibusdam generalibus vera existimatione, quam tanta seruat gratia, & attollit dignitatis prærogatiua.* Lex enim quantumcumque generalis non loquitur cum matre legislatoris, cũ sponsa, cum filia, aut cum Regina, vt dixi supra. Ego tamen existimo, quod Virginis non comprehensio in lege, propriè non dicatur exclusio à lege, imo potius non inclusio. Unde quamuis locutiones Apostoli non acciperentur vniuersalitate morali & legali, sed vniuersalitate essentiali, & logica, quæ non solent exceptionem admittere; nihilominus dicendum erat, quod omnes homines includebantur, ex his qui includi poterant. Virgo autem Beatissima includi non debebat secundum Dei ordinatissimam prouidentiam & iustitiam: nam vniuersalis propositio vltra inclusos non extenditur, vt notat textus, & ibi glossa in l. omnes. C. sine censu, vel reliq. Vnde propositio Apostoli comprehendit tantum includendos, id est, peccatores. At Beata Maria facta est impeccabilis ex Dei potentia, vt in clement. ad nostrum de hæret. & ibi glossa, verbo impeccabilis, in illis verbis: *Et hoc priuilegium gloriosæ Virgini Mariæ creditur datum diuinitus*, cui cõcordat glossa, verbo *miraculo* in cap. 1. de consecrat. dist. 4. et glossa, verbo *penè* in cap. vnum horarium dist. 25.

Illud tamen non omittam, quod locus Apostoli, in quo edixit

edixit omnes in Adam peccauisse, non potest referri ad B. Mariam, vt dicit Venerab. P. Fr. Alphonsus de Orosco, declamat. 1. fol. 18. Et circũscripta est sentẽtia illa ad eos, qui per libidinosam generationem descendunt ab Adamo, tam ex Iudæis, quam ex Gentilibus, idque maturo iudicio percaluit Iacobus de Valencia, dicens: *In primitiua Ecclesia fuit magna controuersia inter conuersos de Iudaismo, & conuersos de Gentilitate. Iudæi gloriabantur de natura sua, eo quod descendebant ex Abraham, Isaac, & Iacob, quos Deus elegit in populum peculiarem, & sic putabant se habere maiorem gradum, & præcedere conuersos de Gentilitate, in gratia, & gloria. Econtra, conuersi de gentibus gloriabantur de natura sua, dicentes se habuisse Imperatores, & Reges, & Philosophos, & floruisse in dominio mundi, & despiciebant Iudæos: & sic vtrique tam Iudæi, quam Gentiles conuersi gloriabantur de natura sua. Hoc autem præsentiens Apostolus scripsit epistolam ad Romanos conuersos ex vtroque populo, volens sedare hanc vanam altercationem, & conatur ostendere, quod nullus potest gloriari de natura sua, sed de gratia, quam vnusquisque per baptismum accepit in Christo: nam tam Iudæi, quam Gentiles descendunt ex Adam per libidinosam generationem, in quo omnes peccauerunt, & fuerunt venundati, & obligati ad pœnam illius peccati.* Voluit enim dicere in sententia huius Doctoris, quod omnes erant tales, id est, similes. Unde nihil minus, quam de Deipara cogitauit Apostolus in hoc dicto: *Omnes in Adam peccauerunt*, & soluitur prima difficultas.

2 Obstat secundo, quod mors ex peccato ortum habuit, & per peccatum mors intrauit in mundum cap. 5. ad Rom. & 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, & 2. ad Corin. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Sed Beata Maria morti fuit obnoxia. Ergo contraxit peccatum originale, & peccauit in Adam, & comprehensa est maledicto primæ præuaricationis. Hæc difficultas in varias Doctores coniecit angustias. In primis inuenio, Sanctum

Epiphanium lib. 3. tom. 2. hæresi 78. dubium existere circa hanc propositionem, videlicet, an Beata Maria fuerit mortua; neque ausus est rem diffinire, vt dixi supra cap. 8. num. 53. Verum stemus communi diffinitioni, quod mortua fuit: an ob hoc dicemus, Virginē peccato originali fuisse subiectam? Minimè: sicut mors in Christo non est argumentum peccati originalis. Videamus ergo, qualis pœna imposita sit Adamo in præcepti transgressione? Illa: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Uerba æternam damnationem insinuant in sententia aliquorum; dicente Apostolo: *Per vnius delictum omnes homines in condemnatione*, & sic videtur sentire textus in cap. regenerante de consecrat. dist. 4. In hoc sensu non potuit Deipara in illo pacto comprehendi, nec aliquando dici damnata. Sed verius dicendum, quod morte mori, sit mori in corruptione, & incineratione corporis, vt in Apocalyp. cap. 6. ibi: *Data est ei potestas interficere morte*, vbi interficere morte, idem sonat, quod interficere pestilentia, & corruptione. Mortua fuit Beata Maria, sed non morte peccati originalis, non morte corruptionis, vel incinerationis, nec iuxta illam sententiam: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*: non est reuersa in puluerem; quod erat pœna peccati transgressionis. Perbellè hoc explicat Durandus à Sancto Portiano lib. 3. Sentent, disput. 3. quæst. 1. ibi: *Incineratio, seu reuersio corporis humani in puluerem est pœna peccati originalis secundum legem communem, per quam natura derelicta est; & ideo sicut de terra formatum est corpus; sic in terram reuertitur. Sed Beata Virgo priuilegiata fuit in hoc articulo, vt sicut corpus Christi sumptum de corpore Virginis fuit immune à tali corruptione, secundum illud Psalmistæ non dabis Sanctum tuum videre corruptionem; sic corpus Virginis, de quo fuit sumptum corpus Christi.* Fuit ergo mortua, sed non in puluerem reuersa, quia volauit in locum suum, id est, in cœlum, vt in cap. 12. Apocal. & ex reconditissimo

tiſſimo loco Job cap. 38. verſ. 12. *Numquid oſtendiſti Auroræ locum ſuum?* vbi Diuus Gregor. lib. 29. Moral. ibi: *Subaudi ſicut ego*, id eſt, Chriſtus, qui oſtendit Auroræ locum ſuũ, id eſt, Matri, quæ eſt Aurora conſurgens. Igitur Beata Maria non eſt reuerſa in puluerem: cum ergo illi correſpondeat pœna, qui comprehendebatur in culpa. l. ſancimus. C. de pœnis, & luitio pœnæ, id eſt, incinerationis, ſit ſignum comprehenſionis in culpa, ſequitur à contrario, quod cum Beatiſſima Virgo non comprehendatur in illa pœna incinerationis, non ſit comprehenſa in culpa.

Ex dictis lucem accipit locus Canticorum cap. 1. *Tigna domorum noſtrarum cedrina*, vt ſimul accipiendus ſit de Chriſto, & Chriſtipara, vt explicat Dyoniſius ibi, art. 5. dicens: *Per domos iſtas poſſunt intelligi corpus virgineum matris ſanctæ, & corpus ſaluificum vnigeniti eius*: item Guillelmus ibidem: *Domorum noſtrarum, quia non tantum Domus Ieſu, ſed & domus Mariæ, hoc priuilegium commune habuerunt, eo quod Ieſu os ex oſſibus, & caro ex carne Mariæ fuit: ideo enim corpus matris propter corpus filij, cum corpore filij à generali lege corruptionis exceptum, perpetuæ imputribilitatis gratia conſeruatum fuit*. Intendit Doctor probare, indecorum eſſe à carne corruptibili carnem incorruptibilem Chriſti filij deriuari, & ideo adiecit: *Propter corpus filij*. Moriatur ergo Beata Maria delicijs affluens, non propter pœnam præuaricationis: nec mors illi fuit in ſupplicium, nec in ea aliquid inuenit, quod puniret; ſicut etiam non inuenit in filio, cap. non regenerabantur de conſecrat. diſt. 4. Mors in iure noſtro tunc infamat, quando ob culpam incurritur, exemplo delictorum, in quibus nihil diminuit de exiſtimatione ſententia condemnatoria, ſed tantum culpa, ob quam fertur. l. ictus fuſtium 22. ff. de his qui notant. infam. Fuit nobis vtilis mors Beatæ Mariæ, vt ex conditione naturæ tranſmigraret in cœleſtem paradiſum. nec ſub communi hominum reatu affirmare debemus de-

functam

functam. Etenim sicut exempta fuit à doloribus partus, qui venerunt in sequellam, & supplicium peccati; sic credendum est, quod fuit exempta ab ærumnosa & dolorosa morte, ni vellis dicere, quod fuit mortua, vt filio suo conformaretur, vt dicit Angelus de Paz, exposit. in symb. lib. 5. cap. 22. & Gerson in serm. de Assumpt.

Tandem videndi sunt pro solutione huius secundi dubij Uiguerius Dominicanus, magnæ authoritatis Doctor, libro de Inst. sacr. in Comm. 3. vbi probat, mortem in Virgine fuisse ex conditione naturæ, non ex supplicio, neque ex pœna peccati, ibi: *Mors in Christo non fuit pœna peccati, sed conditio naturæ, prout etiam in Beata Virgine, quæ ab hac regula fuit excepta*; & P. Trexo in epist. D. Pauli, ibi: *Quomodo igitur intrauit mors in Virginem si peccatum non pertransijt animam eius? Quomodo intrauit mors in Christum, qui peccatum non fecit? Voluntate eius mors regnauit; igitur & voluntate eius regnauit mors in Virgine ad maiorem suorum meritorum cumulum.* Supra omnes in hac materia est videndus Pater Fr. Lucas Ubadingo in suo opusculo de morte Virginis, præcipuè in cap. 5. Conducit etiam sententia Patris Fr. Francisci del Castillo tom. 1. de Incarnat. disp. 2. de Immunit. Beat. Virg. quæst. 1. num. 95. ibi: *Effectus peccati originalis sunt pœnæ ipsius in quantum dicunt habitudinem ad ipsum. Si enim homo primus non infregisset diuinum præceptum, non haberentur à nobis: essent tamen in pura natura, in qua non esset peccatum originale, sicut neque originalis iustitia, & tunc non censerentur pœnæ, quia non haberent habitudinem ad culpam; sed dicerentur pœnalitates naturæ, quæ non repugnant etiam cum summa sanctitate, qualiter fames, ærumnæ, & mors inuentæ sunt in Christo Domino*: sic in Beata Uirgine mors non debet dici pœna, sed conditio naturæ; quæ deseruiret ad meritum, vt conformaretur filio suo, cuius eadem caro erat. Et soluitur secunda difficultas. V^e. infra n. 4. et cap. seq. n. 13. vss^o. Non obstat.

Tertio


3 Tertio obstat grauiter, quia eximere Beatam Mariam á regula generali, est derogare dignitati redemptionis Christi, quia non diceretur redempta à peccato per filium, ex quo resultat inconueniens: nam Christus Dominus est Redemptor totius generis humani, & pro omnibus mortuus est, vt docet Apostolus 5. ad Roman. & 2. Corinth. cap. 5. & in epist. ad Timoth. cap. 2. Et dicit Diuus Augustinus lib. 1. de peccat. cap. 27. et cap. 28, et lib. 3. cap. 3. et in lib. 6. contra Iulianum, quod tota natura humana collapsa fuit in Adam, sed per Christum recuperata, et Diuus Hieronymus relatus in cap. si enim. § ædificemus de pœniten. dist. 2. inquit: *Conclusit Deus omnia sub delicto, vt omnibus misereatur.* Ergo omnes egent hac misericordia, et redemptione, & sic non videtur excipienda B. Maria. Sed quia difficultas est magni ponderis, et difficiles habet explicatus, et lato calamo tangitur in capite sequenti à n. 10. ideo ab eo fonte haurienda est solutio.

4 Expenditur etiam locus quidam Diui Augustini tom. 8. super Psalmo 34. vers. 13. serm. 2. vbi dicit, quod Maria Beatissima fuit mortua propter peccatum. Cui dubio respondet Catharinus tract. 2. de Conceptione lib. 2. cap. 2. pag. 39. Corduba in quæst. 44. arg. 3. contra 6. conc. Anselmus, vel author commentar. ad epist. Pauli, qui inter eius opera circumferuntur in cap. 8. ad Rom. Frat. Lucas Ubadingo de Mort. Virg. cap. 6. n. 63. Alia loca inducuntur ex operibus Diui Augustini, quæ videntur obstare immunitati Virgineæ Conceptionis, sed videndus est pro solutione Ægidius Lusitanus lib. 3. de præseru. Virg. quæst. 5. artic. 2. § 1. à n. 41. ad 72. Tandem Magister Fr. Gundizaluus de Ceruantes Augustinianus in suo tractatu de sententia D. Augustini in fauorem Conceptionis recapitulauit duodecim loca ex operibus sacri Doctoris, quæ videntur opposita puritati Conceptionis, quibus mathematicè satisfacit, & ferè omnia eò tendunt, vt Christus Dominus singulari-

ter excipiatur à regula generali originalis peccati. Sic videtur includi Beata Maria, quia exceptio circa vnum, firmat regulam in contrarium quo ad alios, vt dicitur in nostro iure. Sed hoc parum, aut nihil obstàt; quia Christus singulariter excipitur à regula secundum naturam, cum sit Deus; sed Beata Maria secundum naturam non excipitur, sed ex gratia & priuilegio, siue miraculo, & sic nihil obstat. Hi vero, qui tenent, Deiparam cõtraxisse debitum in Adam, facillimo negotio se expediunt à dubijs, quia fatentur illam defunctam propter peccatum Adæ, Christum verò singulariter excipi, quia nõ potuit contrahere obligationem incurrendi debitum in Adam. Sed nos etiam debitum à Virgine relegamus, vt cap. seq. V^e. supra n. 2. et cap. seq. n. 13. vers. Non obstat.

Caput Finale.

VTRVM DEIPARA, SICVT EXEMpta fuit à culpa, fuerit etiam immunis à debito.

1 Erplexa est præsens quæstio, quam fusè explicant interpretes, ne dicam confusè; est enim materia in se difficilis, & spinosa. Duplex in proposito consideratur debitum, aliud proximum, aliud remotum. Proximum, vt aiunt, est, quod contrahitur in propria cuiusque indiuidui persona, cum anima infunditur corpori, et dicitur debitum personale: remotum est illud, quod contractum est in Adam, iuxta illud: *Omnes in Adam peccauerunt*, vt dicemus infra. Circa debitum proximum docent plures Theologi cum Henriquez lib. 3. de confirm. et cum Ferrara lib. 4. cõtra gentes, cap. 50. implicare contradictionem dari in ali-

quo

quo indiuiduo humani generis debitum personale, vel proximum culpæ originariæ. Mouentur: quia si in primo instanti animationis contrahitur culpa originaria, nihil tunc debetur, cum per contractionem culpæ soluatur. Argumentantur enim ex repugnantia debiti cum sui carentia. Horum Doctorum ratio in iure nostro est valdè efficax: nam ex quo incurritur culpa originaria (vnde sequitur priuatio gratiæ) datur solutio debiti; & solutione eius quod debetur, tollitur omnis obligatio, §. 1. Inst. Quibus modis toll. obligat. l. solutam. ff. de solution. Impossibile est enim, & implicat contradictionem, vt in vno, eodemque instanti integrè debeatur, & integrè soluatur. Implicat in eodem puncto deberi, et solui. Vna enim & eadem causa liberandi & obligandi esse non potest. l. inter stipalantem. §. sacram. ff. de verbor. oblig. ibi: *Quoniam vna, atque eadem causa, & liberandi, & obligandi esset*: qua ratione excludit ibi Consultus stipulationem rei profanæ, quæ sine facto promissoris sacra esse iam cœperat. Vnde in iure nostro, quando ab eodem puncto pendet obligatio, & extinctio eius; obligatio prorsus euacuatur quasi inanis, & sine re: vt accidit in vsufructu, quem si stipuler in tempus cum moriar, nulla ex promissione nascitur obligatio; cum ad id tempus referatur, quo vsusfructus intercidit: verba sunt textus in l. vsum fructum, 5. ff. de vsufruct. leg. l. Titio. ff. de vsufr. Repugnat enim rationi, quod in eodem puncto debeatur, & non debeatur. l. vbi repugnantia 149. ff. de Reg. iur. ibi: *Vbi repugnantia inter se reperiuntur neutrũ ratum est*, vbi glossa 1. in fine, ibi: *Repugnantia enim impossibilia sunt*, & in cap. maiores, §. sed adhuc quæritur. de Baptismo, ibi: *Sed hæc tanquam incompossibilia se se minimè patiuntur, imo sibi mutuo aduersantur*. Idem est debere, et non debere, quod debere & soluere in eodem instanti. l. Stichum §. aditio ff. de solut.

2 Superiora fiunt dilucidiora hoc exemplo. Ponamus alicui

alicui delicto iniunctam esse pœnam priuationis officij, vel aliam corporalē flagellorum, vel capitalem. Tunc reus qui tale delictum commisit, dicitur debitor ante quam puniatur: sed post executionem pœnæ, non dicetur debitor talis delicti, cū iam soluerit. Cum ergo debitum proximū, siue personale culpæ originariæ tunc consideretur in nobis quando anima infunditur corpori, cap. quæris de consecrat. dist. 4. & tunc omnes contrahamus peccatum originale in instanti animationis; ipsum peccatum originale in nobis est executio pœnæ, et sententiæ datæ in Adam, & tunc in illo instanti animationis soluere dicimur, & ex tunc manet in nobis infamia peccati, priuatio gratiæ, & destitutio bonorum. Igitur benè Henriquez, et Ferrara asserunt, implicare contradictionem, quod in aliquo indiuiduo generis humani detur debitum proximum culpæ originariæ: non enim datur tunc debitum in nobis, sed in illo instanti animationis soluimus debitum, quod contraximus in Adā, quia in illo instanti animationis fit executio pœnæ in nobis.

3 Si in nullo indiuiduo generis humani potest considerari debitum tempore animationis, cum eo instanti detur solutio debiti iam contracti in Adam; multo minus in Beata Maria, matre Redēptoris, dabitur debitū proximū culpæ originariæ; consequens est certum, quia est inter omnes, & supra omnes benedicta. Nec est dicendum, quod Deipara contraxit obligationem in Adam; nam tunc, iuxta terminos & clausulas iuris nostri, daretur necessitas soluendi illud debitum contractum in primo patre; quia obligatio est iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ causa - verba sunt, quibus diffinitur obligatio in §. 1. Instit. de obligat. Addit glossa ibi, verbo necessitate: *Tunc vere debitor est, cum necesse habet soluere, vt ff. de verb. significat. l. debitor.*

4 Item quamuis per impossibile admitteremus, Deiparam

in-

incurrisse obligationem contrahendi debitum in Adam, & quamuis possibile esset dari debitum proximum in eodem instanti quo soluitur; & quod posset simul dari generatio obligationis, & eius corruptio in eodem puncto, adhuc tamen in Deipara non poterat admitti debitum proximum, siue personale culpæ originarię. Moueor, quia quoties datur remissio creditoris, nullius antiqui debiti rationem habendam iura proclamant. l. Aurelius §. Titius. ff. de liberat. leg. Remisio enim creditoris liberat à debito. l. Quæritur. ff. de Ædilitio Edicto, præcipuè cum Dominus obligationis sit suæ rei moderator & arbiter, l. in re mandata C. mandati: & sicut impossibile esse diximus, quod in vno instanti integrè debeatur, & integrè soluatur; eodem modo impossibile est, vt in eodem instanti integrè debeatur, & integrè remittatur; debiti enim substantia, eò tendit, vt alium nobis obstringat. l obligationum substantia. ff. de obligat. & act. Cum ergo Beata Maria in primo suæ animationis instanti habuerit gratiam habitualem, vt probatum est supra cap. 2. cap. 5. cap. 10. & cap. 16. & per gratiam habitualem remittatur debitum priuationis illius, vt sæpè repetitum habeo; impossibile omnino fuit, vt in eodem instanti adesset debitum, et illius remissio, idque insinuat acutissimus Caietanus 3. p. q. 27. art. 2. verbo ad hoc dicitur, *Et patet, quod sequella hæc est efficax, quoniam impossibile est: in vno, eodemque instanti contrahere peccatum originale, & sanctificari ab illo.* Hoc inquam fundamentum fusè versat, & premit Ægidius Lusitanus tom. de Concept. lib. 2. quæst. 4. art. 5. et P. Franciscus Suarius tract. de peccatis disp. 9. sect. 4. in quadam sua doctissima epistola ibi inserta, n. 26. vbi complectitur vtrumque casum solutionis, & remissionis, ibi: *Confirmatur hoc, quia omne debitum, vel remissione, vel solutione extinguitur, ita vt amplius non idem maneat, nec redeat.* Quamquam hic magnus Doctor in Beata Virgine, et in cæteris filijs Adam admittat debitum personale in illo instanti

instanti animationis pro priori naturæ ad remiſsionem, vel ſolutionem; quæ doctrina diſplicet ex repugnantia debiti cum ſui carentia ex his, quę dicta ſunt. Videndus etiam 2. tom. in 3. p. in q. 27. diſp. 3. à ſect. 2.

5 Aſſerit etiam idem eximius Doctor Franciſcus Suarius, Deiparam conceptam fuiſſe ex carne obnoxia peccato originali, ſubindeque in ea conſiderari debitum. Sed ſi quæramus, quid intelligat per verba *Ex carne obnoxia peccato originali*; reſpondet, nil aliud eſſe loquendo abſolutè, quam inueniri omnes cauſas in ſe aptas, diſpoſitas & præparatas ad hoc, vt exiſtente homine, qui contracturus eſt culpam originalem, cauſæ ipſæ operentur ſuum effectum, influentes in hominem, cauſantesque peccatum. Omittit tamen venerandus Magiſter explicare, quales ſint vel dicantur huiuſmodi cauſæ. Vtinam huius rei explicationem reliquiſſet. Ego vero, eius pace, diſcedo à præfata interpretatione: nam peccatum noſtrum originale prouenit ex eo, quod alligauerit Deus noſtras voluntates in illo primo homine, ita vt eius conſenſus, vel ad bonum, vel ad malum, virtualiter eſſet omnium conſenſus; & quia in Adamo peccatum tranſgreſsionis erat actuale, ſtatim quo ad ipſum produxit effectus, & conſpirauerunt omnes eius potentiæ aduerſus illum, ſicut etiam terra & animalia. Sed cum conſenſus noſter tantum eſſet virtualis, relicta eſt generatio & proles Adam obſtricta, & obnoxia contractioni peccati; expectatur tamen capacitas, & exiſtentia in quolibet indiuiduo, vt ponatur effectus peccati, vel ipſius ſolutio. Hæc capacitas incipit, cum anima corpori vnitur, & ipſi delectatur, vt inquit gloſſa verbo *mortalem*, in cap. placuit de conſecrat. diſt. 4. Nunc ad rem: ad hoc vt quis ſit obnoxius peccato originali, neceſſe eſt, dicta concurrant: quod ſi deficiant, caro ipſa non dicetur obnoxia peccato. Eximitur Chriſtus Dominus à contractione huius culpæ, tum ob infinitam

dig-

dignitatem suæ personæ; tum ob singularem & ineffabilem generationem suam. Eximitur etiam Deipara, quia filius noluit alligare voluntatem matris voluntati Adami. Unde cum voluntas nostra virtualiter esset in illa radice primi peccatoris, et voluntas Virginis esset abstracta, et remota ab illa radice; nos fuimus obnoxij debito; sed in Virgine nullus frutex, vel ramus pullulauit, vnde posset obnoxia dici; et cum ipsa in Deum non rebellauerit cum primo proditore, etiam caro vel potentiæ Virginis non conspirauerunt aduersus illam; atque adeó non fuit obnoxia peccato, nec contraxit effectus eius, neque habuit fomitem, nec aliud, quod argueret culpam, vel debitum.

6 Affirmat idem Doctor eximius vbi supra, Uirginem peccasse in Adam. Ergo collocat voluntatem Virginis in Adam, alias in illo non peccasset, neque ex facto vel delicto Adami obstringeretur; quia ex voluntate sola patris non peccat filius: non enim anima vtrorumque est communis, vt etiam culpam possint habere communem, sicut dicitur in cap. quæris. §. non enim, de consecrat. dist. 4. circa quæ memini me aliqua dixisse in cap. 1. Illud tamen obstat contra sententiam Doctoris: nam ex suis principijs & doctrina, constat in locis supra relatis, quod Beata Maria non tantum habuerit gratiam in primo instanti suæ animationis, sed etiam plenitudinem gratiæ. Si ergo tunc positiuè & ex integro erat in plenitudine gratiæ, & à summo bono possessa; quomodò in illo instanti potuit consentire malo, vel non resistere? Huic dubio vt occurrat Doctor Eximius, subtili quadã metaphysica, & distinctione prioritatis naturæ, compellitur diuidere vnũ instans in duas partes, ita vt in vna quasi parte, seu consideratione dicat, Virginem in Adamo consensisse, & in alia consideratione non cõsensisse, sed se Deo conformasse. Unde Reuerendus Pater Generalis Magist. Fr. Benedictus de la Serna in suo Triumpho Mariali 1. part. §. 13. n. 15. circa hanc doctrinã

eximij

eximij Doctoris hæc dicit: *Con delicadezas metaphysicas responde a esto el Padre Suares; y no pudiendo vn hombre partir vn cabello, se pone a diuidir vn instante, y en el, ya pone a Maria, por auer consentido en Adam, obnoxia, y obligada a la culpa; ya por auer disentido, y conformadose con Dios, libertada de culpa y pena. Mas facil no està de partir y diuidir lo decretado y pactado por Dios, que diuidir vn instante en dos estados, que por ser tan encontrados, y diuersos estan pidiendo succession?* Melius est ergo pacto Uirginem non comprehendere cũ Patre Serna, quam diuidere vnum instans cum eximio Doctore.

7 Dices. Si Beata Uirgo pacto non fuit inclusa. Ergo neque culpam, nec debitum culpæ in sua persona, nec in Adam contraxit. Unde frustra agimus de debito proximo & remoto, et de his refutandis. Necessaria erat consequentia, et omnino admittenda, si omnes eidem astipularemur sententiæ circa exclusionem Uirginis à pacto: sed cum multi & magnæ authoritatis Doctores eam pacto incluserint; est nobis cum ipsis contendendum, et legitimis illationibus probandum, adhuc admiso pacto in sua sententia, non posse considerari in Deipara aliquod debitum proximum, vel remotum.

De proximo debito iam diximus non posse dari in Deipara, quia vel remissione, vel solutione esset prorsus extinctum; quod ex principijs iuris certissimum est, quamuis Doctus Pater Salaçar eam rationem impugnet in libro de Concept. cap. 1. §. 9. & cap. 15. §. 2. & acrius Magister Sylvester de Saauedra in sacra Deipara, vestigat. 2. dispут. 13. & dictus Magister intendit probare, in significatione stricta & rigorosa non posse admitti debitum proximum culpæ originariæ, at rectè appellari debitum latum & improprium, nec illud cũ debito pecuniæ comparari. Sed meo iudicio nihil aliud sequitur ex hac doctrina docti magistri, nisi animi quædam pertubatio, per quam videtur rem cõ-

fun-

fundere, & intricare negotium, iam admittendo debitum, iam reprobando. Ad quid ergo deseruit debitum illud improprium, quod considerat Pater Saauedra, nisi ad hoc tãtum, vt tempus absumat, & præfiniat cõclusionem sine re? Voco iurisprudentiæ Magristos, & interrogo, an facta solutione à debitore, vel concessa remissione à creditore, maneat aliquod debitum etiam improprium & latũ? Certè ex iuris principijs nullus tale debitum admitteret, quia solutione, vel remissione omnis obligatio, & omne debitum tollitur, ex §. 1. §. item per acceptilationem. inst. quibus mod. toll. oblig.

Argumentatur subtiliter idem Pater Saauedra ad excludendum proprium, & rigorosum debitum à filijs Adam; & sanè si de debito proximo tantum loqueretur, & non admitteret debitum latum, eius sententiam libentissimè amplecteremur. Sed cum ex argumentis huius Doctoris, & ex modo probandi sequantur inconuenientia, & præiuditium generetur debito remoto, quod omnes contraximus in Adam, ideo mihi cum illo contendendum. Fundamentum huius Doctoris est. Strictum & proprium debitũ requirit debitorem, à quo egrediatur solutio, simulque creditorem, in cuius dominium solutio transferatur. At in præsenti totum hoc deficit: cui enim debent posteri Adami originalem culpam? In primis non Deo, quia illam Deo nõ soluunt; alioquin apud Deum maneret. Nec debent diabolo, quia hic peccatum originale non accipit, neque in sua transfert. Nec debent naturæ; quia debiti relatio distinctionem exigit extremorum, & natura ab ipsa contrahentis persona non distinguitur. Non autem restat alius creditor, cui possit culpa solui. Ergo hoc debitum non strictum & proprium, sed latum est & improprium.

Confirmat primò validissimè, vt ait, quia materia solutionis ex vi eiusdem solutionis non debet apud debitorem manere, sed debet ab illo egredi. Nemo enim sol-

uere dicitur, dum nihil ad creditorem transfert. At peccatum originale omnino remanet in Adæ posteris, & nihil ad aliquem creditorem transfertur. Ergo non est materia strictæ solutionis, & sic debitum erit improprium.

Confirmat secundo, & vrgentius suo iudicio: nam debitum gratiæ, quod posteri Adam dicuntur habere, quodque in baptismo dicuntur soluere, non est debitum rigorosum. Cui enim creditori gratiam acceptam soluunt? Solus Deus posset vt illius gratiæ creditor assignari. Atqui Deus non est creditor illius gratiæ, imo potius ex vi sui pacti esset illius debitor, si Adamus præceptum obseruasset: sicut modo pacto suo se constituit gloriæ debitorem his qui in gratia decedunt. Ergo pariter debitum peccati originalis non est proprium & strictum in ipsis Adæ posteris.

Est ergo sententia huius Doctoris, quod hoc debitum dici tantum debet quædam necessitas naturalis contrahendi originalem culpam, seu priuationem iustitiæ originalis, ortam ex Adami inobedientia & peccato. Distinguit autem ibiden num. 489. & infra disputation. 19. sect. 5. duplicem necessitatem: vnam extrinsecam, quam posteri habent in Adamo antequam in se existant; alteram intrinsecam, quæ ipsis posteris inest in ipso Conceptionis instanti, & hanc asserit naturâ esse priorem actuali contractione culpæ, velut radicē ipsius culpæ. Addit tandē à n. 478. hanc intrinsecam necessitatem non destrui per actualem contractionem culpæ, sicuti non destruitur necessitas, quam habet ignis ad calorem per ipsam possessionem caloris: imo nec destrui per infusionem gratiæ in baptismo, sed adhuc post gratiam acceptam permanere: vt in corpore glorioso permanet cum actuali dono incorruptibilitatis necessitas intrinseca ad corruptionem, vtpotè consistens in ipsa compositione ex qualitatibus contrarijs.

Subtilitates, argumenta, & discursus metaphysici, quos Doctores excogitarunt in hac materia, eam reddidere summe

mè perplexam, compulsique sunt longa volumina & operosa compilare circa debitum proximum, & remotum. Cũ ergo disputatio hæc sit certis & indubitatis terminis circũscripta, non est exterminanda à suis regulis, & standum est iuris nostri principijs, cum sit materia legalis, & iuridica. Satisfaciamus iam argumentis propositis â Docto Patre Saauedra. Et primum non obstat de debito culpæ, & translatione solutionis in creditorem. Nã respondetur, debitum ex delicto proficisci ex re ipsa, & ex facto debitoris rei, vt in §. 1. Instit. de oblig. quæ ex delicto nasc. Et in hoc genere obligationis & debiti, potius pœna ipsa dicitur creditrix, quam legislator. l. si in metallum ff. de his quæ pro non script. hab. ibi: *Nam pœnæ seruus est.* Nec ferendus Pater Saauedra, dum causatur, quod materia solutionis non debeat apud debitorem manere, sed ab illo egredi. Hic doctus iterum non aliter conueniendus, quam sua doctrina, vbi distinguit debitum culpæ á debito pecuniario; conueniendus igitur exemplo omnium reorum, qui debitores sunt ex delicto, & ex transgresione, et nihilominus soluere dicuntur. Quid est quod soluunt? id ipsum, quod patiũtur. Cui soluunt? vel pœnæ vel legislatori, cui audientes nõ fuerunt. Numquid in iure vnum tantum inuenitur debitum strictum et rigorosum, quod appellat pecuniarium? sunt et alia plura debita propria, quamuis non sint pecuniaria, sed modo nobis sufficit debitũ pœnæ, quod absque dubio strictum et verũ est in reo: cuius etiam actualis susceptio pœnæ est vera solutio, licet in ipso reo debitore maneat ex d. l. 3. Et tunc nõ per solutionis trãslationem, sed per satispassionem, Reipublicæ, legique dicitur satisfactum. l. ita vulneratus. ff. ad leg. Aquil. sic soluitur argumentum, et eius prima confirmatio.

Non obstat secunda argumenti confirmatio, cui respondet noster Augustinianus Magist. Fr. Ferdinandus de Arauxo, in quadam eruditissima epistola apologetica in fauo-

rem

rem nostri huius tractatus de debito proximo, & remoto, vbi satisfacit huic secundæ confirmationi Patris Saauedra per hæc verba: *In secũda confirmatione nõ capio consequentiã; debitum enim iustitiæ originalis, quo ad primam illius transfusionem, non tam est nostri ad Deũ, quam Dei ad nos, quatenus se sub ea conditione obligauit, videlicet, si in Adamo obseruauissemus præceptum. Quæ tamen hinc consequentia ad transfusionem, seu contractionem peccati originalis, cuius debitum nostrũ est? Imo sic argumentũ retorqueo in aduersarium: Deus vi sui pacti mansisset strictè nobis obligatus ad iustitiæ originalis transfusionem, si obseruauissemus præceptum; ergo & nos mansimus strictè obligati ad contractionem culpæ, eo ipso quod præceptum fregimus: patet, quia vtrumque in pacto fuit expressum.* Et soluitur secunda argumenti confirmatio. Habet, & alia præclarissima noster Augustinianus Magister Araujo in prædicta epistola ad excludendam illam necessitatem intrinsecã (quam admittit Pater Saauedra) ad contractionem culpę, simul atque Adami posteri in se existunt: & etiam euidenter refutat doctrinam eiusdem Patris Saauedra, qua affirmat, debitũ (quod neccessitatem appellat] manere semper in posteris Adam, & non extingui per actualem contractionem peccati, nec deleri per gratiam in baptismo; & hoc vltimum dictum Patris Saauedra mihi durum videtur, sicut etiam existimauit P. Franciscus Suarius tract. de peccat. disput. 9. sect. 4. in epistola, n. 26.

Transcribo verba nostri Magistri Fr. Ferdinandi de Araujo ex epistola apologetica iam relata, quæ proculdubio sunt aurea, ibi: Illud falsum omnino judico, quod, scilicet in Adami posteris, mox vt in se existunt, admittat Pater Saauedra necessitatem quamdam intrinsecam ad cõ- tractionem peccati originalis. Vellem ab ipso audire, an ea necessitas sit quidpiam positiuum, an vero priuatiuum? Nec enim reperire potest in præsenti medium inter hæc. At non potest esse quid positiuum, quia cum esset terminus

resul-

resultans in nobis ex actuali peccato Adami, & radix priuationis iustitiæ originalis, nihil ei deficeret, vt esset ipsum peccatum originale; præsertim, quia per illud fieret satis Concilio Tridentino sess. 5. de peccato originali can. 3. vbi statuit, hoc peccatum inesse omnibus vnicuique proprium. Consequens autem falsum est in principijs huius authoris: asserit enim, hanc intrinsecam necessitatem nec per baptismum tolli, cum tamen peccatum originale per baptismum destruatur: imo falsum est secundũ fidem, iuxta quam, debitum ad peccatũ non est peccatum ipsum. Ergo omnino falsum est, eam intrinsecam necessitatem esse quid intrinsecũ positiuum. Sed nec est quidpiam priuatiuum. Omnis enim privatio, est priuatio alicuius formæ positiuæ; sic cæcitas est priuatio visus, mors vitæ, tenebræ lucis. Atqui nulla est forma positiua, cuius ea intrinseca necessitas priuatio sit; non enim ipsa iustitia originalis: tum, quia ea necessitas ponitur à Patre Saauedra ante priuationem iustitiæ originalis: tum etiam, quia priuatio iustitiæ originalis tollitur per baptismum; non autem ea necessitas iuxta hunc auctorem. Ergo hæc necessitas intrinseca non est quid priuatiuum. Patet ergo eam esse omnino chimæricam. Sic noster Araujo. Ego quidem non capio differentiam illam, & distinctionem Patris Saauedra distinguentis obligationẽ & debitum à necessitate. Apud nos obligatio & debitum pro necessitate accipitur, §. 1. Instit. de obligat. ibi: *Obligatio est iuris vinculum, quo necessitate adstringimur, alicuius rei soluendæ causa.* Et licet P. Saauedra eam diffinitionem reijciat; ipse veriorem aliam non affert; & quamuis aliam tradidisset, non ipsi, sed iurisprudentiæ esset standum; maximè dum diffinitionem iuris leuissimo deserit fundamento.

Progreditur noster Magister Araujo contra Magistrum Saauedra, & addit: Multo falsius iudico, quod tandẽ docet Pater Saauedra, videlicet, hoc debitum (per præfatam ne-

neceſſitatem explicatũ) manere ſemper in poſteris Adami; & neque extingui per actualẽ contractionẽ pecati, nec deleri per gratiam in baptiſmo collatam. Iudico enim hoc vltimũ eſſe improbabile, & ſine fundamento dictũ, vt etiam exiſtimauit eximius Frãciſcus Suarius vbi ſupra n. 26. Probo id eodem argumento, quod ipſe Saauedra ſibi obiecit n. 485. ſcilicet, quod hæc neceſſitas ad culpam originalẽ ſimiliter perſeueraret in Beatis, & cœlum ingrederetur aliquid coinquinatum, atque impurum. At hoc eſt falſiſſimum, cum non poſſint ibi manere deputatio ad dæmoniacam captiuitatem, nec ſigna diabolicæ tyrannidis. Ergo falſiſſimum eſt, hoc debitum, ſeu neceſſitatem intrinſecam ad peccatũ originale manere, vel perſeuerare ſemper in poſteris Adam adhuc poſt acceptam gratiam in baptiſmo. Agnouit, & faſſus fuit ibidẽ Pater Saauedra argumenti difficultatem, & pondus; ſed adhuc imperterritus conſequentiam admiſit, dicens, nihil oſtare, quod in gloria perſeuerent aliqua ſigna tyranni iam victi, & ſuperati, tanquam trophæa, & monimenta partæ victoriæ, & quæ Beatis nõ ſint dedecori, ſed illis ſemper oſtendant, quantis beneficijs ſint Deo deuincti, qui eripuit eos de regno tenebrarum, & tranſtulit in regnum ſuum. Diſplicet vehementer hæc doctrina. Primo, quia per illam apperitur ampliſsima ianua illis Doctoribus, qui ob ſimilem conſiderationem admittunt hoc debitũ, ſeu neceſsitatem in perſona Sanctiſſ. Virginis; & huic inſtantiæ non niſi petendo principium occurrit Saauedra. Secũdo, quia nullà actualis miſeria, nullà fœditas, nulla infamia remanere poteſt in Beatis, quippe qui ſumma felicitate fruuntur, & ſtatum habent omnium bonorum aggregatione perfectum. At prædictum debitũ, ſeu neceſsitas, eſt actualis miſeria, fœditas & infamia. Ergo nullo titulo remanere poteſt in Beatis. Minor patet ex ipſo Saauedra diſput. 19. ſect. 5. n. 842. vbi vt remoueat à Beata Virgine omnem eiuſmodi neceſsitatem, aſſumit vt princi-

pium

pium certum, & apud omnes incōcussum, quod hæc deputatio, præsertim intrinseca, ad seruitutem dæmoniacam, sit character bestiæ & Satanæ, et velut proprietas secū necessario afferens dæmonis possessionem. Quis ergo non videat, hæc omnia importare magnam miseriam, fœditatē & infamiam? Quo enim pacto potest percipi, quod homo gloria illa ineffabili perfusus, summo bono fruens, omnium que bonorum aggregatione abundans, simul sit illo charactere bestię siggillatus, & diabolicę possessioni intrinsecè deputatus?

Forsitan propter supradicta, idem Magister Saauedra n. 487. prudenter cogitans, suam doctrinam alijs displicituram, alio pergit itinere, dicens, quod licet illa necessitas destruatur per gratiam, non tamen destruitur per contractionem culpæ originalis. Discrimen tradit, quia gratia oppositionem dicit cum illa necessitate intrinseca, eo quod hæc sit radix ipsius culpæ, cum qua immediatè opponitur gratia: culpa autem originalis non opponitur illi necessitati, sicut nec calor in igne opponitur necessitati ignis ad ipsum. Sed bone Magister, quid faciemus de tuis argumentis, quibus contra meū Ægidiū á n. 479. ad 486. plenus impetu dimicasti? Hæc tua vltima doctrina illis profecto contraria est. Delebuntur ne velut iam inutilia? Per me quidem, imo per te etiamd eleantur penitus, & obliuioni dentur. Sed nō desinā gratulari meo Eximio Cōsiliario Didaco, quod illius fundamento, quo debitum à Maria Sanctissima relegat, iā vel inuitus cesseris. Vt autē ex integro cedas, debitūque proximum per actualē contractionē culpæ originalis in cæteris Adæ filijs solui concedas, sic vno verbo disputo. Hoc debitum, seu necessitas, quæ in nos ex Adami delicto resultauit, tantummodo est ad semel peccatum originale contrahendum. Ergo vbi illud semel incurrimus, et contraximus, iam illud debitum soluimus, necessitatique satisfecimus. Nec simile quod obijcis, nos premit. Nam necessitas ignis

est

est ad calorem habendum, & vt ita dicam, contrahendum semper & pro semper, ita vt quoties ei auferretur calor, toties suæ naturæ relictus, illũ rursus recuperaret, seu quasi contraheret: sicut cernimus aquam, frigiditatem suam, vi caloris ablatam, sœpe repetentem: ideoque in igne, & in quauis alia natura, ea necessitas, adhuc acquisitis suis proprietatibus, perseuerare debet. At peccatũ originale semel contractum, non est iterum contrahendum. Non enim peccata dimissa redeunt iuxta certam Theologiam, & meliorem iurisprudentiam, vt per totam distinctionem 4. de pœnit. in Decreto Graciani. Ut quid ergo, semel cõtracto eo peccato, perseuerabit necessitas ad illud? Præterea necessitas ignis ad calorẽ est indistincta ab ipso igne; & ita perseuerare debet quamdiu ignis. At necessitas hominis ad culpã originalem est omnino distincta ab ipso homine. Ergo nõ debet perseuerare quamdiu homo. Et his fundamẽtis satis factũ est etiam Patri Salazar cap. 1. §. 9. n. 58. qui prędicto exemplo nimium fidit, & à quo Pater Saauedra illud accepit. Hæc noster Magister Fr. Ferdinandus de Araujo.

8 Redeamus ad principale assertum, quo statuimus in Deipara non posse considerari debitum proximum, siue personale in sua propria persona: quoniã adhuc si includeretur pacto, necessario deberet dici, debitum fuisse remissum, cum in Matrem Dei esset electa: & tunc succedit regula iuris, quod remissione creditoris sublata censetur obligatio. l. liberationis 47. ff. de verbor. signific. & sic tempore animationis nullum daretur debitum, ad quod immediatè sequeretur contractio culpæ, nec in ipsa vnione corporis & animæ posset considerari aliqua solutio instantis debiti: idque vrgentius ex eo suadetur: nam Beatæ Mariæ corpus in die octaua Decembris vnico momento & contextu perfectum, & absolutum, & anima rationali instructũ fuit non præcedentibus embrionibus, vt plures Doctores cũ Amadæo, Philippo Malla, & Jacobo Granado id

non

non reprobante, defendunt, præsertim Pater Poza in opusculis permissis. tract. 2. cap. 5. & tract. 6. cap. 4. & in Apologia Hispana ad Regem Catholicum à folio 9. ad 19. quibus in locis latissimè, atque manifestissimè defenditur prędicta assertio.

Scio, decisum esse in cap. Moyses 32. q. 2. animam non infundi corpori, nisi multo post quam corpus seminatur, et addit textus, ibi: *Contemplemur facturam Adæ. In Adam exemplum est datum, vt ex eo intelligamus, quia iam formatum corpus accepit animam; primum oportebat domum compaginari, & sic habitatorem induci.* Ergo non debemus inducere hanc momentaneam formationem corporis & animæ in Beata Maria. Respondetur, in Adam & filijs ponendam prius formationem corporis, et postea infusionem animæ; sed non sic agendum cum Deipara, cuius conceptio præter ordinem ex diuina gratia procedit, vt plenissimè probatum habeo cap. 2. cap. 5. cap. 8. et probat Pater Granados de Concept. disp. 3. cap. 1. sect. 1. Et adhuc in Adamo, si non eodem instanti, at eadem die post corpus accepisse animã dicendũ est. Hoc amplius addit Oleaster in Genesim super illa verba: *In dolore paries*, quod in statu innocentiæ singula corpora infantium vno dumtaxat die & concipienda & formanda et animanda.

Supposita hac formatione instantanea, consequens est irrefragabile, Deiparam non potuisse grauari debito proximo culpæ originariæ. Si enim communi modo formata esset, dici forsan posset, licet in instanti animationis non habuerit debitum propter dicta, habuisse tamen in antecedenti, in quo eius caro organizata, et proximè ad animationem disposita erat. Cæterum cum in eodem instanti Beata Virgo concepta, organizata, et animata fuerit, nullum restat instans, in quo illud debitum habere potuerit. Quibus accedit, quod vnum ex præcipuis fundamentis, vnde Canonistæ nostri statuunt, corpus Christi vnico mo-

mento absolutum ex solemnitate Conceptionis illius, die vigesima quinta Martij, de quo habemus glossam singularem in Clementina vnica, de Summa Trinit. verbo *simul vnitas*, ibi: *In instanti Conceptionis perfectus fuit homo, & anima infusa.* Cui doctrinæ concordat Eximius Doctor Franciscus Suarius tom. 2. in 3. part. disp. 11. sectione secunda, æquè vrgeat pro Beata Virgine, vt ex authenticis reuelationibus circumfertur, vt idem Pater Poza refert d. tract. 2. cap. 4. Idque constat nouissimè ex Bulla Domini nostri Alexandri Septimi, edita anno 1661. in fauorem Deiparæ Sacratissimæ.

9 Transeamus nunc ad debitum remotum, & videamus; an serenissima Domina nostra obligata fuerit remoto debito originalis noxę. In explicando hoc debito, & eius diffinitione, non modica reperitur inter scribentes varietas, & hæsitatio. Mittamus huius rei inextricabiles opiniones, & dicamus, debitum remotum esse illud, quod ex lege imposita Adamo resultauit, in quo omnes peccauimus; cum enim pactum, siue lex fuisset pro omnibus lata de non habenda iustitia originali, Adamo peccante; ex illa obligatione datur in nobis hoc debitum remotum, dicente Apostolo, *Adam in quo omnes peccauerunt*, & cum lex illa fuisset vniuersalis, omnes comprehendere debet. l. 3. C. de legibus, ibi: *Leges generales ab omnibus æquabiliter obseruentur:* & sub hac lege vniuersali, si comprehenderetur Deipara, verè peccasset in Adamo, & fuisset obnoxia peccato illius, & daretur in ea debitum remotum, vt maturè perpendit Pater Granados de Concept. disp. 3. cap. 25. & cap. 27.

Sed hic articulus hoc in loco, etsi ante in præfationibus aliquid de eo dixerim, erit iusto trutinæ examine discutiendus. Dico, hoc remotum debitum longè à Deipara ablegandum, penitusque exterminandum; neque enim subiacuit prædictæ legi vniuersali pro omnibus latæ, quod sic ostendo. Vniuersalis lex non comprehendit illum, in quo spe-

specialis militat ratio,ob quam ad illum non debeat extendi,l.Princeps.ff.de legibus,argumento textus in cap.Pastoralis.§.quoniam de rescript. & l. lex naturæ 24. ff.de stat. homin. ibi: *Lex naturæ hæc est, vt qui nascitur sine matrimonio,matrem sequatur*,hæc est lex generalis;sed addit textus: *Nisi lex specialis aliud inducat;* idem deducitur ex Authent. de non alienandis.§.vt autem lex, collat.7. & glossa in Autent,sine prohib.matr. & auiæ.vers.existimamus, ibi: *Existimamus ineptum esse dicere non fallere regulam,vbi æquitas id suadet.* Vtamur exemplis nostri iuris ad roborandam præcedentem propositionem.Lex communis est, & vniuersalis,quod filij procreati ex iustis nuptijs,nascantur in parentum suorum potestate.§.1.Inst.de patr.potest.fallit tamen hæc dispositio generalis, si Princeps aliquem filiũ familias in patrẽ,siue patricium elegerit, quia hoc casu militat specialis ratio, & propter eam non stamus legi vniuersali, de habendis filijs in potestate.l.fin.C.de consul.lib.12.§.filius familias.Inst.quibus modis ius pat.potest.solu. Similiter in alijs dignitatibus,propter quas filij eximuntur à parentum potestate,violata lege communi ex priuilegio. l. fin. C.de decurionibus lib.10.

Fundamentum antecedens fortius premit, si à nobis dilatetur alijs in locis, in quibus hoc expressius continetur. Ecce vniuersalis propositio, & dispositio communis non extenditur ad ea, quæ specialiter quis non expressisset. l. quod seruus.ff.de acquir.posses. l. si pater. ff.de his quæ in fraud credit.l.si procurator.ff. de condict. indeb. Explicat Sebastianus de Medicis de Reg. iur. à n. 1. Item leges vniuersales non comprehendunt casus, vel personas priuilegiatas,cap.vnico de Capellis Monachorum lib.6. Paulo de Castro cons.146.n.1.lib.1.Anchar.in cap.canonũ statuta, vers.*sed alibi quærit*, quæst. 14. de constitut. Item propter excellentiam alicuius indiuidui receditur ab vniuersalitate legis communis,ita Iasso in Auth. iubemus n. 12. C.de

C. de indic. Hippol. de Marsil. in l. 1. §. ad quæstiones. ff. de quæstion. n. 8. Mandosio, in Regula Cancel. de infirmis. q. 2. n. 7. Item propter excellentiam alicuius personæ licitum est iura vniuersalia transgredi. cap. cum de multa. de Præb. l. à Diuo Pio. ff. de custod. reor. l. sed & reprobari, vbi Baldus. ff. de excusat. tutor. Et lex generalis non comprehendit personam constitutam in excelsa dignitate, Abbas in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constitut. nu. 15. glossa in cap. Ecclesia, vt lite pendente. Salicetus in authent. casa. C. de sacros. Eccles. Cardinalis in repetitione cap. perpendimus, de sentent. excom. Et lex generalis non porrigitur ad personas priuilegiatas, Romanus in l. cum quid. ff. si cert. pet. Puteus de sindic. verbo *Assessor*, n. 17. Auiles in cap. 5. Prætor, glossa 1. n. 7. Nec legislator comprehendit in sua lege generali illud, quod verisimiliter non erat facturus. l. si pater. ff. quæ in fraud. credit. Castillo de aliment. lib. 8. cap. 37. n. 20. In summa, lex generalis illos non comprehēdit, in quibus ratio militat specialis: signanter hoc probat dicta lex Princeps, vbi Augusta ex priuilegio nō comprehenditur sub lege vniuersali, & ab ea manet exempta: sic lex vniuersalis ieiunandi non comprehendit adolescentes: lex item audiendi sacrum non trahitur ad impeditos, quia in his omnibus specialis consideratur ratio, ne teneantur vniuersalitate legis: eodem modo si in ciuitate obsessa ponatur statutum vniuersale, vt portæ ciuitatis habeantur clausæ, & contingat, quod hostes insequantur aliquos ciues illius ciuitatis, qui erant extra illam: tunc non obstante statuto generali, debent aperiri portæ, quia intercedebat specialis casus, vt obseruant Canonistæ in cap. 1. de constitut. per doctrinam Diui Thomæ 1. 2. in quæst. 96. art. 6. Lex enim caret virtute obligandi, quoties deficit eius ratio, l. ex facto 43. ff. de vulg. præcipuè vbi datur specialitas, Decius in l. ex testamento. C. vnde liberi, & in cap. sedes de rescript. l. Stichus 20. ff. de adim. leg.

Quo ſuppoſito, habemus intentum: cum enim in Deipara ſpecialis fuerit ratio, ob quam lex illa vniuerſalis ad illã non porrigatur, cũ ſit mater ſummi Regis, cui propter hoc, omnium gratiarum, & priuilegiorum cumulus debetur ex legibus, non debuit vniuerſali legi obnoxia proponi, ſubindeque, nec debitum etiam remotum originariæ culpæ cõtrahere. Aptiſſimè hoc loco inducitur texus in cap. 15. Eſther, ibi: *Non morieris, non enim pro te, ſed pro omnibus lex cõſtituta eſt.* En vbi lex vniuerſalis non comprehendebat Eſther, in qua ſpecialis ratio dabatur.

Rurſus, quod Deipara non peccauerit in Adam, nec incurrerit debitum remotum contrahendi culpam originalem, nec fuerit obnoxia legi, vel pacto de non habenda iuſtitia originali, Adamo peccante; probatur ex eo, quia ſi his fuiſſet ſubiecta, redundaret in contumeliam Saluatoris, & daretur tunc aliqua conuentio Chriſti ad Belial; indeque ſequeretur, quod ſapientia diuina, Filius Dei habitauiſſet in corpore, & anima, quæ aliquando fuiſſet peccato obnoxia. Ad hęc: cũ Deipara Angelos vincat puritate, vt dixit Sãctus Anſelmus, debemus omne debitum ab ipſa remouere; nam in Angelis non eſt conſiderabile aliquod debitum: vnde ſi admitteretur in Beata Maria, non eſſet in ea maior puritas, cum hæc colligatur per receſſum à contrario; vt notant Doctores noſtri in cap. Beata Maria 27. q. 2. Si ergo Angeli obſtricti nõ fuerunt legi peccati, & alicui debito, magis aliena prædicari debet Beata Maria, quæ Angelos vincit puritate.

10 Dices; ſi Beata Virgo neque remotum debitum habuit originariæ culpæ: ergo non fuit redempta per Saluatorem: vel de quo fuit redempta? Breuiter & reſolutiuè dico, quod fuit redempta ſingulari redemptionis modo. Non fuit redempta á peccato, quod contraxiſſet, vel cui fuiſſet aliqua neceſſitate obnoxia, ſed tantum fuit redempta à peccato, quod contrahere poſſet; ſi ſpeciali gratia

non

non fuisset præuenta & præseruata: hoc enim in sanctorũ sententia sufficit ad redemptionem. Dicit Sanctus Dionysius, de diuin. nomin. *Redemptionem eam appello, quatenus ea quæ verè sunt, in nihilum recidere non patitur.* Non habent incorruptibiles creaturæ debitum aliquod in nihilum recidendi, sed habent meram possibilitatem, & hæc dicitur sufficiens in sententia Dionysij, vt possint ab interitu appellari redemptæ. Unde Sanctus Augustinus in ea verba Psalmi 85. *Eruisti animam meam ex inferno*, sic dicit: *Quia liberauit se à talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta*: reputat enim Sanctus Doctor sufficientem illam damnationis possibilitatem, vt dici posset ab inferno liberatus & redemptus. Eadem ferè habet super Genesi ad litteram, ibi: *Maiorem gratiam impendi illi, cui confertur innocentia, quam cui remittitur culpa.* Idem tenet subtilis Doctor Scotus 3. dist. 3. quæst. 1. subdens, excellentius esse, præseruare, ne aliquis cadat, quam lapsum leuare. Non est ergo cur laborent interpretes in quærendo debito originali, vt eius ratione possint defensare Virginem redemptam. Testes voco doctissimũ Durandum in 3. dist. 3. q. 1. n. 14. & acutissimum Caietanum; hic asserit in 3. p. q. 27. art. 2. *Si tenetur, Beatã Virginem, ex gratia in ipso instanti infusionis animæ, præseruatam fuisse ab originali peccato, quod tunc incurrisset nisi illa gratia adfuisset, nihil contra fidem tenetur, sed specialis modus redimendi, ac saluandi à peccato originali Christo attribuitur respectu suæ matris.* Similia Durãdus: *Puto, quod si Beata Virgo peccatum originale non contraxisset, posset tamen verè dici redempta, pro eo quod in radice sua ex natura suæ conceptionis obligata erat ad incurrendum peccatum, nisi fuisset à Deo præseruata.* Videndus Dominus Don Payo de Ribera in Appendice num. 377. & supra cap. 2. n. 19.

Corroboratur antecedens propositio exemplo Angelorum, qui nec peccatum, nec peccati debitum proximum,

vel

vel remotum habuerunt, sed vt loquuntur Theologi, & cum eis non pauci Canonistæ, tantum habuerunt peccandi potentiam, quam in bono stabiliuit gratia Dei; & tamen redempti fuerunt, vt dicit Diuus Bernardus serm. 22. in Cantica, ibi: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur: sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens; & hac ratione fuit æque vtrique redemptio, soluēs illum, & seruans istum.* Similia habet in serm. 1. de Circumcis. ibi: *Idem quippè, & Angeli saluator, & hominis; sed hominis ab Incarnatione; Angeli, ab initio creaturæ;* & serm. 22. in Cantica: *Christus etiam Angelos redemit; illos præseruando, homines purgando.*

Apud nos Juristas etiam ponitur redemptio pro præseruatione à damno futuro. l. metum 9. §. sed licet. ff. quod met. caus. Glossa singularis in l. 13. ff. de hæredit. vel act. vend. ibi: *Liberatur, id est, non tenetur.* Medicina præseruatiua efficacior est, quam curatiua. l. sancimus, C. in quibus causis in integ. rest. Et maioris gratiæ & defensionis est à lapsu præseruari, quam post lapsum reparari, argumento, l. 1. Cod. quando liceat vnicuique. Sic in iure duplex datur libertas, alia quæ eruit à captiuitate, & alia quæ defendit à captiuitate: nam si seruo, qui est in seruitute, libertatem præstitissem; hic dicitur manumissus, & liberatus à vera seruitute, l. manumissiones. ff. de iust. & iur. ibi: *Manumissus liberatur potestate.* Si vero ei, qui in ventre ancillæ meę portatur, dedero libertatem; is ingenuus nascitur. l. cum inter veteres. C. de fideicommiss. lib. & præseruatus dicitur à seruitute futura, alias seruus nasceretur: quam legem mirificè explicauit Pater Eusebius Nieremb. dicens: *Ecce ex matre serua ingenuum nasci, remisso illi debito seruitutis in vtero antequam nasceretur, imo antequam animaretur, & solum erat fœtus, cum scilicet, vt lex ait, homo fieri speraretur. Iste enim in lumbis matris seruæ, debitum seruitutis habebat; remissum tamen illi fuit, cum adhuc infor-*

mis

nis massa erat, ita vt sine illo, & fœtus esset, & homo, & natus ingenuus. Cur Deus præstare idem non potuißet cum genitrice sua?

Dicitur in iure incōpleta illa redemptio, quæ vtrumque casum non complectitur, scilicet, liberationis, & præseruationis: sicuti bona pharmaca meliora sunt, quæ vtrumque continent. Redemptionis, siue liberationis, duæ sunt partes; vna, quæ redimit ab obligatione contracta; altera, quę liberat ab obligatione contrahenda. Hæc distinctio in iure luculenter ostenditur in titulo. ff. de liberat. leg. Solent testatores debitoribus suis liberationem legare, id est, remissionem debiti concedere, & tunc per acceptilationem liberātur debitores. l. 3. §. Nunc de effectu. ff. de liberat. leg. ibi: *Poßum agere, vt liberer per acceptilationem.* Acceptilatio est quædam ficta, siue interpretatiua solutio, quæ etiam â nostris dicitur solutio imaginaria, §. per acceptilationē. Inst. quibus modis toll. oblig. Nunc ad rem: si mihi soli liberatio relicta sit à creditore in testamento, hæres me liberabit per acceptilationem; sin vero cum alio sim debitor, & mihi soli testator consultū voluit; eo casu non liberabor per acceptilationem, ne fortê vtriusque debitoris, siue correi nexus acceptilatione soluatur. Tunc debet me hæres pacto liberare, vt persona mea tantum eximatur d. §. nunc de effectu. In his exemplis ostenditur prima pars redemptionis, siue liberationis â debito iam contracto. Sed ponamus alium casum: Filius familias Petro centum debet, hic liberationem patri legat. Non filio familias debitori, sed patri eius, qui nihil debet, remissionem debiti relinquit. Quæritur, an patri redemptio illa, siue remissio debiti proficiat? Respondet Vlpianus, in l. si quis reum 5. §. idem Iulianus ff. de liberat. leg. patri hanc liberationem & remissionem profuturam: nam licet pater non esset debitor tempore relictæ liberationis, vt ibi subiungit: *Nondum enim erat debitor*, quia nihil filius in peculio habebat, ex illis verbis: *Et parui refert,*

si sit

si sit aliquid in peculio, nec ne: attamen, quia poterat peculium filij augeri, & ex hoc nasci actio in patrem. l. quæsitum 30. §. is qui semel. l. peculium 40. ff. de peculio; hæc possibilitas in causa est, vt patri remissio, siue liberatio proficiat, & sic auertit patrem ab obligatione contrahenda. Habemus iam duos effectus redemptionis, vt alter sit à debito contracto, alter à debito contrahendo, quibus completa dicitur remissio seu liberatio: & in redemptione Christi Domini, qua nos liberauit, neutra defecit, quia nulla potuit esse perfectior.

Ex dictis iam intelligo aliqua loca sacræ Scripturæ, & primo locum Prophetæ Psalm. 84. ibi: *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob*: quem locum expresse intelligit de præseruatione Beatæ Mariæ doctus Pater Magister Philippus Bernal, de opinione Beati Thomæ circa Concept. fol. 224. In hoc Psalmo designatur benedictio illa copiosa, qua Deus matrem suam præseruauit: est enim Beata Maria terra Domini, vt fusè explicatum habeo supra cap. 8. Hanc terram benedixit Dominus, & ab ea captiuitatem auertit. Non dixit: *Abstulisti captiuitatem*, quasi in eam incidisset; sed dixit: *Auertisti captiuitatem*, vt longè fuerit captiuitas à Virgine; & ne qua dubitatio superesset, statim addit: *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.* Cur tam variè? Hoc fit, vt ostendat differentiam sanctificationis Beatæ Mariæ, & liberationis nostræ; nam illa fuit præseruatiua; nostra vero sanatiua. Eodem modo dicit Apostolus ad Galat. 3. *Christus redemit nos de maledicto legis*, & tamen nunquam fuimus sub iugo illius legis. Similiter in Psalm. 143. ibi: *Qui redemisti Dauid seruum tuum à gladio maligno*; id est, de gladio Goliat (iuxta Caldæum, & septuaginta Interpretes) qui quidem gladius nunquam tetigit Dauid: redemptus tamẽ fuit ab eo, quia potuit illo interimi. De hac materia postea dicemus in fine num. 13.

Ha-

Habemus etiã concordãtes Sanctos circa hanc Virginis præseruationem. Dicit enim Augustinus: *Christus matrem suam, ne laberetur, præseruauit.* Idẽ in alijs locis supra. Item D. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo. cap. 10. *Indiguit Beata Virgo redemptione, non propter peccatum, quod infuerit, sed propter peccatum, quod infuisset, nisi speciali priuilegio eam præseruasset.* Quibus accedit Cardinalis Nicolaus de Cusa episcopus Brixiensis lib. 8. exercitat. Et est in 2. tom. operum illius, dicens: *Non indiguit Virgo liberatore, qui ipsam absolueret à sententia in Adam, & posteros eius ex voluntate carnis lata, cui numquam subiacuit: nec indiguit liberatore á seruitute, in qua numquam fuit. Præliberatorem enim Virgo sancta habuit; cæteri liberatorẽ. Sola Dei mater hoc habet, quod in initio essẽdi sub nequitia maligni deficere nequiuit.* Illa enim possibilitas peccandi proxima in Uirgine, siquidem nascitura erat per naturalem generationem, sufficiens fuit, vt filium suum præliberatorem haberet; & credo quod hic est sensus communis omnium magistri Diui Thomæ in 1. dist. 44 art. 3. ad 3. ibi: *Talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ â peccato originali & actuali immunis fuit. Fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum:* præcipuè cum dicat in Psalm. 14. super illa verba: *Qui ingreditur sine macula,* quod *in Christo & in Virgine nulla omnino macula fuit.* Repetamus ea, quæ supra diximus, cap. 7. super illa verba Euangelij: *Non surrexit maior Ioanne Baptista,* vt scilicet, hoc intelligatur de lapsis, qui indigebãt curatiua redemptione: sed B. Maria solum habuit præseruatiuam, & sic nihil derogatur dignitati redemptionis: nã sicut dicit sanctus Dionysius, de diuinis nomin. cap. 8. *Hoc genus redimẽdi perfectissimũ est, cum quis defẽditur, ne de statu bonorũ suorũ deijciatur:* & noster Bartolus in l. decem. ff. de verb. oblig. *Aliquando quis dicitur manumissus, qui numquam fuit seruus.* Nec abs re hoc loco illud adiungetur, quod deducitur ex cap. 5. ad Rom. vbi Apostolus affirmat, gratiam redemptionis in plu

res

res abundasse: ita sane est, quia non tantum profuit lapsis, sed etiam Virgini præseruatę. Vide infra n. 13. ad finem.

Apparet ex fundamentis supradictis, Beatam Virginem nullo debito, siue proximo, siue remoto obnoxiam fuisse. Parum dixi: addendũ est, adeó ab ipsa procul fuisse debitũ, vt potius ipsi Virgini debita fuerit puritas originarię gratię, eò quod in Dei matrem sit electa. Hanc conclusionẽ firmat sapientissimus P. Didacus Auendaño, huius Peruani Regni eximium decus, in suo epithalamio â n. 449. & Pater Granados disput. 3. de Conceptione, cap. 13. ibi: *Qui attentè perpenderit, quanta sit dignitas matris Dei, quamque sublimis à Patribus prædicetur; planè comperiet, hanc gratiam, seu priuilegium præseruationis â peccato originali, esse maximè consentaneum, & suo quasi iure debitum matri Dei: non quia non fuerit gratia, & priuilegium, sed quia in tam profundo gratiarum mari, non debuit hæc guttula desiderari.* Circa quod etiam expendi possunt plurima scripturæ loca, quibus Deipara lilio, cedro, cypresso, palmę, rosę, & oliuæ comparatur; quæ omnia ad Virginis spectare conceptionem docet Ecclesiâ, ita canens in Festo Conceptionis eius. Cum ergo in his omnibus non ascititium quid, & arte quæsitum, sed debito connaturalitatis sit debitum; fit indè, vt gratia pulchritudini, decori, suauitatique comparata, debita similiter Virgini intelligatur: & licet comparatio non sit in omnibus attendenda, vt docet Philosophus, & dicit glossa in l. Quod Nerua, verbo *dolum* ff. de pos. in præsenti tamen speciali est animaduersione pendẽdum, nihil inter ea omnia, quibus originalis Virginis puritas comparatur, assumi, cui debita non sit excellentia illa, quæ fundamentum est comparationis. Hic enim in omnibus obseruatus tenor illud indicat, quod nostra assertione contendimus.

Accinunt Ecclesiæ Patres proximæ conclusioni: inquit enim Diuus Cyprianus de Natiu. Christi: *Non sustinebat iustitia*

titia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniurijs: quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa. Ex quibus verbis habes, immunitatem à communibus naturæ iniurijs, ex iustitia debitam Virgini, quia mater est Dei, vt etiam robustissimis legibus probaui supra cap. 11. & cap. 12. Et in sententia sancti Cypriani, proximè relata, non aliter stare potest ipsius dictum, nisi quia dignitas matris, ad quã iam tũc Virgo erat electa, ipsam suo naturali iure requirebat, & ideo ipsã vocat vas electionis, sicut etiã dicit: *Matri plenitudo gratiæ debetur.* Quibus adiungo sanctum Anastasium Sinaitam lib. 4. Anagog. ibi: *Ex secunda Eua Christus, tanquam ex quadam plena luna, Maria, quæ nunquam minuta fuit, aut defecit, aut priuata fuit essentiali lumine,* sic ille, qui essentiale Deiparæ lumen gratiæ agnoscens, eo ipso debitum gratiæ in ea profitetur. Item D. Bernardus homil. 2. super missus est, ibi: *Factor hominum, vt homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit eligere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* Vbi notandum ly *debuit*, quo gratię debitum ob maternitatem explicat, sicut in iure nostro itidem philosophamur, ex l. 4. ff. de curat. furios. & ibi glossa, verbo *debebitur*, vbi notant Doctores. l. congruentius. Cod. de patr. potest. ibi: *Reuerentiam debitam exhibere matri filios coget.* Sunt in præsenti fauentissima verba textus in cap. accesserunt, de consecrat. dist. 2. ibi: *De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem ad manducandum ad salutem dedit.* Et in cap. omnia. de consecrat. dist. 2. ibi: *Hæc caro mea est pro mundi vita; non alia planè, quam quæ nata est de Maria.* Sic videtur dicẽdum, debitam illi fuisse gratiam: & hoc etiam prædicat P. Florencia, serm. 8. de Concept. ibi: *A la qual maternidad era mui debido, que su hijo la librasse de la comun maldicion.*

Supradicti Sancti, & Doctores, varijs adductis rationibus, toti sunt in suadendo, omnes illas gratias Deiparæ debitas, sine quibus minus decens esset, vt ex illa Deus nasce-

retur-

retur propter infinitam Dei sanctitatem, à qua alienissimũ est quidquid minus decens est. At sine puritate originaria minus decens esset, vt ex Virgine Deus nasceretur, dicente Diuo Anselmo, de Concept. Virg. cap. 18. *Decens erat, vt ea puritate niteret; qua maior sub Deo nequit intelligi.* Ergo puritas originaria Virgini debita fuit, & vt dixi cap. 7. num. 13. semper sine præfinitione temporis fuit in gratia, & cum Deo: & post illa scripta vidi venerandum Patrem Ludouicum de la Puente, 2. part. meditat, in meditat. 6. puncto 2. ibi: *Tambien ponderare, que no dize el Angel, el Señor es, fue, o serà contigo: sino el Señor contigo: para significar, que fue, es, y sera siempre con ella, como quien dice: Desde tu creacion fue Dios contigo, y aora es, y serà por toda la eternidad.*

12 Summa autem omnium est: Deiparam non habuisse debitum proximum culpæ originariæ, quia ab instanti sueCõceptionis habuit gratiam sanctificantem, per quam remissum fuit tale debitum; neque habuisse debitum remotum, quia comprehensa non fuit sub lege vniuersali, neque in pacto cũ Adam propter specialem rationem maternitatis. Item, potius Virgini debitam gratiam originalem, quia aliàs minus decens mater esset, vt ex ipsa Deus nasceretur, à cuius infinita sanctitudine alienissimum est quidquid minus decens est. Preterquam, probatum habeo in capitibus antecedentibus, Deiparam non modò fuisse in gratia conceptam, sed etiam in gloria: & animę gloriosæ debita est gratia sanctificans, vt dicit textus in cap. vt cognouerunt in principio, vers. *Si sic permansissent.* de pœnit. dist. 2. Neque enim compatitur peccatum cum Beatitudine, cap. si enim. de pœnit. dist. 2. ibi: *Quoniã sicut dies & nox misceri nequeunt, sic iustitia, & iniquitas.* Quiescamus ergo in hac thesi, nempè, quod relegari debet à Beata Virgine omnis culpa, & debitum culpæ. Si enim à Virgine causatum remouetur, causa etiam cessare debet. Est enim in iure

Z certum,

certum; quod idem sit iudicium causæ & causati. l. quominus ff. de fluminibus. l. Et si ff. ad leg. Iul. de adulter. Causa, & causatum ad paria procedunt. l. Maritus. C. de Procurat. Et idẽ iudicamus de causa causante effectũ, quod de ipso effectu, ex d. l. Quominus, cui adde l. Nihil interest. ff. ad leg. Cornel. de sicar.

13 Dices, quamplurimos Doctores admisisse debitum contrahendi culpam in Beata Maria, tum quia in ea admittunt carnem peccati; tum quia fuit mortua morte peccati, ita vt pro ea Christus moreretur: & hanc sententiam confirmant authoritatibus Diui Augustini lib. 5. contra Iulianum cap. 15. & Diui Thomæ 1. 2. quæst. 81. artic. 1. in corpore, eamque acriter defendit Gregorius de Valencia, de peccato orig. cap. 3. §. nam siue; & contrariam opinionem, quæ eximit Virginem â debito, vt erroneam damnat Ægidius Lusitanus lib. 2. quæst. 3. art. 5. n. 6. & q. 4. art. 2. & nouissimè Dominus D. Payo de Ribera in sua Apologia, propos. 10. et in appendice à n. 355. et n. 357. etiam Pater Franciscus Suarius, Doctor Eximius, 3. part. tom. 2. quest. 27. distp. 3. sect. 2.

Sed quamuis doctissimi viri admittant in Beata Maria debitum contrahendi culpam; alij plures nec minus docti tenent, nullum in Virgine fuisse debitum, vt videre est apud præclarissimum Doctorẽ Patrem Ferdinandũ de Salazar. lib. de Concept. cap. 8. et sæculo 13. vers. *floruit hoc sæculo*. Idem docuerunt Catherinus, et alij triginta septem Doctores apud eruditissimum Doctorem Patrẽ Didacum de Auendaño. tom. 2. Problem. in prẹludio splẽdido. §. 2. n. 15. Videndus idẽ Doctor tom. 1. in Prolus. apolog. §. 10. n. 111. vbi dicit, esse propositionẽ ab Inquisitione Generali deletam, si quis affirmet, debitũ in Uirgine esse de fide, et ni fallor, ob hanc rationẽ cõpulsus fuit Doctissimus Domin. D. Fr. Payo contrariæ opinionis acerrimus propugnator, asseuerare, vel non contradicere probabilitati hu-

ius

ius nostræ opinionis, in appendice n. 357. Et sanè omnes contrarij, vt eludant euidentissima fundamenta, quæ militant pro non contractione debiti in Beata Maria, confugiunt ad debitum in sua propria persona; quod stare non potest ex his, quæ diximus supra: non enim dubitatio est de debito proximo; sed an peccauerit in Adam, & obnoxia fuerit legi vniuersali pro omnibus latæ: neque debitum tunc potest dari, quando quisque filius Adam in se existit, vt ostensum relinquo: nã tunc quando corpus, & anima vniuntur, quilibet fert onus suum, & soluit quod debuit in Adam; qui autem soluit, non dicitur habere debitũ, cum solutione tollatur. Debitum est quædam necessitas soluendi, & hæc necessitas quo ad posteros tunc fuit quando peccauit Adã, in quo positę fuerunt nostræ voluntates, & tantum spectatur capacitas indiuidui, vt ponatur executio illius debiti, & effectus peccati, vt dicit Diuus Anselmus. in lib. de Concept. Uirg. cap. 7. ibi: *In Adam omnes peccaverunt quando ille peccauit; non quia tunc peccauimus, sed quia de illo futuri eramus, & tunc*, nota, *facta est illa necessitas, vt cum essemus, peccaremus.* Neque quis debet duplici onere prędrauari, vt habetur in principijs iuris nostri: neque sunt debita multiplicanda sine re. Quid quid sit, fatendum est, voluntatem Beatæ Mariæ non fuisse positam in Adam, & deficiente causa consensionis in Adam, nullus effectus ex illa causa, & debito potest in propria Uirginis persona considerari.

Non decet præterire inuectiuam illustrissimi D. D. Fr. Payi de Ribera, qui in doctissimo volumine apologetico, in Appendice n. 357. acri solertia reprehendit illos, qui carentiam debiti in Virgine propugnant quasi mysterij declarationem obtegentes, optatamque illius diffinitionem retardantes, ob defectũ vnionis inter ipsos defensores: quippè qui hanc veritatem per illam sententiam de carentia debiti, fumo, puluere, & caligine inuoluunt. Damnat enim impru-

imprudentiæ nota diuertere ad scribendum de illa debiti in Virgine carentia, idque pulchro, & erudito eloquio prosequitur.

Sed veniâ tanti viri, vellem ab ipso edoceri, qualiter hæc concilientur cum his, quæ scribit in prædicto libro, in tract. de probabil. canoniz. n. 84. vbi cum Magistro Lezana, & Patre Ioanne Velasquez, arguit inscitiæ, inertiæ, & rusticitatis illos authores, qui cum sint pro sententia pia, & vera, recusant tamen vrgere propositiones probabiles, quas alij in exaltationem, & confirmationem prærogatiuarum, & priuilegiorum Purissimæ Matris meditati sunt, ab illisque resiliunt: sicut scientiæ, & vrbanitatis maximæ commendat eos, qui illud consanguinei mei Sancti Thomæ de Villanueua præceptum exequuntur: *Quantum potes, tantum auge: quantum vales, tantum adde: maior est ista Virgo, &c.* At quis non videat, quantam probabilitatem, ni dicam certitudinem contineat sententia remouens à Deipara omne debitum ad labem & originalem immunditiam: quantumque ad exaltationem, & confirmationem virgineę puritatis conferat, & conducat? Ergo ex hac vltima Illustrissimi Domini doctrina, verissima & sapientissima, debemus alteram suam doctrinam moderari. Neque debet timeri optatę diffinitionis retardatio circa principale intentum declarationis mysterij Conceptionis; siquidem quo ad punctum præseruationis à contractione maculę, inter defensores Immaculatę Conceptionis, ea concordia & vnio seruatur,

Quam nullus gladius rumpet, nec acuta securis;

Licet quo ad debiti carentiam in contraria placita sint distracti. Sicut enim præseruatio ab actuali culpa, & immunitas à debito culpæ, sunt asserta distincta; sic indemni vnione circa præseruationem â culpa, vtilis adhuc potest dari controuersia circa immunitatem à debito, cũ ex diuersis non fiat illatio. l. Papinianus. ff. de minor. & in pręsenti

dispu-

disputatione proculdubio feruentiori plausu sententia negans omne debitum in Beata Maria gratius excipietur, & dilatabitur.

Instabis adhuc, quod bene compatitur cum carentia culpæ debitum ipsius culpæ, ad quod inducitur textus in cap. Beata Maria. 27. q. 2. vbi dicitur, quod verum fuit matrimoniũ inter Beatam Mariam, & SS. Ioseph, & quod nihilominus durauit perfecta virginitas in Deipara; additque textus, quod Beata Maria in hoc matrimonio consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed subijciendo se diuinæ dispositioni, eo quod ad valorem matrimonij requiritur consensus ad prolem saltim in radice, vt diffinitum est in cap. omne itaque 27. quæst. 2. aliàs si excluderetur exprefsè consensus ad copulam, nõ esset verum matrimoniũ, quia hoc esset contra substantiam illius. cap. fin de Condit. appos. Grandis controuersia in iure nostro circa hoc matrimonium Beatę Virginis exagitatur. Dicit enim Nicolaus Papa in cap. sufficiat 27. q. 2. *Quæritur, quis consensus facit matrimonium? an consensus cohabitationis, an carnalis copulæ? si cohabitationis consensus matrimonium facit; tunc frater cum sorore matrimonium potest contrahere. Si carnalis copulæ: inter Mariam & Ioseph non fuit coniugium; vouerat enim Maria, se virginem perseuaraturam.* Et inferius: *Si ergo contra suum propositum postea consensit in carnalem copulam, rea facta est voti virginalis, mente & si non corpore violati, quod de ea sentire nefas est.* Sed Diuus Augustinus admittit in hoc matrimonio consensum ad copulam, in d. cap. Beata Maria, ibi: *Consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed subijciendo se diuinæ dispositioni.* Tunc sic formatur argumentum. Sicut non infringitur puritas Beatæ Mariæ, etiam si admittamus debitum ad prolem; eodem modo, quamuis concedatur debitum originaria culpæ in Virgine, nõ debet infringi, aut denegari sanctitas eiusdem virginis in Cõceptione, quia cũ illa sanctitate benè potest compati illud

 de

debitum: sicut etiam compatitur virginitas eius (quæ aliâs mente perit ex d. cap. sufficiat) cum debito ad prolem, ergo non est cur debitum culpæ tam enixè a Uirgine relegemus.

Quæ difficultas parum, aut nihil obstat, quia vt dixi paulo ante, res diuersa est culpa & debitum culpæ. Fateor posse dari debitum originariæ culpæ in Uirgine quin lædetur sanctitas eius in Conceptione, & multi & graues Authores, vt vidimus, in Uirgine admittunt debitum originariæ culpæ, non culpam ipsam originalem, siue personalem in sua Conceptione, & in hac sententia procedit sequela argumenti, videlicet, quod sicut compatitur cum debito matrimonij in radice summa Uirginitas Beatę Mariæ, pariter posset compati cum sanctitate eius in Conceptione debitum culpæ originariæ: dicunt tamen quod fuit obligata peccato in radice, inspecta conceptione naturali; quod quidem possent ita temperare, vt dicant, quod in illa conceptione fuerit ab illa obligatione per diuinam gratiam liberata, exemplo reorum debendi: nam si vni ex eis debitum creditor remiserit, hic vnus pacto liberatur, ex quo pacto personalis tantum nascitur exceptio; & licet in isto reo debitore, ita liberato, permaneat secundum se, & ipso iure obligatio, quia non fuit acceptilatione perempta; ea tamen obligatio per exemptionem, vel exceptionem excluditur. l. 3. §. nunc de effectu. l. si is qui duos ff. de liberat. leg. l. Si vnus §. pactus ne peteret ff. de pact. In effectu hoc intendit opinio contraria, vt in radice sit obligatio in Virgine, facta cum cæteris rea; sed in persona adquirat exceptionẽ. Sit ergo in sententia horum Virgo obligata ipso iure; sit obligata debito, inspecta conditione naturæ humanæ; sed in Cõceptione sit exempta, vel excepta per gratiam, manentibus cæteris Adami filijs in obligatione & culpa; præcipue cum plures legistæ in d. §. nunc. de effectu defendant, eum, qui per exceptionem liberatur, ipso

iure

iure esse debitorem, licet obligatio exceptione elidatur.

Ego vero explosa antecedenti subtilitate, debitum originariæ culpæ in Deipara non admitto, de quo, ni fallor feci demonstrationem: & sicut nullum debitum fuit in Angelis, meliori & fortiori ratione debemus debitum in Virgine denegare, cuius prærogatiua, nulla alia maior sub Deo potest intelligi. Nec obstat textus in d. cap. Beata Maria, qui textus debet intelligi non de consensu expresso & explicito ad copulam, sed de consensu in radice, quatenus Beata Virgo, diuinitus edocta, vinculo matrimonij consensit, quod ex natura rei ad liberam procreationem ordinatur, ex d. cap. omne itaque. Talis autem consensus in radice, in nullo derogat Virginitatis perfectioni cum stare possit, supposita diuina reuelatione, cum proposito vitandi omnem copulam etiam coniugalem. Neque possumus in hoc matrimonio Virginis non admittere, aut separare debitum, quia est de substantia eius si non in vsu, saltim in radice, & proprietate matrimonij. Dixi, si non in vsu, quia Virgo non consensit in illo debito matrimonij in vsum copulæ, quia tunc periret virginitas; neque enim poterat, cũ ex ea nasciturus erat Christus, futurus sine peccato, ex d. cap. omne itaque. 27. q. 2. & soluitur difficultas

Non obstat id quod diximus, scilicet, quod Beata Maria habuit carnem peccati, quia respondetur cum doctrina Magistri Saauedra, in sua sacra Deipara fol. 242. quod caro Beatæ Mariæ vocatur caro peccati secundum generalem carnis humanæ rationem, & secundum ea quæ haberet ex Adami propagatione: quia quantum est ex vi propagationis generalis ex Adamo esset caro peccati, nisi per gratiam fuisset præuenta; cum ergo sit mater Dei, nulla ratione consideramus in ea carnem peccati, à maioritate rationis idem dicimus in Christo, qui licet in cap. Filius Dei. de Consecrat. dist. 4. dicatur assumpsisse carnem peccati, ibi: *Filius Dei assumpsit carnem peccati*, illud ad generalem

ralem carnis assumptionem refertur, quia dicitur filius hominis secundum carnem, & factus est ex semine Dauid, & semen Abrahæ apprehendit, nec aliam carnem accepit, quam deriuatam ab Adamo. Sed quia illa caro dignificata fuit vnione Verbi, ideo expers fuit, & impotens peccati, & hac ratione dicitur non habere carnem peccati, circa quæ aliqua adnotaui supra cap. 2. n. 36. et in cap. antecedenti in fine. Rem clarius explicemus, nam si quęratur an caro Christi fuerit obnoxia peccato, potest concedi in hoc sensu, id est, caro quæ nunc est Christi, fuit obnoxia peccato in radice; non autem in hoc sensu, idest; caro in Christo fuit obnoxia peccato, tum ob dignitatem personæ, tum quia antequam à filio Dei assumeretur, in matre fuit mundata in animatione; vnde nec ipsa, nec filius dicuntur habere carnem peccati, hic per naturam, illa per gratiam. Nec etiam Beata Virgo mortua fuit morte peccati, vt scripsi capite antecedenti. Nec mortua fuit propter peccatum proprium, sed propter peccatum Adæ, vt dicit Augustinus in Psalm. 34. propter peccatum inquā Adæ, non quod in effectu infuit, sed quod infuisset in ea, nisi esset præuenta à gratia: Contraheret peccatum, et mortem, inspecta natura propagationis ex Adam: sed ex præsuposita gratia non contraxit, ex qua fuit pręuenta per filium. Et mortua dicitur propter peccatum Adæ, quia peccatum fuit causa mortalitatis acceptę à parentibus mortalis naturæ, vt dicit Pater Vbadingo tract. de morte Virg. cap. 6. n. 64. ibi: *Confirmant hunc sensum plures codices, in quibus locus Augustini ita legitur: Maria ex Adam mortua propter peccatum Adæ, non quia peccauerit in Adam, vt quidam senserunt, sed quia peccatum Adæ verè fuit causa, vt moreretur. Quo etiam pacto possemus dicere: Christus ex Adam mortuus est, non solum, vt præpositio propter significet causam finalem, videlicet, quod Christus mortuus sit propter delendum peccatum; verum etiam, vt significet causam efficientem: quia mors Christi, vt ait eodem loco Augu-*

stinus

stinus, non est nisi de peccato: proinde dicitur ab Apostolo ipsum peccatum, quia facta est de peccato. Cum ergo Christus Dominus non aliam assumpserit carnem, quam hanc ipsam, vt dicit Chrysostomus, afflictam, laboribusque confectam; & ex peccato hæc prouenerit miseria, quā etiam absque peccato voluit Christus pati, optimè potest dici mortuus propter peccatum. Et paulò inferius: *Quapropter mortuam admittimus Mariam propter peccatum Adæ, tanquam per causam mortalitatis humanæ, non propter aliquod suum, propter quod puniri deberet.* Conducit id, quod dicitur de Christo in cap. non regenerabantur. de consecrat. dist. 4. ibi: *Mors nihil inuenit quod puniret:* sed illa erat nobis necessaria, vt dicitur in cap. per aquam de consecrat. dist. 4. Vide quæ dixi supra capite antecedenti circa mortem Virginis.

Nec obstat, quod eximitur Virgo à beneficio redemptionis Christi, si non habuit debitum: quia satis responsum est supra n. 10. Doctores enim multi, vt se ab hoc dubio expedirent, meditati sunt hanc ignominiam debiti in Virgine, à quo possit dici redempta. Cæterum nullum præiudicium generari redemptioni, patet ex dictis num. 10.

Dicet aliquis, & ego etiam quæram, quanam ratione potuerit Christus Deiparam morte sua redimere, cū Christus genitus sit à Beata Virgine, ideoque eam supponere debuit existentem, atque adeò iam cōceptam? Quomodo itē eam præseruare potuit ab illa vniuersali lege, cum post eius legis, & culpæ originalis præuisionem, sit præfinitus Redemptor? Serò igitur Redēptio videtur aduenisse. Hoc opus, hic labor, vbi præstantissimi Theologi acriter digladiantur, varia quisque, & variè diuinorum Decretorū signa disponēs: nec Canonistis de fuit hac de re cōcertatio in cap vasis iræ 23 q. 4. textu quidem difficili de prædestinatione ante præuisa merita, vbi glossa verbo *standi*, ibi: *Ex hoc sequeretur, quod causa esset posterior suo causato.* Ego vero licet non Theologus, quia tamen Philotheologus, ex ipsis Theo-

logis

logis, præcipuè ex doctrina Doctissimi Patris Fr. Ferdinandi de Araujo in epistola supra relata num. 7. conabor breuiter recitare id quod verisimilius iudico. Dico enim, quod licet Christus in executione sit sua parente posterior; in intentione tamen prior est, immo ante omnia. Illa enim incarnata sapientia ex ore Altissimi prodiuit, primogenita ante omnem creaturam, Ecclesiast. 24. Fuit initium viarum Dei, Prouerbior. cap. 8. Primogenitus mortuorum, Apocal. 1. Primogenitus omnis creaturæ, vt dicit Apostolus ad Colosens. cap. 1. Radix Dauid, cap. 5. Apocal. Quare, licet ex vi huius efficacis intentionis, Christus & ipsius merita non habuerint futuritionem absolutam omnino completam & perfectam, vt loquuntur præfati Theologi: habuerunt tamen sufficientem ordinem infallibilem ad existentiam, vt Deum mouerent ad hoc, vt Mariam Beatissimam tam à culpa, quam ab omni culpæ debito, in executione Christus præseruaret, vti etiam eximius Suarius discurrit in Christi meritis respectu Sanctorum Patrum, & Doctores nostri in cap. re vera de consecra. dist. 2. in illis verbis: *Bibebant de spirituali, consequente eos petra, Petra autem erat Christus*, quæ sunt Apostoli in epistola ad Corinthios. Et per sapientiam diuinam, idest, ex meritis incarnatæ sapientiæ, sanati dicuntur antiqui Patres, & etiam Adamus, cap. 10. Sapient. etiam si in executione Christus ipsis Patribus fuerit posterior: nam erat intentione prior. Proximam doctrinam nouissimè ac satis dilucidè tuetur Doctissimus Pater Didacus de Auendaño tom. 1. Problemat. n. 1162, & n. 1163. Item n. 1511. & 1637. Approbant eam præstantiores Thomistæ, vt videre est apud sapientissimum Magistrum Ioannem à S. Thoma 3. part. disp. 5. art. 1. & Magistrum Gonet ibidem disput. 21. art. 7. §. 3.

Respondetur etiam ex doctrina Angelici Doctoris 3. part. quæst. 6. art. 1. & 3. videlicet, quod Diuinum Verbum prius naturâ assumpserit animam, quam carnem, cui sen-

tentiæ consonat subtilis Doctor, pro vt ex eius verbis perspicuè ostendit Illustrissimus Pater Salaçar de Concept. cap. 12. §. 1. Ex hoc igitur principio, quod egregriè explicat, & probat citatus Gonet disput. 10. art. 1. res ista facilè componitur; nam Deus præuidit animam Christi Verbo vnitam, & plures eius operationes meritorias, quippè omnino à corpore independentes, earumque intuitu permotus fuit ad creandam Beatam Mariam, tot excellentijs & gratijs exornatam, atque adeó omnigenæ præseruationis dono insignitã, vt ex ea Verbum carnem assumeret, cui ipsa anima vniretur ad perfectam illius hominis Dei compositionem. En igitur Mariam ex meritis Christi Filij sui ab omni culpa, & debito redemptam, quin obstet, Christũ naturâ esse Virgine posteriorem; quia licet talis sit secundum corpus, quod ex ea assumpsit, est tamen prior Virgine secundum animam, secundum quam fuit præordinatus & præelectus ante legem illam vniuersalem: & ita meruit, vt Virgo, quæ futura erat eius mater, in ea lege non comprehenderetur. Huic doctrinæ suffragium præbet dissertissimus Pater Didacus de Auendaño (cui ex omnibus quotquot sunt huius Antartici tractus scriptoribus, si quæramus quis vnus excellat, palma deferenda est) in suo Epitamio, part. 2. tituli, n. 545. vbi etiam priorem adfert, & inserit solutionem.

Contra prædicta potest vrgeri. Quoniam Virginis præseruatio fuit ex morte filij sui præuisa, vt dicitur in oratione, quam pro officio Conceptionis approbauit Ecclesia. At anima illa Verbo vnita prius naturâ quam carni non fuit capax mortis. Ergo pro vt sic non meruit Virginis præseruationem. Cum enim, iuxta nuper dicta, fuerit præseruatio ex meritis à sola Christi anima ante assumptionem carnis elicitis, non videtur potuisse ex morte Christi procedere, siquidem ad mortem neccessaria erat assumptio carnis. Sed respondetur cum doctrina præcedentium Doctorum, pręserua-

seruationem illam Virginis fuisse ex morte Filij sui præuisa in affectu efficaci & infallibili, licet non in effectu. Illa enim deificata anima pro priori naturæ ad vnionem cũ corpore, ex optione sibi à Deo præstita (quam grauissimi Doctores ex scriptura, Patribus, & ratione demonstant) elegit & ardenter desiderauit carnem passibilem, & mortalem, sicut etiam mortem crucis, quâ pro hominibus perfectè & copiosè satisfaceret Patri; licet talis mors in effectu tunc exequi non potuerit, donec vniretur anima ad corpus. Sic sæpè in sacra pagina, ea quæ in affectu efficaci & infallibili sunt, pro factis accipiuntur: sicut etiam in nostro iure habetur pro facto quod efficaciter paratum est, vt fiat. l. filius, & ibi glossa verbo *confestim*. ff. de testam. milit. Sic enim affectus solet operi nomen imponere, sicut opus affectui. Vnde de Diabolo illud legimus, Ioan. 1. *ille homicida erat ab initio*, quia ab initio habuit affectum efficacem occidendi hominẽ morte peccati. Et de Iudæis asserit Magnus Augustinus, in Psalm. 63. ad vers. 2. ipsos occidisse Christum, quia efficaci affectu mortis illum tradiderunt Pilato, clamantes *Crucifige, crucifige*, in quo demonstrabant affectum illum crudelissimum in mortem Christi ex vehementissimo odio. Hæc omnia multis alijs testimonijs poteram comprobare, & fusiori calamo roborare, sed ampliorem hac de re sermonem magistris Theologis relinquo, quibus standum est in hac materia, vt in simili de efficacia mortis Christi, & eius redemptione docet Clementina vnica. §. ad hoc. de summa Trinit. vbi etiam addit, quod in hac materia modernioribus Theologis standum est.

14. Vidistis quæ pro immunitate Deiparæ militent fundamenta, vt non teneatur maledicto serpentis, nec debito, aut peccato Adami. Hæc Domina nostra est mulier illa fortis & miraculosa, super quam Dominus ostendit potentiã suam, sicut de se ipsa dicit: *Quia fecit mihi magna qui potens est*, et iterum, cum dictum est ei ab Angelo: *Virtus Altissimi* obum-

obumbrabit tibi. Ubi notes, quod in originali Græco ly *virtus* est *Dynamis*, quo nomine potentia, vis, vires, facultas significantur, & vt versat Arias Montanus, id est, *Efficientia Altissimi obumbrabit tibi*. In hac fæmina benedicta ostendit Dominus potentiam suam, tam in præterito, quam in futuro; sic prius dixit: *Fecit mihi magna*, demũ: *Virtus Altissimi obumbrabit*, vt credamus, omni tempore, Domini virtutem vni huic singulari fœminæ adhæsisse, cum ex ea carnem esset assumpturus, vt dicitur in cap. omnia de consecrat. dist. 2. Ipse fundauit eam Altissimus, quod etiam potest de Christo intelligi, iuxta illud: *Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Iesu Christe*.

15 Pauca ego scripsi, quæ cuius saporis sint, credo gustastis. Scripsere de hac materia multi & insignes Sancti, & Doctores, & nostris temporibus multa scripta sunt mira, & illustria. Timeo ergo iam vos, si post has demonstrationes non acquieueritis. Scimus, quod Beata Maria dignior est omnibus Sanctis, Angelis, & Apostolis, vt notatur in cap. noua quædam de pœnitent. & remiss. Dicit enim Hostiensis in cap. 2. de maled. quod multi homines adeò sunt deuoti Deiparæ, vt credant, magis peccari offendendo Beatam Mariam, quam Deum, de quo remittit ad notata in cap. 2. de celebrat. Missar. Et plus punitur delinquens contra Beatam Virginem, quam contra omnes Sanctos, vt dicit Abbas in cap. 4. verbo *maximè*, de celebrat. Missar. Videndus Gregorius Lopez in l. 1. tit. 28. part. 7. in glossa 3. Audiamus etiam verba Magni Ambrosij omnino meditanda: *Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quam de matris pudore dubitare*, in tract. super Lucam. Ego quidem quæ dixi, dico; quę scripsi, non muto; sed omnia dicta mea subijcio correctioni Sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ Romanæ, cuius indignus, sed fidelissimus filius sum.

INDEX CAPITUM.

INDEX RERVM QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

B

17.


S.

Maria

De

Poma

FINIS.


BR670 c
R612d

